

PARS SECVNDA.

CONTINENS DVORVM PRIORVM FAMILIAE LVCEBVRG. IMPERATORVM

Historiam, in quibus alterius, CAROLI IIII. vnà cum Oratione funebri de eodem, nunc primùm euulgatur.

Accessit propter argumenti affinitatem cum CHRONICO HIEROSOL. inprimis ob rerum Sarracenicarum & Turcicarum, quas rursus Tartaricæ excepere, implicatam mentionem HISTORIA ORIENTALIS HAYTHONI: Cui instar τῶν Παραλειπομένων subijci rectè posse videbatur MARCI PAVLI Veneti Itinerarium, item Fragmentum è Speculo historiali VINCENTII BELVACENSIS: singulis partim emendatis, partim locupletatis, ita quidem, vt HISTORIAE ORIENTALIS explanatio ad hæc nostra tempora vsque pertineat.

Auctore
REINERO REINECCIO
Steinhemio.

HELMAESTADII
Ex Officina Iacobi Lucij.
M.D.LXXXV.

AMPLISSIMO VIRO, VIRTVTE, SAPIENTIA, ET EQVESTRI SPLENDORE conſpicuo, Domino Cunrado à Suueichelt, Ducis Brunouicenſis Conſiliario,

MATTHAEVS DRESSERVS

S. P. D.

POſteaquam Hiſtoriæ ſuæ nunc tandem editæ exemplum mecum communicauit Reinerus Reineccius, & meum de iſto commentario iudicium exquiſiuit: quiduis me facturum libentius reſpondi, quàm de alienis iudicium meum interponere. Sed cùm inſtaret atq; vrgeret ille, iure quodam amicitiæ, vt mihi quidem videtur, haud reprehendendo: ceſsi eius poſtulationi, & hanc breuem de cauſis belli ſacri commentationem lucubraui: nec licere mihi nec integrum eſſe exiſtimans, vt meum laborem *amico* flagitanti *non impertirem*. Intelligo autem multorum eruditorum oculos in te côiectos eſſe: quòd non autoritate ſolùm, ſed virtute etiam & interiorum literarum doctrina cæteros anteire putaris. Ac vt de quàm plurimis vnicum exemplum proferam: ſat ſcio, te à Reineccio in oculis ferri. Eius igitur ductum ſecutus, obſeruare cœpi & ipſe tuam virtutem, & colere eruditæ doctrinæ copiam atq; varietatem. Fit autem plerumq;, vt incluſus in viſceribus amor non diu ſeſe cohiberi ſinat, ſed erumpat tandem & in eum effundatur, quem complexus eſt. Quod mihi quoq; vſu venire profiteor, in pio honeſtoq; amore in te meo. Cuius teſtem eſſe hanc commentationis meæ dedicationem ex animò opto. Quæ tamen in apertum vt referatur nihil poſtulo: cùm parua ſit, ieiuna & omni flore orationis careat. A te verò, quanta poſſum animi contentione peto & quæſo, vt animo lubenti ſuſcipias, & me in eorum numerum aggreges, qui animo & ſtudio tui ſunt. Val: Lipſ: Cal: Febru: Anno 85.

DE BELLO SACRO IN ASIA GESTO, CAVSA RECVPERANDI terram sanctam, Anno Christi 1096.

REgula est iudicij humani, quam & naturalis atq; insita in animis nostris notio, & vsus frequens comprobat: non ex euentu, sed ex proposito susceptoq; consilio facta æstimanda esse. Etsi enim natura fert, vt ex effectu iudicium de causa fiat: tamen in humanis actionibus sæpè vsu venire videmus, vt quod benè consultum cogitatumq; est, malè cadat. Quod si consilia euentis ponderare velimus, quod plériq; faciunt: cui quidem benè quid processerit, hunc multum prouidisse, cui secus, nihil sensisse iudicabimus. Hoc verò cùm iniquum sit: consequitur sanè, non ex euentu, sed ex voluntate consilia ponderanda esse. Nota sunt consilia summorum Oratorum, Ciceronis & Demosthenis, quorum ille in Repub: Romana suasit, vt interfecto Iulio Cæsare, Respub: exercitusq; Octauio crederetur. Idq; fecit retinendi causa patriæ libertatem. Hic verò in Repub: Attica ciuibus consuluit, vt armis defenderent socios ab insidijs atq; iniurijs Philippi Macedonis. Vtriusq; consilij exitus fuit exitialis. Nam imperium capiente Octauio, Cicero miserabiliter occisus est, & Respub: libertatem perdidit. Demosthenes verò arma Philippi irritauit, & in Atticam attraxit, communeq; periculum patriæ creauit. Hic audimus dissimilium consiliorum consimilem euentum. Quid igitur? num æquè vituperandum vtrumq; consilium censebimus? Minimè verò. Ciceronis enim consilium ad necessariam

ſariam pacem, Demoſthenis verò ad non neceſſarium bellum fuit directum. Ciceronis igitur factum à ſapientibus laudatur, Demoſthenis autem vituperatur. Et meritò quidem. Magis enim ſpectare cauſas euentorum, quàm ipſa euenta conuenit.

Quod ipſum ad Sacrum etiam bellum, quod à Chriſtianis militibus ſuſceptum, & magna contentione in Aſia geſtum eſt, accommodari rectè poterit. Euentus enim is fuit, vt ex impetu hoſtium barbarorum, ac faucibus blaſphemiæ Mahometicæ erepta ſit terra ſancta: ſed labore ingenti, & ſanguine Chriſtianorum ea res conſtitit, nec diu etiam partum ibi imperium durauit. Anno enim à nato ſaluatore 1096. duce Godefrido Bilioneo, expeditio ſuſcepta eſt, milleſimo verò, ducenteſimo, nonageſimo, amiſſis rebus omnibus fugæ ſeſe mandârunt Chriſtiani, quotquot Fortuna, & belli ius reliquos in terra ſancta fecerat. Hic exitus, quanti æſtimandus ſit, facilè intelligitur. Regnum quidem Chriſtiani milites, expulſis Saracenis, in vrbe Hieroſolyma conſtituerunt, & cultum etiam Chriſtianum in eam reduxerunt: ſed ſanguinis Chriſtiani nimis magna profuſa eſt copia. Iam vtrumq; ſanctum & præclarum eſſe videtur, ex Sarracenorum faucibus Chriſtianos liberare, & cultum Dei reſtituere, quamuis iactura innumerabilis multitudinis Chriſtianorum facienda fuerit. Verùm ex euentu non decet de facto ipſo ſiue bello iudicare. Sic enim Fridericum Barbaroſsam Imperatorem planè inconſideratum ducere oporteret, qui contra Saracenos mouens, nauare atq; efficere id non potuit, quod propoſitum ſibi habebat, ſed in amne quodam minoris Armeniæ miſerè occubuit. De cuius tamen propoſito pio dubitare fas non

est. Quid ergo? Causæ sunt, ex quibus factum quodq; æstimari debet. Reperiemus autem, si accuratè cogitauerimus, duplicem belli istius caussam extitisse: Vnam quidē à pontificibus Romanis, alteram à militibus Christianis. Primum enim Pontifex Romanus, Vrbanus secundus, concilium apud Clarum montem in Gallia habuit, in eoq; decretum fecit, de expeditione vltramarina ad recuperandam terram sanctam suscipienda, anno Christi 1095: Nec deinde incitare Christianos principes ad illud bellum destitit, donec quod in animo habuit, consecutus est.

Quid verò est, quod Papam impulit, vt decretum eiusmodi faceret, & Christianos tantopere in Turcas & Saracenos inflammaret? Hîc duas causas ex multis excerpemus, quæ præcipuæ, maximeq; memorabiles esse videntur. Vna est vindictæ cupiditas, altera regni auiditas. Vtramq; rem monumenta rerum veterum comprobant. Is enim tunc fuit Reipub: Romanæ status, vt nihil tam in optatis esset pontificibus Romanis, quàm principum Christianorum opes labefactare, & ex dominatu Imperij Rom: in libertatem sese vendicare. Ausus enim erat tum Henricus quartus Imperator, obsistere conatibus Pontificis Gregorij Septimi, ex quo Schisma ortum est ingens, & miserè concussa & conturbata est Ecclesia atq; Respub. Ibi tum Pontifex diffidens rebus suis fulmen excommunicationis & anathema Henrico denunciauit. Imperator vicissim Pontificem de gradu & dignitate deiecit in comitijs VVormatiæ, ad eamq; rem conficiendam mox legationem cum diplomatis Romam misit. Cæsar verò in Italiam iter suscepit, nescio qua religione permotus, vt cum Papa reduci in gratiam posset.

Ac exceptus fuit quidem Cæsar satis honorificè ab Italis, quòd pleriq; sperabant, eum iccirco Romam proficisci, vt fastum atq; ferociam Papæ comprimeret. Sed longè aliter cecidit. Cæsar enim deludi se à pontifice passus, supplex ad eius pedes sese abiecit, & absolutionem petijt, nulla conditione reconciliationis repudiata. Interea Pontifex persuasit quibusdam Principibus Germaniæ, vt alium Cæsarem, Rudolphum, Sueuiæ Ducem, designarent. Cui mox Coronam misit cum hac inscriptione:

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa Coronam,

quemadmodum Helmoldus commemorat. Hîc noui motus, nouum bellum in imperio exarsit. Reuersus enim ex Italia Henricus, continuò in Rudolphum arma expediuit. Spes tunc non exigua, futurum esse, vt per hanc *facem ardoremq; flammæ Germania* conflagraret. Dimicatum certè est acriter, ac in prima quidem pugna fugatus est Henricus, sequente verò & tertia victor euasit. Inde animus illi accessit, hosti verò timor iniectus est. Itaq; concilium conuocauit Henricus in Bauaria, ad quod plurimi Episcopi ex Italia, Gallia & Germania venerunt, in eoq; Papam Gregorium septimum damnauit, repudiauit, & loco eius Clementem tertium substituit. Pontifex contrà Imperatorem excommunicauit, & spiritu plenus ad fœderatos suos in Germania literas dedit, quibus nescio qua animi falsa diuinatione permotus, interitum isto anno prædixit Henrico Imperatori. Sed secus longè euenit. Nam eodẽ anno prælium quartum fuit commissum, quo Rudolphus dextram amisit, & paulò post ad exitum vitæ vocatus, de pontifice & Episcopis grauiter questus est, qui autores defectionis à

Cæsare

Cæſare, & cladis tantæ extiterant. Poſt hanc victoriam Henricus exercitum duxit in Italiam contra Pontificem, obſedit Romam, partemq; eius diripuit, & terrorem magnum ciuibus iniecit. Papa Gregorius fuga ſeſe ad Normannos recepit. Ciuitas verò in fidem Cæſaris recepta eſt. Cæſar continuo Pontificem deiecit ſede, & in eam collocauit Clementem tertium. Normanni autem alium Pontificem deſignârunt, quem Victorem tertium nominârunt. Nec multò poſt Vrbanus ſecundus Papa factus eſt.

Quid verò? an dubitabimus ſatis magnam cauſam tunc fuiſſe Romano pontifici omnes occaſiones quærendi, quibus hoc ab Imperatore impoſitum iugum à ceruicibus ſuis propulſaret? Quanti enim eſt, quòd Cæſar Romanus Pontificem Romanum ſede ac fortunis priuauit? vrbem Romam diripuit, & poteſtatem tantam creandi Pontifices ſibi ſumſit? Hæc ſcz: iniuria eſt, quæ penitus inſedit in animis atq; memoria Pontificum. Quapropter de ea vindicanda dies & noctes cogitârunt. Cùm autem alia via nulla procederet, quod ſperabant: huc euaſit tandem Vrbanus ſecundus, vt quoniam inteſtinis bellis debilitari potentia Imperij non potuit, expeditionibus externis exhauriendam atq; frangendam illam eſſe duceret. Quocirca bellum ſacrum principibus indixit, & innumerabilem hominum multitudinem ex Europa in Aſiam ablegauit. Ac vt res tota magis adumbrata ad ſpeciem & vſurpationem ſanctitatis eſſet: trecenta hominum millia cruce ſignauit, vt milites crucifixi Chriſti omni iure haberentur. Hic ſiue fucus ſiue ſpecies hæc dici non poteſt, quantam religionem hominibus iniecerit. Etenim tanto numero Chriſtiani in A-

ſiam ad

ſiam ad hoc bellum profecti ſunt, vt Occidens vniuerſus demigrare in Orientem viſus ſit. En alter hic modus fuit explendi cupiditatem vindictæ, ſatiandiq; odium Pontificis. Sic ergo via duplici rem aggreſſus, non parum eneruauit & afflixit Rempub. Nam foris ingentem multitudinem hominum telis hoſtium, dimicationi capitis, & morti deniq; ipſi obiecit. Scribit Robertus Monachus, tantum ſanguinis humani in hoc bello effuſum eſſe, vt cæſorum corpora vnda ſanguinis impellente natârint, atq; fluitârint.

Non autem ſuaſor tantùm huius expeditionis fuit Pontifex, ſed impulſor etiam extitit. Nam Philippo, Gallorum regi, mandauit primùm Bonifacius VIII PP. deinde contanti & recuſanti minatus eſt, niſi pareret, & in Aſiam proficiſceretur, eum imperium eſſe amiſſurum. Quod re etiam probare *Pontifex ille conabatur*, & deiecto Philippo, alium regem deſignari volebat. Sed Philippus contemſit Pontificis conatus inſanos, negans ſe ſuumq; regnum vlla ex parte Pontifici ſubiectum eſſe.

Domi verò quid Papa per ſuos Epiſcopos non eſt molitus? Equidem Paſchalis ſecundus Henricum anathematis fulmine percuſſit, & filium eius Henricum Quintum ad ſumendum ſpiritus & arma aduerſus patrem excitauit atq; acuit. Tantum enim per organa ſua ſanctiſſima Epiſcopos effecit, vt ſuperbè Henricum quartum ab imperio remouerint, omnibus inſignibus atq; ornamentis ſpoliârint, & filio eius autores fuerint, vt patrem tam de imperio meritum in cuſtodiam coniecerit, vbi moerore animi extinctus eſt, nec humari cadauer eius toto quinquennio potuit. Ne nunc quidem ſatis vltus eſſe videtur Pontifex Romanus imperatoris iniurias? Si

modò iniuriæ sunt dicendæ, cùm imperij dignitas atq; libertas ab ambitione, auaritia & tyrannide Pontificum Romanorum defenditur.

Sed quid? num ita expleta fuit libido, & satiatum odium Pontificis? Nequaquam. Secuta est non multò pòst laniena & strages horrenda, cùm Saxones Henrico sese opposuerunt, & prælio cum eo commisso, quadraginta quinq; millia hominum occubuerunt. Tanta effusi sanguinis copia expleri sitis Papæ meritissimo debuit. Mox idem Pontifex Imperatorem eundem priuilegijs antè concessis, de Episcopatibus per annulum & baculum conferendis, spoliatum excommunicauit. Ex quo autoritas Imperatoris penè omnis concidit, & turbæ nouæ procellæq; perniciosissimæ Germaniam obruerunt. Nam Imperator Pontificem à gubernaculis deiecit, Pontifex vicissim Imperatorem excommunicauit, & execratus est. Deniq; nimis longum esset exponere omnes dolos, quibus ad turbandum Imperium, & explendam animi sui libidinem Pontifices vsi sunt. Ex his autem, quæ attigi strictim, si non penitus, tamen ex parte quadam intelligi potest, quæ causa tantæ cupiditatis vindictæ in Pontificibus fuerit, & quibus artibus vlcisci Imperatores atq; adeò Christianos principes omnes conati sint.

Sequitur, vt quanta regnandi auiditate flagrârint, demonstrem. Res erat valde laboriosa, Ecclesiæ primatum & politicum dominatum simul acquirere atq; comparare. Ideoq; contendere omnes neruos in ea oportebat Pontifices. Nondum enim potestatem eligendi Episcopos, & tribuendi prælaturas, vt vocant, Pontifices habebant, sed cum Imperatoribus acriter de illo iure certabant. Satis autem intelligebant, nihil tam sibi ob-

stare, quàm Imperij opes atq; potentiam. Quamobrem in eo euigilârunt omnes curæ & cogitationes eorum, vt Imperij neruos inciderent, & vires eius minuerent. Quod ita se effecturos maximè sperabant, si primùm principibus persuaderent, vt relictis sedibus atq; fortunis militatum in terram peregrinam abirent. Tum Imperatores, qui concedere de suo iure nollent, de gradu deijcerent, & vi, quod volebant, obtinerent. Quantum enim Imperio detrahebant, tantum sibi suoq; regno accedere perspiciebant. Hinc Henricum quartum excommunicârunt, Henricum quintum fulmine anathematis percusserunt, & cum Lothario deniq; de iure conferendorum Episcopatuum & Abbatiarum acerrimè contenderunt. Quin Cæsarē etiam ipsum suæ potestati subijcere ausus fuit Adrianus Papa, cùm ad Fridericum imperatorem misit legationem in Germaniam cum diplomate, in quo continebatur, Cæsarem habere insignia atq; ornamenta imperij omnia à Pontifice accepta, tanquam beneficium siue feudum. Quod tamen Cæsar & principes imperij pernegârunt, & cum indignatione legatos ex Germania discedere mox iusserunt.

Atq; hic dominatus est Papæ, quem in occidente sibi sumsit, sed eo non contentus, etiam in oriente primatum affectauit. Caue enim putes, religionis potius, quàm dominationis causa bellum sacrum ab eo indictum esse. Ambierat iam multis annis Ecclesiæ orientalis primatum, nec potiri tamen eo ad illud vsq; tempus potuit. Iam ergo inuentam tandem esse viam sperauit, qua dominari etiam Ecclesiæ Asiaticæ posset. Imò non Ecclesiasticam solùm iurisdictionem, sed terram quoq; ipsam appetiuit per hoc bellum sacrum; quod vel hinc

 cognosci

cognosci potest satis, quod Gregorius IX PP. Fridericum secundum excommunicatum per Fratres prædicatores in Germania proclamauit, eiusq; terras, dum in Palæstinam exercitum is duxit, sibi subegit. Idem sese facturum Philippo, Gallorum regi, minatus fuit Bonifacius VIII. nisi expeditionem in terram sanctam susciperet, quemadmodum suprà memorauimus. Num plura testimonia cupiditatis regnandi in Pontifice Romano desiderabimus? an non hæc satis superq; eius sitim inexplebilem dominandi declarant?

Sed pium tamen consilium fuisse Pontificis dices, cùm ad recuperandum Domini templum, & restituendum Dei cultum in Palæstina Christianos induxit. Nullum hic pietatis documentum in Pontifice apparet. Fucata & plena superstitionis sunt omnia. Non enim fundamentum ex verbo Dei vllum proferri potest, quo susceptio atq; conatus talis niti possit. Reiecerat Deus semel Hierosolymam, & deletam volebat, vt ne lapis quidem super lapide relinqueretur. Ideò non amplius benedicta sed maledicta erat terra, & iacere eam in ruinis perpetuis oportet. Superstitio igitur erat detestanda, ibi templum Dei, cultum aut regnum instaurare velle, vnde Deus templum & cultum suum abstulerat. Errauit Pontifex vehementer, si spem aliquam in terrestri Hierosolyma positam habuit: Cùm ideo eam destructam euersamq; funditus velit Deus, vt ad cœlestem Hierosolymam mentes atq; cogitationes suas omnes Christiani referant. Idq; re euentuq; comprobatum videmus. Nã & cruentum fuit bellum sacrum & infelix, & calamitosum atq; ærumnosum. Etsi enim Hierosolymam recuperârunt milites Christiani, & regnum ibi constituerunt: tamen

tamen breue illud fuit annorum scilicet 88. ac sanguine Christianorum copioso partum est atq; etiam amissum. Reliquiæ verò Christianorum, quæ remanserunt in Syria & vicinis oppidis, Tyro, Sidone, Tripoli, Berytho, incensis iam & complanatis omnibus à Sultano AEgypti, tandē anno Christi 1291 à primo ingressu in Palæstinam 192. fugere in Cretam coacti, naufragio miserè perierunt. Hic exitus fuit lacrimabilis planè & funestus belli eius, quod tanta specie sanctitatis suscipi Pontifex iussit. Ac nisi hostes barbari, Turci ac Saraceni, qui paribus copijs, auspicijsq; bellum tunc contra Christianos gerebant, Christianos oppressissent: futurum fuisset, vt Papa ipse perniciem pestemq; illis machinaretur. Ceperat enim iam tum per Templarios suos Friderico Imperatori, qui auspicijs bonis Sultanum AEgypti ad conditiones pacis adegerat, vehementer molestus esse. Quanquam autem ex euentu minime de consilio iudicandum est: tamen cum causæ belli huius omnes, quoad Romanum Pontificem, insidiosè, fraudulenter & superstitiosè cogitatæ atq; susceptæ sint: minus mirum est, euentum ipsum quoq; exitialem Christianis fuisse.

Reliqua est altera causa susceptæ expeditionis à militibus Christianis, quæ vtiq; pia, honesta, & literis monumentisq; decoranda est. Hi enim non sub quodam consilio, neq; impetu temerario ad hoc bellum lati sunt: sed Deo pietatem suam, Papæ obedientiam, & miserè vexatis Christianis, officium debitum iustumq; persoluere voluerunt. Itaq; laudatur eorum conatus multò iustius, quam Argonautarum, hoc est Græciæ principū, qui quondam in Colchidem ad rapiendum vellus aureum profecti sunt. Multa equidem concurrunt, quæ dif-

difficultatem tanti belli auxerunt, itineris longinquitas, periculum ab hoste, rei ipsius magnitudo. Verùm hæc tamen omnia despexerunt, & pro nihilo putârunt magnanimi illi duces atq; milites, ac vltrò sese in discrimen atq; certamen tantum pro salute nominis Christiani obiecerunt. Non patria, non domus, non fortunæ, non liberi, non propinqui eos à spe conatuq; tanto depulerũt. Quod verò nihil aliud in hac expeditione spectârint aut quæsierint milites isti, quàm veri Dei cultus propagationem, & Christiani nominis à barbarorum blasphemijs defensionem, multa sunt, quæ documenta dant. Primum quidem Pontificis Romani mandatum tanti ponderis tunc apud Christianos fuit, vt instar oraculi diuino instinctu afflatuq; fusi haberetur. Quanquam autem totum illud pontificium edictum ex rebus fictis atq; commenticijs, hoc est, Petri Eremitæ somnio quodam constitit: tamen militum Christianorum nihilominus est laudandus zelus, atq; in suscepto consilio propositoq; perseuerantia. Non profectò hic spes opum, non voluptatum illecebra vlla apparuit, qua impelli ad tantum facinus illi potuerint. Itaq; nil nisi religionis amor, sepulcri Domini cura, & Saracenorum Turcorumq; depulsio, pia & iusta illis arma induit.

Dolendum est potius, fundamentum huius belli, quod tanta contentione gestum est, non satis solidum atque firmum fuisse. Fieri enim non potest, vt benè feliciterq; eueniat id, quod causa vera & iusta non nititur. Perindè vt ædificium diuturnum esse non potest aut stabile, nisi fundamentum & radices altas habeat. Fuerunt autem omnium penè, quæ à Pontificibus cõstituta sunt, principia somnijs & ineptijs fucata. Cuiusmodi sunt

plæraq;

plæraq; commenta diuinarum reuelationum aut admonitionum per homines mortuos. Vnde ordines Monachorũ & aliæ superstitiones horrendæ manârunt. Quod si causa belli huius non ita fuisset pontificia superstitione contaminata: absq; dubio euentum habuisset longè meliorem. Quicunq; tamen exitus fuit, fortuna sanè aliqua ad res benè gerendas diuinitus adiuncta fuit. Quæ tota; quanta fuit, Christianorum militum pietati concessa atq; donata est.

Incendit præterea optimos milites ad cupiditatem atq; studium huius belli durissima seruitus Christianorum in terra sancta, qua erant oppressi à Saracenis. Perindè vt hodie calamitas Christianorum in Imperio Turcico nos omnes merito dolore & solicitudine afficit. Ac habet sanè laudem suam expeditio, quæ pro Christiana libertate *suscipitur: sed abesse debet superstitio*, quæ tanquam affuso veneno causam bonam corrumpit. Quæ ipsa hanc quoq; pio zelo susceptam militiam deprauauit, quemadmodum in Vngaria infeliciter pugnatum est, quoties Romani pontifices vel Episcopi Christianis ardentes faces belli aduersus Turcam ministrârunt. Non enim benè potest procedere bellum, quod impulsu aut ductu Pontificis geritur: cùm longo interuallo disiuncta sint, nec inter se conueniant, Ecclesiastica cura, & belli administratio. Iccirco rectè dixit Lutherus, se nolle esse in eo exercitu, si miles esset, cui Pontificius aliquis sacerdos præsit: quòd in templo is non in acie collocatus sit. Quod considerare cum animo suo etiam tunc debuit Romanus Pontifex, cùm sacrum bellum indixit: ne inuito Deo, refragante muneris impositi officio, aduersâte fortuna in discrimen atq; dimicationem capitis

tot for-

tot fortes & probè paratos milites adduceret, & hostibus barbaris diripiendos trucidandosq; obijceret. Sed non passus est eum perpendere rem tantam cæcus furor atq; cupiditas vlciscendi principes Christianos, quos suis conatibus nefarijs obsistere videbat. Proinde ad internecionem eos cædendos domi forisq; curauit, vt diuturnam sitim sanguine Christiano expleret.

Satis iam de causis belli sacri dixisse videor, quæ omnia ad eam summam referri volo, quam suprà posui, non potuisse hoc bellum felix esse aut salutare Ecclesiæ Christi: iccirco, quia Pontificis instinctu vel potius edicto susceptum est, non iudicio aliquo, aut consilio pio, sed vindictæ & regni cupiditate, non religionis propagandæ studio, sed superstitionis vanæ commento, non ornandi causa Christi gloriam, sed gratia amplificandi sedis Romanæ potentiam. Quod autem aliqua felicitate siue fortuna prospera gestum illud est, id pietati, virtuti & industriæ optimorum militum diuinitus tributum est: vt verus, iustus, & honestus eorum labor honoribus, premijs atq; splendore aliquo decoraretur.

CONRA-

CONRADI VECERII COMMENTARIUS DE REBUS GESTIS HENRICI VII. Imp. & alter de vita CAROLI IIII. ab ipso Carolo conscriptus: tum de eodem oratio funebris, habita à IOHANNE, Archiepiscopo Pragensi.

HELMAESTADII

M. D. LXXXV.

IOANNES CASELIVS.

MAgnum opus aggreditur Reineri industria, quando
Heroum historias eruit è tenebris:
Atq; duces donat vitai luce sepultos,
Nil animo (quid enim?) sollicitus reliquum.
Dumq; excire parat plures, & Thesea vincit,
Ingenij vi vim vincit & Herculeam.
Perge ducum gentes, Reinecci, sistere cœlo,
Haud vnquam nihili plebs redit ex Erebo.
Inprimis niteat tota, inclyta Guelphiadum gens
Digna sacro vatis carmine Mæonij.

MAGNI-

MAGNIFICO VIRO, NOBILITATE GENERIS, DOCTRINAE ERVDITIONE, virtute & dignitate amplis. DN. CONRADO DE SVVICHELDE, aulæ Halberstad. præfecto, & illustriss. Ducum Brunouicensium & Luneburg. &c. Consiliario primario, Patrono S. omni obseruantia colend.

S. D.

REINERVS REINECCIVS Steinhemius.

VT CHRONICO HIEROSOLYMITANO historiam HENRICI VII. & alteram CAROLI IIII. ab eo ipso conscriptam, adijcerem, inuitabat ea familiæ Luceburg. qua ambo Impp. editi essent, mentio, quam idem Chronicon habet lib. 3. cap. 46. Nam illam quidem iam pridem nobis subministrârat affinium, Caspari & Philippi Pyrenæorum, bibliotheca: de hac diuersa codicum manuscriptorum exempla communicârant CHRISTIANVS

DISTELMEIERIVS, Thomas Mitis & Procopius Lupacius, quos honoris, nec non grati & memoris ſtudij teſtificandi ergò nomino. Accedebat præterea de Henrici VII. hiſtoria, quòd inde ab anno ſalutis 1541. editionem eius intermiſſam, & quia lectu digniſſima eſt, auidè exemplaria deſiderari comperiſſem. De Carolo IIII. verò præterquam, quòd is auum Henricum VII. habuit, id quoq; aurem vellebat, quòd cùm eius adhuc temporibus in multorum animis bellum ſacrum pruriret, & idem vrgeret PETRVS, rex Cypri è familia Luſignana, vrgeret Vrbanus V. Pontifex Rom. & militiã ſuam offerrent IOHANNES, Francorum, & VVALDEMARVS, Danorum reges (licet illum mors interceperit, hunc neſcio quid ſententiam mutare coëgerit) Carolus à Cyprio coràm interpellatus, probauit quidem Pontificis ſententiam, probauit Franci, probauit Dani conatum, imò diſertè teſtificatus fuit, ſibi etiam nec opes nec voluntatem deeſſe, modò è re

Chri-

Chriſtiana foret, multorum ſanguinem effundere pro rebus Syriacis: fieri enim non poſſe, quin maxima Chriſtianorum ſtrage loca amiſſa recuperentur, cuius ſtragis nullam rationem habere, magis carnificis, quàm principis ingenium decere: nec regionem, inter medios hoſtes occupatam, in fide diu retineri poſſe: idcirco Chriſtiani non eſſe, tanta hominum iactura tantillum gloriæ venari: contentuſq́;, quòd pecunia Cyprium iuuiſſet, prorſus ab eo bello ſibi abſtinendum putauit. Neq; hoc inſtitutum vel ſocordiam vel timiditatem, ſed ſagacis & circũſpecti animi conſiderationem, & quaſi examen, extitiſſe, facilè is deprehenderit, qui ſuperiores expeditiones ad iuſtam trũtinam reuocauerit. Fermè enim in eum exitum, quem Carolus expreſſit, deſiere, nec vnquam feliciſſimæ funeſtis cladibus caruere. Vt quod vulpecula Aeſopica ægrotanti leoni reſpondit:

Sed me veſtigia terrent,
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum, hîc

 quoq;

quoq; iure locum habeat. Verùm istam commemorationem abrumpo, & ad propositas historias redeo. Quæ & inde cum Chronico Hierosol. affinitatis nonnihil habere videbantur, quòd vti GODEFRIDVS & BALDVINVS, reges Hierosol. ita & HENRICVS VII. Imp. è Lotharingis oriundus fuerit. Etenim id nomen, à LOTHARIO I. Cæs. Ludouici Pij F. introductum, præter Belgicam Galliam etiam Lugdunensis partem complectebatur, pòst tamen mirificè accisum, sic vt hodie tantùm superior Lotharingia retineat, inferior verò de corrupta Latina voce prouincia, Brabantia appelletur, quod accidisse volunt HENRICI IIII. Cæs. temporibus. Eiusdem portiones fuere Ducatus, Mosellanus, & alter Arduennæ: quorum ille Luceburgum habet: hic Godefrido & Balduino ortum dedit. Sed & ista mittamus, & iam, quæ ad singulas historias illas pertinent, persequamur. Cuias Vecerius, & quo in munere fuerit, liquidò ipsemet

ſemet oſtendit. Suntq; expoſitiones eius præclaræ, & ſtylus planè ad hiſtoricam copiam & filum accedit. Quod ſi cui forſan erga Pontifices ſtudio nimio fuiſſe videtur, non eſt nihil, quod eum excuſet. Hoc tamen etiam atq; etiam in eo culpandum, quòd de maioribus Henrici Imp. explicauit negligentius. Verùm id incommodum ſuo loco qualicunq; opera noſtra ſarcietur. Iam quod ad ipſum Henricum Imp. attinet, occurrunt in eo variarum rerum documenta, quæ ſingulatim enarrari, *inſtitutum noſtrum* non ferebat. *Illud* quidem meritò omnes deploramus, quòd pro tantis virtutibus vita & imperium ei breuius contigerit. Neq; enim dubium eſt, eum auctoritate ſua totam Italiam pacare, & Imperij maieſtatem collapſam reſtituere potuiſſe. Sed nihil ſcilicet in rebus humanis non dico perpetuum, ſed nec diuturnum: & prudenter Poëta:

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu, quæ valuere, ruunt.

Inte-

Interim tamen eo ſaltem nomine beatus videri Henricus Imp. poſſit, quòd cùm omnia proſperè geſſiſſet, priuſquam alteram fortunam experiretur, morte ſua ſe quaſi ſubduxerit. Quemadmodum breue T. VESPASIANI imperium cum AVGVSTI longæuitate comparatur, quòd nec is adamatus eſſet, ſi pauciores annos vixiſſet, nec hic ſi plures: quoniam ille principiò propter bella & ſeditiones aſperior, lōgo illo ſpatio beneficentia inclaruit: hic moderatè geſto imperio, in ipſo gloriæ faſtigio deceſſit, quòd ſi diu vixiſſet, crimini dari potuiſſet, eum maiore fortuna quàm virtute vſum fuiſſe, vt eſt apud Zonaram. De vita Caroli IIII. hiſtoria nondum, quod ſciam, typis exſcripta eſt. Nec exempla, quibus vſi ſumus, aliter ferè variabant, quàm quòd Boiemica alicubi pleniora erant, & additam orationem funebrem habebant. Quare neq; hanc omittendam duximus, præſertim cùm de vita Caroli expoſitiones non parum confirmet. Sed de oratione plura in-

ra in-

ra infrà. Quòd alteri Boiemico Caroli historiæ exemplo subscriptus esset annus M.CCC. LXIII. qui fuit imperij ipsius XVIII. id eò retulerim, quòd hoc anno Carolus eò vsq; expositiones suas perduxerit, seu, vt Lupaciani codicis habet ὑποχαφὴ, dictârit. Eadē ὑποχαφῇ illud quoq; monetur, historiam hanc in linguam Boiemicam versam, idq; fortè Caroli iussu. Quod si ita se habet, satis inde patet, quanti ipsemet eam fecerit. An autem quæ Carolus pertexuit, vel ipse de industria, vel sequentis ætatis incuria, imò etiam Boiemici regni perturbatio suppresserit, atq; aboleuerit, nihil, quod affirmem, habeo. Nisi forsan suspicari malimus, eam elaborationem Carolum instituisse quidem, sed non absoluisse, ne scilicet noxas quasdam suas vel prodere vel excusare impensius cogeretur. Notum enim, quid in eo Aeneas Syluius, quid Volaterranus, quid alii desiderent, nempe tantopere Romanis legibus damnatum ambitum καὶ πλεονεξίαν: omitto per Italiam & Galliā alienata Imperij iura, omitto emtam largi-

 tioni

tionibus immodicis, imò in manifestum imperij detrimentũ vergẽtib9, VVENCESLAO F. successionem. Qua de causa Ioachimus Camerarius ijs Regibus & Principibus Carolum annumerauit, quorum nomina imperijs fatalia fuere. Quemadmodum enim à CAROLO MAGNO Rom. imperium acquisitum, ita à Carolo IIII. vehementer labefactatum, ait. Cætera tamen is princeps egregius fuisse cognoscitur; & ne omnia de eo retexam, hoc quidem singularem commendationem meretur, quòd legem, quæ vulgò AVREA BVLLA appellatur, tulit: quod litterarum studia apud Boiemos excitauit, condita amplissimis, & planè regijs sumtibus, Academia Pragensi, in qua deinde IOHANNIS HVSSI opera doctrinæ Euangelicæ lux instaurata fuit: quòd insigniter eruditus, plurimum eruditis hominibus detulit: quòd tanti rerum memoriam fecit, vt ipse vitæ suæ historiam descripserit. Certè hoc in genere alijs omnibus gentis nostræ Imperatoribus palmam præripuit, ad MAXAEMILIANVM I.

vsque

vſq; : nam & hunc συγγραφὰς quaſdam compoſuiſſe, ferunt, ſed quibus hactenus careamus. Forſitan autem delicatioribus inde Caroli hiſtoria ſordere poſſit, quòd ea venuſtate, ea elegantia deficiatur, quam in veteribus Græcis & Latinis ſcriptoribus admiramur, quæq; hoc noſtro ſeculo in vſum reuocata fuit. Verùm non Carolus, ſed temporum illorum infelicitas accuſanda. Neq; enim ingeniū, ſed recta cultura Carolo defuit: quippe qui doctrinarū, quæ tum traderentur, peritiſſimus extiterit. In eodem etiam meritò laudauerimus tot linguarum ſcientiam, laudauerimus in commentando aſſiduitatem. Nam hæc vitæ eius hiſtoriā peperit, quòd iſta longè honeſtiſſima perſuaſio animū eius occupaſſet: OMNE TEMPVS A REIP. ADMINISTRATIONE VACVVM SIBI PERIRE, QVOD STVDIIS NON IMPERTIRETVR, ſecundum Plinij maioris apophthegma. Enimuero eorum, qui ad clauum reipub. ſedent, infinitas & catenatas occupationes eſſe, haud quiſquam inficias iuerit. Vt tamen his ſūmi & laudatiſſimi quiq; Reges & Prin-

cipes id otiū suffurati fuerint, quod Historiæ vel scribendæ vel legendæ impenderent, alibi ostendimus. Nec mirum, quando hæc disciplina optima & rectissima vitæ magistra & sit & habeatur. Et memorabilis est Plutarchi de PHILIPPO, rege Macedonum, & DIONYSIO iuniore narratio, qua veluti modum expressit, quo id, quod diximus, studiū Reges & principes præstare soleant: ideò asscribere placuit. *Cùm Philippus Macedo*, inquit, *in compotatione per iocum de carminibus & tragœdijs, quas Dionysius senior reliquerat, mentionem faceret, simularetq́ se mirari, quodnam ei ad eas componendas tempus vacasset: haud ineptè respondit Dionysius, tunc temporis eum his rebus vacasse, quo & ipse & Philippus, alijq́, qui beatorum nomine censerentur, culullis se oblectent.* Hactenus Plutarchus. Vbi tamen notandum, à Suida non tantùm poëmata, id est tragœdias & comœdias, verùm etiam historias Dionysij nominari. Quod attinet ad Orationem funebrem, cur eam historiæ de vita Caroli subiiciendā duxerimus, paulò suprà monuimus. Nec refert, quòd magis eius temporis scholasticam Theologiam, quàm Demosthenis lucernam redole-

redoleat, & penè tanto Imperatore indigna sit. Etenim vel voluntatem laudandam, si vires desint, Poeta docet. Et videtur illi venia deberi, quam de Caroli historia attulimus. Sic enim sentio, euenisse de eo, quod idem Poëta de Ennio habet:

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Sanè de Virgilio Sabellicus tradidit lib. 2. exemplorum, eum in lectione Ennij deprehensum, & quid ageret, interrogatum, respondisse: se è stercore Ennii aurum colligere. Et de Plinio auunculo scriptum reliquit Plinius Cœcilius, *nihil vnquam eum legisse, quod non excerperet: nam dicere solitum,* NVLLVM ESSE LIBRVM TAM MALVM, VT NON ALIQVA EX PARTE PRODESSET. Quare etsi Oratio ista talis est, qualem esse diximus, tamen nec suo vsu caret: qua de re quia suprà egimus, hîc scholam eam abrumpo. Etsi prudentioribꝰ istud simul in mentem venire possit, cùm nos in feliciora tempora inciderimus, & summis ordinibus benigno & propitio fauore atque ope, & cæteris omni contentione, studio, o-

pera enitendum, vt tantum bonum conseruemus, nec qua desidia committamus, vt è splendidissimo lucis fulgore in similem superioris ætatis fumū relabamur.

Hæc cùm ita sint, & editio non pœnitendo cum fructu institui posse videretur, tuo eam nomini, CONRADE SVICHELDE, consecrare placuit: quòd antiquitatis & historiarum tam peritus quàm cupidus sis, vel potius secundum Apuleianum elogium, inter doctos nobilissimus, inter nobiles doctissimus existas: quòd laboribus nostris egregio studio faueas: quòd diuersis, iisque maximis meritis me deuinctum habeas. Enimuerò quod geris munus vt eximium plenumq; dignitate, ita æquè arduum, hanc cognitionem requirere, tam intelligis, atq; ab ea instructus esse, semper laborasti. Et est in medio, quantum siue exemplum, siue cohortatio tua in reuerendiss. & illustriss. Principis, HENRICI IVLII, Antistitis Halberstad. &c. Ducis Brunouic. & Luneburg. &c. Domini nostri clementiss. teneris ab annis profectu confirmando potuerit. Memini-

ministi autem veterem Ephesiorum legem, quam lib. 2. de vita sua inseruit ANTONINVS Philosophus Cæsar, præcipere, συνεχῶς μιμνήσκεσθαι τῶν παλαιῶν τινῶν τῶν ἀρετῇ χρησαμένων: quia, secundum Platonem, οἱ παλαιοὶ κρείττονες ἄμα, καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ἔκγονα θεῶν ὦσιν. Atqui tales & HENRICVM VII. & CAROLVM IIII. fuisse, imò talem hunc SIGISMVNDVM F. Imp. reliquisse, si candidè iudicauerimus, fateamur, necesse est. Nam Criticos, seu potius Momos, quid moremur? Et præclarè Horatius:

Vitijs nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis vrgetur:

præclarè Constantinus Manasses pag. 72. de Theodosio II. loquens: *Inter has virtutes,* inquit, *etiam mala quædam herba succrescebat, vt sunt res humanæ.* Et paulo pòst: *Nimirum in humana natura nihil est, quod omnino sit labis expers, & ab omni absurditate alienum.* Qui cum conuenit Zonaræ locus in historiæ eius fine: *Qui seuerius,* inquit, *in Imperatores inquisierit, equidem non arbitror vllum Romanorum principatu antiquitus potitum, inuenturum esse, in quo nihil ad consummatam laudem desideretur. Quo fit, vt cuiusque gubernatio ex morum & actionum eius præcipua parte iudicetur. Sine crimine certè quidem, & deteriorum effectionum prorsus expers*

nemo

nemo reperitur; id enim diuinæ felicitatis proprium fuerit, nec vnquam in hominis naturam cadet. Hæc ille. Ergo vt noſter ille Heros alterum nomine, vtrunq; verò paribus virtutibus repræſentare cœpit, ita nec gloria, vbi ætas eadē acceſſerit, æquaturū dubitemus. Qua in re quæ tuæ reſtent partes, hoc eſt, vt quod facis, digna te conſtantia, cura, fide facere pergas, vides, nec me monitore eges. Nunc eū mihi reſpectū tuū mirum in modum peto, vt qualecunq; officiū noſtrum in bonam partem, id eſt εὐμενῶς καὶ προθύμως quemadmodū de Artaxerxe habet Plutarchus, accipias, & erga me, erga iſta ſtudia mea volūtatem conſerues, quam ſemper nauaſti. Ego, quod policeri tantùm poſſe videor, gratiæ habendæ, & ſiquidem id etiam licebit, referendæ, omni tempore omni loco ſtudebo.

Benè & feliciter vale. Ex acad. Iulia
Helmæſtadij M. Martij D. X.
CIↃ. IↃ. XXCIII.

*

CON-

CONRADI VECERII, REGII SECRETARII, COMmentarius de rebus gestis Imperatoris Henrici VII.

HISTORIAM QVISQVIS AGGREditur scribere, eam maximè virtutem tacitè policeri videtur, vti fide nitatur assertio: pusillumq; interest, munusne commemorandi res gestas, integritatis suæ conscius vltrò quis suscipiat, an publicandorum potestatem actorum Cæsaris permissu nanciscatur. Idq; eò magis, quòd hunc quùm seligit princeps, non illud agit, vt bonum grauemq; velit efficere (quis enim præter immortalem Deum, cuiquam probitatem conferat?) sed quò veracem videri iniunctione mandati testetur. At Historicus vt *primùm res memorandas commendare* posteritati decreuerit, primùm omnium de moribus suis ipse videtur iudicium facere, seq; eum promittere, qui & fideliter & accuratè cogitata prompturus sit. Has res ego mecum etiam atq; etiam reputans, quanquam non ignorabam, propensiorem ilicò fore lectorem ad carpenda quæq; recentia, quàm comprobanda: sperare tamen cœpi, fieri posse, vt quùm singularem Regem describendi causa iustis rationibus assumptum cognouisset, institutum nostrum boni consuleret. Namq; & res dignæ videbantur, quæ referrentur in literas, & extabat, qui ante nos id fecisset, nemo, quod equidem nouerim. Tum necessitudo patriæ me vel maximè impulit, non ea quidem, vt principis nostri facta plus æquo prædicarem, sed quæ apud varias sparsim gentes, & barbaris linguis, & per partes legi compereram, in corpus libri cuiuspiam Latini possem redigere: omni interim soli natalis affectione seposita: alioquin nec veterum cuiusquam acceptanda esset industria: qui quùm re-

Historici officium.

¶Cicero: Prima est Histo: lex, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid verè non audeat, &c.

Recentes Historiæ inuidiosæ.

Reddit instituti sui rationem.

gum res maximis voluminibus posteritati traderent, eorum ipsorum tamen quos perscribebant, & clientes & populares habebantur: adeò quæ ex officio gerimus, ab ijs, quæ fortè priuatimq; fiunt, distinguuntur. Nunc ad inceptum redeo. Qui maiores Imperatori Henrico, aut omninò parentes fuerint, quamuis curiosa vestigatione cognoscere non potui: sed & vxor illi quæ cuiasq; fuerit, itidem propè in ambiguo est. Ipse, quod constat, Luceburgiæ Comitatum hæreditate obtinuit. Romam profectus, & Balduino fratri Treuirensis ecclesiæ Archiepiscopatum confecit, & summis Antistitibus ac bono cuiq; sapientiæ & comitatis ingens argumentum edidit. Fuit olim Luceburgia Treuirorum portio, idq; vt credam, propinquitate locorum adducor. Hanc postmodum Henricus Romano admotam imperio, Ducariæ dignitatis insignibus exornauit. Situs eius ab Arduennæ syluæ termino, quatenus hodie appellationem obtinet, ad Mosellam fluuium, cuius amnis Burdegalensis Ausonius carmine satis prolixo meminit, finitimarum ditionum his limitibus cingitur, Gallico, Lotharingo, Metensi, Treuerico, Iuliacẽo, Leodio. Oppida non amplius nouem, maior quondam numerus. Sed eum & pia, vt aiunt, Henrici liberalitas, tribus municipijs, Sareburgo, Vitelliaco, & *Treuirorum maximo templo donatis, & Gallica bella coarctârunt. Gens potiore ex parte Germanica, regione tamen Gallicam spectante, eius quoq; nationis moribus linguaq; vtens. Hæc de Henrici origine patriaq; tametsi pauxilla, tenuitatem confesso præmittere placuit. Quanquam non me præterit, circumferri iampridem libellum vernacula lingua conscriptum, de fœminæ Melysinæ præstigijs, octauo quoq; die pubetenus in anguem commutari solitæ. Quam inter maiores Septimi nostri connumerare nituntur. Eum vt nec approbare, ita nec refellere animus est. Cur enim non veneficia fieri posse concesserim, dum sic tradantur vt veneficia? Quis enim non illa fascina legens obstupescat, neq; tamen protinus tanquam conficta repudiet?

HENRICI VII. genus.

Auitus principatus.

Indoles.

Luceburgia.

Melusina drama.

Scylla

Scylla venit, mediaq; tenus descenderat aluo, *Ouid. 14. Metam.*
Cùm sua fœdari latrantibus inguina monstris
Aspicit, ac primò non credens corporis illas
Esse sui partes, refugit.

Et:

Cerbereos rictus pro partibus inuenit illis.

Sed à fabulante Poëta eos versus exaratos objicies. Historiam accipe.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes, *Virgil. 4. Aeneid.*
Quas velit, ast alijs duras immittere curas,
Sistere aquam fluuijs, & vertere sydera retrò,
Nocturnosq; ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Alius quoq; eiusdem professionis scriptor hunc in modum cecinit:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni, *Lucan. lib. 6.*
Incantata perit.

Libet & testimonium, quanquam non admodum diffinitum, vnius è nostris sapientibus afferre in medium. Hæc vel falsa sunt, inquit Diuus pater Augustinus, vel tam inusitata, vt meritò non credantur. *Lib. 16. de ciuitate Dei.* Firmissimè tamen credendum est, omnipotentem Deum omnia posse facere, quæ voluerit, siue iudicando siue præstando: nec dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam (quia & ipsa angelica creatura est, licet propior sit vitio maligna) nisi quod ille permiserit, cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla. Nec sanè dæmones natura creant, si aliquid tale faciunt, sed specietenus, quæ à Deo vera sunt creata, commutant &c. Quid? an non consonantia de ortu maximorum quondam principum aliorum traduntur? *Exemplis sibi fidem facit.* Alexandrum nempe Macedonem complexu Olympiadis matris draconisq; genitũ, ideoq; appellatum fuisse Hammonem? Scipionem Africanum & Diuum Augustum, eiusdem superstitionis interuentu conceptos? Quin & in Oceani Gallici

Gallicenæ vertumnæ. ¶ insula quadam nouem Gallicenas illas fuisse, tradunt authores, cùm alijs artibus præditas, tum vertendi se in quas formas liberet. Quibus ex locis ortam fuisse Melysinam, non est absurda coniectio. Sed de his aliâs. Certè prænobiles, tum in Gallijs, tum apud inferiores Germanos, scio familias, & patriæ nostræ deferentes prænomen, & in galeato imaginum apice (cuius stemmatis diligentissima, ac minimè perfunctoria cura fuit veteribus) id monstrum cupæ balneatoriæ insidens. Sed & turrim ingentem medio ciuitatis nostræ sitam, paulo supra ætatem nostram bona ex parte prolapsam vetustate comperi, in qua vanitatem illam fuisse peractam, fama per manus traditur. Postremò Carolum, felicissimum seculi nostri principem nondum pubescentem, cùm de nuptiarum fœdere cum Renata, Ludouici Gallorum regis filia, ineundo tractaretur, quanquam illi larga potestas erat è subiectis alijs gentibus titulum assumendi, totis tamen tabulis haud alia quàm Lucenburgiæ appellatione fuisse denotatum, non in minima gloria posuerim, vsq; adeò, vt nisi alijs vitijs suprà dictum opusculum laboraret, quippe in quo parum veri similia referuntur, interdum aduersa, nonnunquam dissonantia, non difficile fidem mihi faceret. Enimuerò quo commodius ad ipsius Henrici res nostra feratur oratio, & rectum visum est & necessarium, pauca prius de statu temporum illorum suprà repetere.

Insignia à Melusina petita.

Turris præstigiarum officina.

Carolus V. Cæsar.

¶ *Vide Pomponium Melam lib. 3. cap. 2. Meminit etiam suæ ætatis Vertumni Nicetas pag. 56. a.*

Philippi Pulchri R. et Bonifacij VIII. Papæ simultas.

ANno à Christo saluatore genito M. CCCII. Francorum Rex, Philippus, cognomento Pulcher, graue aduersum Pontificem Max. Bonifacium octauum, conceperat odium, tum Gibellinæ factionis studiosiorē existimans, tum quòd fidem temerè præuaricatum contenderet: Promisisse enim sibi paucis antè annis cùm alia quædam, tùm de summa Romani Imperij potestate ab Germanis ad Gallos traducenda, atq; adeò Carolum fratrem disertè fuisse in conuen-

tis nominatum, cui id decus primùm assignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc recidisse ad nihilum, Alberto Austrino, Teutonico principe, palàm nuper decretis eius comprobato. Eas Rex causas grauius secum considerans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neq; difficilis mox via Bonifacij irritandi inuenta. Columnia gens, Romæ opibus & clientelis insignis, Octauo inter comitiorum arcana suffragij iure, ne legeretur, obstiterat. Itaq; eis quoq; Bonifacius per speciem expilati thesauri Ecclesiæ effecerat, vt & ædes & suburbana familiæ publicè diruerentur, & qui eorum Cardinales iam essent, venerando collegio excederent. Interea Stephanus ex ea gente profugus in Gallia agitans, idoneus Philippo visus est, per quem initia malorum fierent. Cæptus comiter humaneq; haberi, liberaliusq; quàm fortuna exulantium est. Ad hoc Philippus, ne quid impotentiæ prætermitteret, sacerdotales Galliarum titulos, à Pontificibus antea pro decretis, proq; more sanctæ matris Ecclesiæ, componi solitos, ipse ordinare citra consensum præsulis Romani statuit. Quæ vbi summus Antistes intelligit, grauissimè tulit iniuriam, pessimi exempli, id quod erat, existimans, si vel antecessorum rectè constituta temerè rescinderentur, vel authoritatem Pontificiam laicus Princeps profanasset. Augebatur indignitas ipsius Bonifacij, supra quàm dici potest, ambitiosa magnitudine animi, & contumeliarum insolentis. Itaq; quò partes suæ iustiores vulgò noscerentur, lege potius agere quàm armis instituit. Prælatos Gallicos maiores conuenire Romam vniuersos iubet, ad publicam synodum celebrandam. Hi ne regno decederent, Philippi prohibitione intercluduntur. Quibus rebus ad Octauum delatis, increpatur Rex primùm per literas, deinde cùm castigationem contumaciæ paruipenderet, sacrorum participatione ar-

Albertus Austriacus Cæs.

Columnij. ¶

Stephanus.

Rex sui iuris tenax. ☿

Bonifacij Papales molitiones

Irrita dira.

 cetur.

¶ *Coniunge cum hac historia, quæ legimus lib. 5. Decretal. tit. 3. item Extrauagant. commun. lib. 5. tit. 4.*

☿ *Adde quæ habet Extrauagant. commun. lib. 5. tit. 7.*

cetur. Neq; eo minus Prælatis regni ipſe Luteciam accerſitis, cauſam quoq; ſuam approbare nititur. Pontifex ne nullam non rationem coërcendi Pulchri tentaret, Flandrorum partes tueri aggreditur. Ea tum gens, quòd ſuperbius imperatum ſibi diceret, Gallicum iugum detrectabat. Cum ſuperis quoq; Germanis amicitiam interiorem coniungit, iuſſo Alberto quibuſcunq; poſſet viribus, fines Belgarum, quatenus Philippici iuris eſſent, incurſare. Sed nihil ea Gallum à conſilio dimouerunt. Miſsi clanculum in Italiam, qui Campanos, ſi qui forſan priuatas ob iras infenſi eſſent Antiſtiti, corruptos auro traherent in ſententiam, cæteraq; comprehendendi eius idonea maturè appararent. Neq; euentus infando commento defuit. Anagniæ agens Pontifex, à Sarra Columnio, duce Gallicæ multitudinis, non prouiſo irrumpente ſumma luce circumuenitur, liberæq; cuſtodiæ traditum oppidani, immodicè (vt æquum erat) funeſto ſcelere conturbati, triduo demum elapſo, receptis animis exemerunt. Ipſe Romam regreſſus, dum vindictæ modos altius inueſtigat, morbum, vt creditur, ex ægritudine nactus interijt. Vndecimus Benedictus Octauum, Clemens quintus Benedictum, munere ſummi Pontificatus inſequitur. Bertrandum Gotthonem, quoad priuatus erat, appellabant, Burdegalenſem Archiflaminem. Is enim, variantibus nonnihil patrum ſententijs, inter alios duos Pulchro ab ſuarum partium Cardinalibus nominatus erat, quem Rex, quoniam id temporis plurimum poterat, ſi ita ſediſſet, ſolenniter nuncuparet. Philippus inſperatæ dignationis lætitia geſtiens, Bertrandum accerſit, in ſuaq; manu Papalia comitia, prolatis epiſtolis Cardinalium, repoſita edocet, cæterum poſtulata quædam, ſex capitibus comprehenſa, recipi ſibi prius, quàm res confici poſſet, oportere. Gottho nihil minus, quàm quæ iactabantur, vel ſperans vel cogitans, illudiq; ſibi exiſtimans, cunctari primùm: vbi ſeriò agere principem comperit, actis in præſens gratijs, capita ſe regiæ petitionis præſtiturum promittit. Data acceptaq; fide, placita

πλυντρα-γμοσύνη. Societas cum Alberto Cæſ. Captiuitas. Mors. Benedict9 XI. Clemens V. Rex comitiorum Papalium arbiter. Agit rem ſuam.

cita

cita curantur: Bertrandum Cardinales Gallici duodecim summum Ecclesiæ Romanæ sacerdotem in gratiam Regis consalutant: Italicos statim patres, vt idem facere vellent, epistolis, nuncijsq; celerrimis adhortati. Gottho vt primùm quæ ab Rege acta de se fuerant, Italis quoq; probari cognouit, Senatum statim Cardineum vniuersum, Regesq; transalpinos aliquot conuenire Lugdunum iubet, ad peragenda inaugurandi solennia. Id edictum tametsi Prælatis Ausoniæ non perinde arrideret, Pontificiam aulam trans Alpes concessuram gementibus: coiere tamen in ciuitatem designatam non infrequentes. Ibi declaratus ex more maximus Ecclesiæ Christianorum Episcopus, quintiq; Clementis appellationem sortitus, mox Philippum censuris (namq; id primum postulatorum caput extiterat) quibus innexum à Bonifacio diximus, exoluit, reliqua promissorum tempestiuè se effecturum affirmans. Sed nec ea Philippus posthabenda ratus, Pictauos in conuentum accersito Clemente, de cæteris desiderij sui partibus referri iussit *in medium*. *Summa petitio* erat de abolenda in perpetuum memoria Bonifacij. Neq; prætextu caruit flagitatio impudens, articulis quadraginta ingenio causidicorũ excogitatis, quibus Octaui mores, præter alia facinora, de hæretica impietate suggillabantur. Hîc verò hærere æstuareq; Clemens, quidnam consilij in re tam inexplicabili caperet. Namq; inde occurrebat sacramenti interuentu firmata promissio, hinc innocentia Bonifacij, qui vt neq; forsan insons prorsus criminum haberetur, ita non vllum extare de obiecto admisso indicium: quin exemplis, decretis, constitutionibusq; declaratũ abundè reliquisse, quanto studio, quantaq; fide gubernacula culminis Apostolici procurasset. Sollicito inter has curas Quinto, opportunè Nicolaus, Cardinalis Pratensis, interuenit: Cui, quòd arbiter omnium arcanorum haberetur, nudantur ordine omnia. Is, vt erat ingenio ad subita etiam quæq; moderanda dexterrimo, primùm confirmato Pontificis animo, scire se, quid potissimum illi consilij profuturum speraret, affirmat,

Clementis V. edictũ.

Inauguratio.

Rex diris solutus.

Vult damnari Bonifacij memoriam.

Nicolaus, Cardinal. Pratensis.

Vafri cõsilij auctor affirmat, regias in primis spes ali dissimulanter augeriq; placere, tum doceri cupidum principem, quo magis rata fiant, quæ ad Bonifacij cineres attinent, videri futurum consultius, si tanta res non nisi publici consilij Senatusconsulto firmetur: Quam sententiam vbi Gallus approbauerit, sedem conuentui Viennam inter Allobroges deligat, aliamue ciuitatem quampiam & liberam, & ad excedendum regijs finibus opportunam. *Conciliũ Viennẽse.* Placuit Quinto Cardinalis suggestio. Itaq; de voluntate Philippi Viennam maximo Christianorum conuentu edicto, Octauoq; de opposita impietate ex sententia patrum absoluto, ipse ibi paucos commoratus dies, Auenionem in Roberti Regis prouinciam sese contulit. *¶ Decreta huius habent li. quinq; Clementin.* Nunc tandem ad Henricum nostrum deflectat oratio. Anno à Christo nato M. CCCVIII. Rege Romanorum Alberto per insidias nepotis occiso, nunciatum est, Principes, quorum legendi Cæsaris ius est, de sufficiendo Imperatore parum conuenturos. *Cædes Alberti Cæs.* Philippus discordiam Germanorum cœptis suis optimè conducturam existimans, secretiorum modò consiliorum arbitros coire iussos de noua dispositione interrogat: *Philippus Rex consultat cum suis de Imperio in Galliam transferendo.* Venisse aliquando tempus suo quoq; seculo exornandi regni Gallici: sextum antea postulatorum caput, quod ad eum diem consultò noluisset Clementi prodere, id verò nunc expromere statuisse, de Carolo fratre substituendo in Imperium, deq; ea dignitate per Senatusconsultum in perpetuum transponenda in Galliam: Esse Clementem iam pridem in potestate, posseq; rem & iure & exemplo nixam, facilè transigi: Cui enim fiat iniuria, si vacantis imperij permutetur conditio? Idem fecisse Pontifices olim alios: Deniq; fatorum seriem conuenire cum eiusmodi proposito, vt quemadmodum principatus ille de Græcis quondam in Francos, sicut ei videbatur, deq; ea gente ad Italos, ac postremùm ad Teutones translatus crederetur, ita rursus ad Francorum posteritatem remigret. Mouit vniuersos proceres relatio regia, laudatoq; nobilitandi Gallorum regni desiderio, de consilij sententia decretum fit, vt & Philippus & Carolus

primo

primo quoq; tempore, antè etiam quàm Germani irent in suffragium, Clementem numeroso comitatu adeant, rumore quidem disperso, quasi ad persequendam Bonifacij criminationem veniant, reuera autem vt protinus quàm Auenionem inierint, Pontificem de sexta, & ad id tempus ignota, petitione commonefaciant: Eam occultationem nihil fuisse aliud, quàm de Imperatorio apice publicè trans ponendo in Celtas: Abdere verò rem placuisse eatenus, quam apud Bonifacium quoq; tentauissent, vt ne viuum regnantemq; Albertum affecisse videretur iniuria: Nec repugnaturum Clementem quantumuis audaci flagitationi, videlicet iam instructo exercitu verius quàm famulitio territum. Edicto per vniuersam ditionem dimisso, generosi clientes ad regium iter apparati conueniunt, equitum sex millia fuisse traduntur. Enimuero sicuti rectè institutis diuinus fauor arridet, ita improbè consulta, iuxta Sexti Pythagorici sententiam, funestus sequitur exitus. Permanauit certè ad Pontificem quamuis latitantis conciliabuli astutia. Quare denuò accersito Pratense, intimorum, vt diximus, omnium socio, ac iam antè exoso Philippum ob insectationem Bonifacianæ memoriæ, quæ si tolleretur è medio, & acta quoq; illius, in quibus Cardinalatus censebatur, quem Octauus illi contulerat, conuulsum iri verebatur, nouam huiusmodi ambiguitatem aperit. Ille ad innatam sapientiam versus, quàm maximis itineribus, inquit, & antequam Gallicæ petitionis mentio in Senatu fiat, nunciandum in Germania censeo, de successore quàm maximè maturè surrogando. Cùm Clemens, quem igitur præcipuum crederet, tantæq; successioni idoneum quæsiuisset, Pratensis ecclesiarumne libertatis respectu, an studio Gibellinarium partiū, an consuetudinis in vrbe quondam institutæ memor, Henricum ait, Luceburgiæ Comitem, nulli Germaniæ principum cedere arbitror, siue religionem,

γνώμη.

Pontificis sagacitas.

¶

Nicolaus Pratensis consultus.

προβούλευμα de Henrico VII.

B

¶ *Similem de Alexio, Patriarcha Byzant, locum habet Zonaras in Michaële Paphlagone.*

ligionem, siue fidem, seu certè magnitudinem animi spectaueris. Neq; dubium, si eò celsitudinis benignitate tua prouectus fuerit, nulla non re vel Pontificijs obtemperaturum iussis, vel immunitatem Ecclesiæ propugnaturum. Sanè clanculum & dissimulanter cuncta fieri oportet, ne si publico Senatu in patrumq; conspectu cogitata retexeris, qui Cardinales Philippo student, proditis illicò rebus, vota nostra conturbent. Itaq; quas ipse literas dabis in Alemaniam, pusilla modò formula placet obsignari, quasi non scriptas de rebus grauissimis. Ego seorsum prolixas de tota re alias exarabo. Iuuit assertionem Cardineam Henrici quoq; integritatis gloria, quam ex rebus fortiter probéq; gestis fama iam pridem exorta ad Clementem quoq; pertulerat. Delatis ad Germanos epistolis, req; intellecta, comitiorum solennia maturantur, valuereq; adeò pontificiæ Cardinalisq; literæ (qui & illud adiecerat, nisi bonis consilijs protinus obsecundarent, Cæsarei fastigij apicem, iure ne an iniuria, relicto Rheno, transiturum in Galliam) sed & maximè spectata virtus Henrici profuit, vti cunctorum suffragijs, ac ne vno quidem repugnante, Romani regni sceptra florenti iuueni deferrentur. Autores habeo, Luceburgi transacta fuisse comitia. Quod ascribendum putaui magis, ne ignorauisse eam rem crederer, quàm vt morem locumq; vetustũ tam tumultuario præsertim tempore prætermissum existimarem. Ille vt contra opinionem hominum per Celtas, perq; comitatum Pontificis renunciatus Rex fuit, Pulchellus, qui iam festinabat compellare Clementem, illusum se animaduertens domum irritus spei repetit, nunquam postea benè de eo Pontifice sentiens. Luceburgius, qui nihil minus quàm Cæsarea gubernacula sibi credenda cogitauerat, omnium primum gratias immortali DEO Electoribusq; agendas censuit. Mox ad ea, quæ & tempus & res & maleuolorum conatus ferebant, conuersus, mittit in oram Narbonensem, qui à Clemente postulent, vti ratam sibi facere surrogationem pro more dignaretur. Principes legationes, Sabaudiæ

Comitia Imperij.

Henricus VII. designatur Cæsar.

Philippus Rex corruus bians.

Cæsaris ad Papam legatio.

Comes

Comes (nomen, vt in plærisq; sequentibus, non traditur *) & Guido Namurcæus, Flandri Comitis frater, ambo ex propinquis regijs. Hi à Clemente, totoq; cœtu Cardineo comiter humaneq; habiti, mense Aprili, comprobationem actorum in Germania, causa cognita, impetrârunt. Decretum, vti è Cardinalibus Pratensis & Fliscus prima quaq; occasione in Italiam proficisci maturarent, gentibusq; cis Alpes habitantibus, Apostolica vice præciperent, ne quid impedimenti morarumuè, quo minus potestas nouo Regi petendæ Vrbis foret, astruerent, quin obœdienter atq; hospitaliter aduentum illius curarent excipere. Sunt qui legem adiectam fuisse probationi affirment, vt intra primum biennium ad motus Italiæ compescendos Romam solita expeditione properaret, simul ipse summos Imperatorij nominis fasces acciperet, quùm tres proximè antecedentes Principes eum honorem prætermisisse constaret. Sabaudo reuerso, voluntateq; Clementina perspecta, conuentus Aquisgranum indicitur. Coiere anno insequente ad id concilium inter alios proceres Dux Brabantiæ, Comes Flandriæ, & Comes Raynaldus. Ibi peractis solennibus, generoso vertici regiū diadema Archiepiscopus Agrippinæ more maiorum ad octauum Idus Ianuarij imposuit. Quem diem & constitutiones Ecclesiæ celebrari ob memoriam Magorum iusserunt, & tum publica lætitia celebriorem reddidit. Anno à Christo genito M. CCCIX. ad diem VI. idus Maij, cœlum ardere visum, discurrente flammæ vertice è plaga Boreali in meridiem. Quo typo aduentum Henrici portendi, Italorum multi crediderunt. Interea Carolus, Siciliæ Rex secundus, Gallicæ originis, cis fretum regnans, rebus humanis excessit. Plures huic filij, nempe

Guido Namurcæus.

Pratensis & Fliscus Cardin.

Conuentus Aquisgranensis.

Cæsaris prima inauguratio

Prodigiū.

Carolus II Rex Neapol.

B 2

* Nota auctoris σφάλμα, Habuit enim tum Sabaudia Comitem Amedeum, quo natus Ludouicus, de quo Caroli IIII. historia. Vide Chronicon Bergomatis. pag. 328. b. Item Burgundic. Vignierij pag. 157. & 160.

Carolus Martellus F. nempe maior natu Carolus, Martellus cognomine, & Robertus. Martellus viuo etiamdum patre mortem, sed filio relicto, obijt. Qua in specie, exq; facto ipso, larga disputandi materia Iureconsultis est nata, Nepósne antecedere iure posit patruum in successione auita. Sed & responsis prudentum & Pontificia pronunciatione quadam Robertus annixus, compendium hæreditatis obtinuit, paternaq; *Robertus alter F. & successor.* nece comperta, mox Auenionem properat. Ibi nullis non modis Clementis amicitia comparata, adeò promouit, vt & Rex vtriusq; appellaretur Siciliæ, & quicquid præterea alieni æris patri, auoq; per belli quondam tempora Ecclesia Romana crediderat, illi ferretur acceptum: summa aureorum sex millia superauisse putatur. Tantis beneficijs Robertus se obnoxium sentiens, actis ad tempus gratijs, operam curamq; Clementi omnem gratitudinis ostendendæ pensandæq; dignationis detulit. Hic Quintus, qui Luceburgium, vt suprà tetigimus, paulo antè Regem Romanum declarauerat, siue suspectam habens Henrici poten- *Vasconica fides.* tiam, siue contractæ amicitiæ Vasconico more pertæsus, Siculum Romandiolæ Comitem facit. Eamq; Robertus prouinciam Gíliberto Zantillio Vicecomiti demandauit. Quæ res perpulcram Gibellinis Imperatorij iugi detrectandi potestatem tribuit, vel tantula rebellandi occasione gestientibus. Luceburgius nihil eorum negligendum ratus, quæ ad amplitudinem Augusti principatus pertinent, summa ope annisus est, vt quàm celerrimè documentum aliquod præberet, quantus & quàm propensus sibi esset *Cæsaris edictum de professione Italica.* animus pontificiæ dignitatis excolendæ, dimisso edicto per prouincias, vt quisquis nobilium Augustale beneficium obtineret, die constituto vellet adesse, solennemq; professionem Romanæ mitræ capiendæ caussa pro conditione, proq; consuetudine sua, curaret exornandam. Ipse vniuer- *Ioannes F.* sa Germania Ioanni filio demandata, cum non adeò grandi comitatu iter ingressus, Alpibusq; propinquans, Lausani constitit, reliquam partem exercitus opperiens. Eò mox legationes ex Italia salutandi causa certatim occurrunt.

At

AtGuelphorum factio, in Hetruria Cisalpinaq; degentium, quam semper antehac Teutonicæ felicitati aduersatã constat, in multo maximum metum incidit, & fama numerosi exercitus, & reliquæ Italiæ proniore consensu: præcipuè verò Florentini, inter spem metumq; ancipites, hostiliter ne an deditione fortissimum ducem exciperent. Præualuit tamen sententia, vi potius quàm abiecta formidine agendum censentium. Itaq; quo vel conturbaretur inauguratio, vel lentius certè succederet, conscripta per totam ciuitatem iuuentute, accitisq; militibus alijs voluntarijs, præsidium haud contemnendum efficiunt. Ad hoc pecuniam, frumentum, cæterasq; res comparant, vel stipendio, vel obsidioni necessarias. Deniq; fœdus cum Siculo Roberto, ciuitatibusq; Hetruscis ac Cisalpinis aliquot faciunt. Pisanorum longè diuersa sententia. Hi quò sese Gibellinarum partium, atq; adeò Cæsarei nominis quàm maximè studiosos Henrico in ipso Italiæ ingressu comprobarent, donum regi aureorum millia XL. submiserunt. Eò veluti viatico præditus (quippe cuius ærarium, vt veris agamus, virtute esset quàm nummis instructius) Septembris exitu mouit è Lausano, superatoq; monte perquam arduo (Senisium vocant accolæ) Taurinum est inuectus. Illinc decimo die quàm accesserat, Insubres ingreditur, ibi quoq; magno apparatu acceptus, Astensium dissidia haud exilia summa cura composuit Constabat id temporis regius comitatus equitum duobus millibus, quùm residuum perinde expectaretur. Mansit itaq; apud Astam toto bimestri atq; amplius, & reliquam, vt diximus, copiarum partem opperiens, & de ineunda Insubrium ciuitate consultans.

Guelphi. ¶

Florentinorum bellicus apparatus.

Pisani Cæsarei nominis studiosi.

Taurinũ.

Astenses.

¶ *De factionibus Guelphorum & Gibellinorum Chronicon Bergomatis pag. 311. Chalcocondyl. pag. 97. b. & alij. Memorabile est, quod habet Supplement. Schafnaburg. ad ann. 1334. Benedictus XII. Papa, inquit, sanxit, vt nomina Guelphi & Gibellini anathema essent, neq; ab aliquo vsurparentur: quia discordiæ incitamentum essent.*

¶ Turrianus. Gnidottus Turrianq, Guelphæ factionis princeps. ¶ Vide Chronicō Bergomatis pag. 323. Fliscus Cardin. ✶ Castonus, vt Nauclerus. *Cæsaris al tera inauguratio. Fluentini. Maphæus Vicecomes. ☿ Legati & præfecti Cæsaris. Gnidottus studet rebus nouis.*

sultans. Gnidottus † Turritus sapientia atq; opibus clarus, genti ea tempestate præerat. Is audito in primis aduentu, vereri cœpit, ne diuersæ factionis pars (Gibellini erant, violentia illius acti in exilium) occasione Germani aduentantis in recuperanda dignitate vteretur. Itaq; præsidium ad vrbis suæ tutelam comparat duorum millium atq; amplius. Ipsi fœdus atq; hospitium erat cum toto Guelphorum genere, per Italiam agentium. Sed & operam dabat, quibuscunq; poterat artibus, ne mœnibus reciperetur Henricus, Gibellinæ scilicet factionis patronū, vt paulo antè scripsimus, futurum metuens. Neq; tamen obtinere potuit, quin bona ciuitatis pars Regis amantior, simul Cardinalis Fliscus, tum legatus Apostolicus, Clementinaq; mandata conficere cupiens, Luceburgium vltrò inuitarent. Rex Romanus, dolentibus Gnidotti oculis, pridie Mediolanum Dominici natalis inuehitur, dieq; sequenti octauo, ✶ Antistes eius diœceseos in Ambrosij beatissimi delubro mysterijs vacantis Henrici verticem secunda corona redimiuit. Augustæ quoq;, quam vnà secum aduexerat, idem honor habitus. Affuere solennibus omnium ferè Italiæ ciuitatum legati Gibellinarum modò partium, ita vt Fluentini duntaxat oratores desiderarentur. Insubrium quoq; interim discordiam, quanta fieri potuit cura, sedauit, adeò vt & Maphæum Vicecomitem cum sodalibus, & ciuitatis Archiflaminem, cæterosq; proscriptos, reductaret in vrbem. Eò tum quoq; legati frequentes ciuitatum Italiæ gratulatum accedunt, ita vt tota passim Ausonia, Bononiam excipio, & Paduam, Vicarij Augustales dimitterentur, acciperenturq; Comites. Inter hæc Gnidottus exosus felicitatem Maphæi, quibuscunq; rationibus poterat, vindicare priscam fortunam molitur. Ac ni sapientia Vicecomitis infaustis cœptis fuisset occursum

(namq;

☿ Chronicon Bergomatis Matthæum vocat. Idem de familiæ primordijs pag. 319. Sunt etiam de eadem præclaræ Volaterrani & Leandri Alberti expositiones.

(namq; rem omnem ordine primoribus regiæ aulæ exposuit) maximus in ciuitate tumultus extitisset, non partibus modò noxius, sed & formidolosus Principi, qui iam securior, bonam exercitus partem per finitima loca neglectim disperserat. Sunt qui dicant, Maphæum quò certius animum Turriti pernosceret, simulasse societatem partiū, accusauisseq; multis modis supercilium Cæsarum, quod id genus Reipubl. principatum nomine, seruitutem re ipsa præ se ferret: satius esse, æquabilem libertatem omnibus viribus propugnare, quàm ingenuos ac fortes animos Germanico iugo supponere: reciperet modò animum, seq; in priscam præfecturam ipse reponeret, nec detrectaturum populū ne nunc quoq; gubernacula quòndam sibi cognita. His atq; eiuscemodi dictis peruictum Gnidottum cuncta simpliciter credidisse, promisisseq; Maphæo, & vafro aduersario & restituto in gratiam, quem impensè cauendum esse, veteri docemur adagio. Illum, Gnidotto prodito, fabulam omnem denarrauisse Regi. Neq; defuisse impiæ criminationi fidem, ita vt die dicta, Turritoq; adesse iusso, cognitio pararetur. Sed is iudicio consiliorum intellecto, furtim ad Guelphos transijt. Ijsdem dieb. Cremona, Gnidotti exactione comperta, simul Florentinorum adducta instinctu, rebellis Henrico efficitur, sed & qui Brixianorū Gibellini erant, successibus Impatoris auditis, Guelphos vrbe exegerunt. Idem Parmæ factum. Quibus rebus Cæsar cognitis, mittit qui eas quoq; rixas consopirent, exulibus reductis in patriam. Sed breui pòst tempore Guelphica pars, Felsiniorum Florentinorumq; confisa præsidio, Brixia Gibellinos inuicem depulit, ex professoq; hostis Imperatori efficitur. Anno à Christo genito M. CCCXI. mense Aprili, Imperator Henricus obsessa iamdiu Cremona, Geneuensem Episcopum, cognatione sibi deuinctum, cum turmis ad Patauinos coërcendos mittit, quos à Bononiensibus stetisse diximus. Ab eo Vincentia, quæ Paduani iuris erat, bello capitur. Præsidium in arce consistens, fuga dilapsum. Ea victoria ipsos quoq; Patauinos metu vsq;

Maphæus cretizat cum Cretensi.

¶ Ab inimico recōciliato caue.

Fuga Gnidotti.

Cremona rebellis.

Tumultus Gibellinorum & Guelphorum.

Episcopus Geneuensis eiusq; successus.

vſq; adeò perculit, vt ſuppliciter ſeſe fidei in primis tradiderint, aureorum millia centum ob contumaciam pendere, Cæſareumq; præfectum recipere iuſsi. Idem Antiſtes profectus Venetias, tributum pro vetere conſuetudine poſtulauit. Appulſo honor ingens habitus, adnumerataq; in tiaram Romanam talenta Veneta mille. Eadem in ciuitate ipſum inſigne confectum, ſolido ex auro coronam varijs maximiq; precij gemmis adornantibus: ſellam quoq; argenteam, auroq; circumlitam, fabricatam ibi tradunt. Interea ſedente ad Cremonam Henrico, obſeſsi, quia parum muniti erant ad obſidionem ferendam, ſimul Archiepiſcopi Rauennatis interuentu, ſeſe ſub conditione tributi pendendi vltrò dediderunt. Eidem mandatum Antiſtiti, muros ciuitatis caſtellaq; demoliri. Cæſar Cremonenſi bello perfecto, ad Brixiam quoq; circumſidendam feſtinat, non aliâs pari inſtructus exercitu. Qui parciſsimè numerant, equeſtrium Germanorum validæ armaturæ ſex millia fuiſſe tradunt. Nam vt rumor per tranſalpinas quaſq; prouincias de Mediolano, cæteriſq; ciuitatibus ſubiugatis increbuit, vix dici poteſt, quanta & quàm fida multitudo militum certatim adflueret, pars emerendi ſtipendij ſtudio, cæteri amore vncti Regis adducti. Pro certo creditur, Henricum, ſi in primis abſtitiſſet, relictaq; Brixia proceſsiſſet in Hetruriam, non Thuſcos modò, qui recentis defectionis ſibi conſcij, iram iuſtiſsimi vindicis formidabant, ſed & quantam aperire non intereſt, partem Italiæ ſub iugum miſſurum: quippe qui parum prouiſi eſſent contra obſidionem, quorumq; nutarent iam animi, iuſtitia clementiaq; noui Regis impulſi. Sed is dum Ciſalpinæ pertinacius imminet, maiorum rerum occaſionem prætermiſit. Adeò vincere maximos Duces promtius ſcire compertum eſt, quàm vti victoria. Quippe virtus attenuata periculis, nullam non in partem de prouidendo circumſpectat: eadem rebus ſublata ſecundis, ſecuraq; ſui, quæ futura ſunt, negligit. Eodem anno ciuitates Hetruſcæ Guelpharum partium, Florentia, Bononia, Senæ, Luca, Piſtorium fœdus inter

Tributum Venetorum.

Diadema & ſolium regium.

Cremonẽſes dedunt ſe Cæſari.

Obſidio Brixiæ.

¶ *Fronte capillata, pòſt eſt occaſio calua.*

Epiphonema.

Fœdꝯ Guelpharum ciuitatum.

inter se aduersum Henricum sanciunt. Florentini præsidium equitum Hispani generis CCCC. quos à Roberto acceperant, misère Bononiam, itidemq; Senas & Lucam, si fortè ea regione Germanus statuisset incedere. Sed & quicquid Gibellinorum in ciuitatibus Guelphis versabatur, exactum. Sub hæc perstante Cæsare in obsidenda Brixia, variæ vtrinq; clades acceptæ: inter cæteros autem proceres, & frater regis & equitum magister, VValramus, magnæ indolis, ictu sagittæ percussus interijt. Corpus apud Diuum Barnabam conditur, quod templum nondum ciuitate clausum fuisse, Iacobus Philosophus in supplemento author est. Eo infortunio sublatos paulò antè Cæsarianorum animos resedisse, ob eximij iuuenis necem, Brixiani credentes, frequentius iam incautiusq; excursare cœperunt. Etenim die quodam licentius euagantes, intercepti, fusi, fugatiq; sunt. Cæsorum numerus ducenti. Capti ex ciuitatis primoribus quadraginta, inter quos Galeaceus, cognomento Brusatus, obsessorum Tribunus. Is quia fidem Regi non multo antè datam infregerat, quadrigarum violentia diuersam in partem miserum distrahentium corpus, perfidiæ pœnas exoluit. Cæteri captiuorum securi percussi. Nihilo magis proficiente ad euincendam contumaciam exemplo seueri supplicij, quin hostes cœlesti quoq; fauore adiuti videbantur, strue cadauerum, odoreq; diuturni exercitus incubantis, corrupto aëre, ita vt plurimi Teutonum varios in morbos inciderent, cogerenturq; aut miseri è vita excedere, aut inglorij, neq; id citra discrimen, repetere patriam. Procerum ea extinctorum tabe præcipuus Guido Namurcæus, cuius suprà meminimus, Flandrorum quondam tribunus in Curtracensi prælio, atq; ob id rerum gestarum claritate spectatus. Quam ob luem magna purpuratorum pars Henricum de soluenda obsidione sollicitat: illo magis intolerabilem ac minimè perseueraturam necessitatem hostium, quàm laborem exercitus obseruante: quare decedere non nisi compos voti statuit. Quibus rebus intellectis, obsessi effecti supplices,

VValramus, Cæs. frater, sagitta traiectus.

Brixianorum erumpentium clades.

Animaduersio in captiuos.

Pestilentia in castris.

Mors Guidonis Namurcæi.

Cæsar obfirmato animo obsidionem vrget.

C Cardi-

Cardinalis quoq; Flisci auxilio veniam consecuti, ad diem XVI. Kalendarum Octobrium fidei Principis sese dediderunt. Rex ciuitate potitus, murisq; protinus ac turribus demoliri iussis, tributum aureorum viginti millium, præterea obsides centum, quos ex omni ciuium multitudine selegisset, belli iure imperat. Magno stetit ea victoria, nempe vix quarta exercitus parte superstite. Cremonam hinc vt rediit, incœpit consultare de componendis rebus in posterum. Placuit ordinata Longobardia, præsidibusq; per ciuitates impositis, Ligures petere, Mediolanum, vt diximus, procurante Maphæo, Veronam Comite Scalari, Parmam Giliberto Corregio, Passarino Bonoposo Mantuam. Quæ res parum salutaris ciuibus extitit, iis, quos præfectos legum seruandarum causa in præsens præposuerat, superbè auareq; postmodum imperantibus. Nam illis & in primis occupatio, & aureolorum copia, vt in perpetuũ confirmarentur, quæ temporis causa concessa fuerant, effecerunt. Guelphorum ciuitates, vbi aduentare Henricum accipiunt, obsideri iussis itineribus Ligurum, remorari transitum illius conabantur. Iisdem diebus Clemens de repetenda Vrbe Romana ab Henrico compellatus per litteras, ipse consilio Ecclesiæ generali distentus, Pratensi Cardinali petendæ Italiæ inaugurandiq; Regis singulari mandato negotium impertitur. Cæsar ad diem vndecimũ Calendarum Octobrium maximo apparatu Genuam est inuectus. Principem dominumq; solenni more appellantibus: mox componendæ discordiæ ratio habita. Itaq; Opicino Spinulæ sociisq; iampridem exulantibus confecta restitutio. Quæ res ingentem illi dilectionem ciuium pepererunt. Ipsi millia aureorum dono data centum, regiæ verò coniugi viginti. Ea quùm insequente mense grauiter ægrotare cœpisset, res humanas reliquit. Elata tumulataq; solennem inter pompam apud Beatissimi Francisci cœnobium, pudicitiæ singularis religionisq; spectatæ fœmina. Anno à Christo genito M.CCCXII. ad diem quartum Calendarum Martij, Genua profectus Henricus classe trire-

Mulctat oppidanos se dedentes.

Constituit rem Longobardicam.

Tyrannicè præfectis.

Guelphi sui similes.

Nicolaus Pratensis, Pontificis legatus.

Cæsar appellit Genuam.

Opicinus Spinula.

Mors Augustæ.

triremium triginta, Pisas aduehitur. Quæ ciuitas nullo non genere apparatus, eoq; vel exquisitissimo, Regem excepit, dominum quoq; inter publicas acclamationes consalutans. Censebatur tamen in primis exercitus mille quingentis transalpinis equitibus: præcipui Germanicorum procerum, Archiepiscopus Treuirorum, Baldeuinus, cuius suprà meminimus, Episcopus Eburonũ, frater Barri Comitis, è propinquis regijs: Dux Bauarus, Comes Sabaudus, vterq; è propinquis regijs: Comes Foresti, Guido Viennensis, Delphini frater, Henricus, Flandrorum Comitis frater, itidem è propinquis regijs, Robertus, ipsius Flandrorum Comitis filius, Comes Viennæ, præfectus prætorio, quem nostri aulæ magistrum appellant, vir maximi in re militari nominis. Eodem anno, mense Aprili, Robertus Siculus, cuius suprà mentio est habita, de Romano Henrici itinere certior factus, cùm nulla aliunde lacessendi Regis extaret occasio, simul ita facere ab Vrsina factione iussus, Ioannem fratrem mittit ad vrbem cum equitum sexcentorum præsidio, litteris subinde scriptis ad ciuitates Hetruriæ Guelpharum partium, de summittendis opportunè Romam auxilijs. Ricardo Lunensi Comiti, quem Robertus Thuscis imposuerat, datum negocium Latij maturè ineundi, idq; cum phalange peditum duorum millium sexcentorum. Hi ad diem XVI. Calendarum Iunij Romam peruecti, Vrsinos conueniunt, moxq; de sententia consilij Capitolium, Hadriani molem, ac Vaticanum armatis insederunt, Petro Sabaudo, Senatore vrbis, coniecto in vincula, Columnijs alijsq; Cæsarianarum partium Lateranum, Mariam maiorem, amphitheatrum, Rotundam, Sanctamq; Sabinam occupantibus. Inter hæc Pisis Henricus, equitibus bis mille & hoc amplius constipatus, rectà per Thuscos Romam contendit, Viterbium absq; negocio capit, ibiq; dies aliquot constitit, occasionem inuadendi Vaticani expectans. Postquam tempus idoneum visum est perrumpendis insidijs, Viterbio promouet, occurrentesq; Vrsinos leuibus prælijs vertit in fugam. Simul popularibus

Effusum Pisanorũ in Cæsarẽ studium.

Proceres in comitatu Cæsa.

Guido Viẽnensis.

Robertus rex Cæsaris hostis.

Ioannes eius frater.

Ricardus Com. Lunensis.

Vrsini.

Columnij.

Cæsaris iter Romanum.

in ciuitate rem strenuè gerentibus, ante diem Calendarum Iunij vrbem visenda pompa introijt, protinus de expugnandis Roberti clientium reliquijs consultat. Itaq; missis qui singula factionis præsidia deturbarent, pro certo creditur, quicquid ibi Appulorum Ibericorumq; fuerat, depulsurum, nisi prælio quodam, sexto & vigesimo Maij die commisso, quùm alij ducum quidam, tum Leodiorum occubuisset Episcopus. Hunc enim perfractis (is erat ardor hominis) viarum custodijs, in castellum Angelicum properantem, Robertini, Florali ex area per obliquum progressi, circumueniunt, fugant, funduntq;. Cæsarianorum qui capti occisiuè fuerant, numerus millium duorum traditur. Eburonum, quem iam dicebamus, Antistitem in equum ab victore raptum, vehentemq; inermem Hispanus quispiam conspicatus, cuius paulò antè fratrem Alemani confecerant, quùm non aliam fraternæ necis vltionem euenturam speraret, lethali percussum vulnere, vt paucis pòst diebus moreretur, effecit. Eius interitu principis, qui & virtute & authoritate eminuisset, in regia longè maximus pauor Cæsarianos inuasit, Robertinis econtrariò lætitiam tristi casu afferente. Porrò Luceburgius, ne tempus omne vrbanis rixis attereret, statuit absoluere res, quarum causa potissimum vrbem petiuerat. Itaq; de sententia Cardinalium, conuentu in Lateranum ad diem Sextilium Calendarum indicto, Ostiensiq;, Flisco & Arnoldo Cæsareas infulas sacrato capiti imponentibus, quod felix faustumq; sit, prægrandi apparatu, singulariq; spectantium gaudio, Augusti nomen, apicemq; fastigij imperialis accepit. Peracta inauguratione, Bauarus cum parte procerum perfunctum se officio comitandi existimans, assumto commeatu in Germaniam abijt. Ipse Tybur paucis pòst diebus concedens, multa ibi veneratione incolarum exceptus, Pisas repetit. Guelphicæ ciuitates Hetruriæ vbi quæ Romæ acta fuerant, deq; principe decedenti intelligunt, iter illius rursum includere nitebantur. Ac veriti, ne parum instructi, copioso agmini minus resistere valeant, socios in vrbe

Clades & cædes Leodiensis.

Tertia Cæs. inauguratio.

Reditus.

Guelphicæ factionis hostiles molitiones

vrbe degentes per litteras commonefaciunt, vt & nouum amplecterentur consilium, & properare mox in Thuscos maturarent. Interim Cæsar Gallia repetita, per agrum Perusinum exercitu infesto progreditur, cunctaq; ferro & igne deuastat: Castellionem vi capit. Cortone, Aretijq; reuerenter occursum venienti, portæq; apertæ. Inde crebris cum Guelphica gente prælijs feliciter gestis, varijsq; Florentinorum castellis euersis, agrisq; vastatis, inopia pabuli proficisci compellitur. Ad eum Bonatiano in prædio (id loco vocabulum) agentem, legati à rege Siciliæ, Friderico, mari deportati, donum aureorum millia viginti afferunt, fœdus, amicitiamq; petentes. Postulatis eorum assensum est. Postquam Cæsar Pisas accessit, legibus coërcere hostes aggressus, quos bello persecutus fuerat, asperrima edicta in Thuscos Roberti partium promulgauit, & suos inuicem clientes pulchris beneficijs deuinctiores effecit. Quippe Spinulæ, cuius suprà mentio est habita, Marchioniq; Montisferrati, cùm alia dignationum genera, tum ius monetæ cudendæ tribuit. Tum de Roberto castigando tractatũ: Causa cognita, deq; consilij sententia, ob læsam maiestatem Romani imperij paterno illum regno, prouincialiq; Comitatu excidisse pronuncians. Quæ decreta post modum, defuncto Henrico, Pont. Max. Ioannes XXII. pro potestate rescidit. Estq; ea res in publica monumenta redacta. Sub idem tempus Henricus Flander, magister equitum Cæsaris, Pisanum agrum cum turmis circumuagari cœpit, arcemq; fortissimam, Petram sanctam, Florentinis & Lucensibus suspectantibus expugnauit. Imperator nihil actum ratus verbosis sententijs, nisi facta consequerentur, ad hoc Hetrusco bello finem commodissimè posse imponi, si ducem caputq; damnandæ audaciæ contudisset, traijcere in Campaniam ad ipsum Robertum armis perdomandum statuit. Icto, vt antè diximus, cum Friderico fœdere, missisq; in Germaniam, qui supplementum legionum conscriberent, placuit, vti die constituta, expeditam classem in Li-

Cæsar feliciter rem gerit.

Icit fœdus cum Friderico Arragon. rege Siciliæ.

Remunerat socios.

Proscribit Robertum regẽ. ¶

Henricus Flander.

Cæsaris apparatus in Robertum.

 gustico

¶ *Vide Clement. li. 2. tit. 11. vbi hæc proscriptio irrita pronunciatur.*

gustico sinu explicaret. Numerus Cæsareani exercitus ad armatorum quatuor millia traditur. Accessit eò & Genuensium classis triremiũ septuaginta, à Friderico quoq; Aragone triremibus qnquaginta submissis. Pisis Cæsar Nonis Augusti decessit: quo die Fridericũ quoq; Messana Rhegium traiecisse, postea compertũ est: eamq; ciuitatẽ expugnauisse cum oppidis aliquot alijs. Henricus iter per Heturiam faciens, vbi ad montem Apertum accessisset (id nomen loco tribuêre accolæ) ægrotare manifestò incipit, *Morbus.* tametsi iam inde à relictis Pisis initia morbi irrepẽtis anim aduerterat. Sed ipse qua erat integritate, animiq; magnitudine, ne die dicta temerè abfuisse crederetur, fidei quàm valetudinis rationem habere maluit: Inter medicamenta autem balneæ Maceratanæ indicatæ fuere. Itaq; eò loci ꝓfectus, procuratoq; de medicorum sententia corpore, sese Bononconuentum contulit. Ibi mox ingrauescente malo, *Mors.* excessit è vita ad diem nonum Calend. Septembrium, diuo Apostolo Bartholomæo celebrem, anno quàm imperium accepisset quinto, mense octauo. Defuncto Cæsare, id quod fieri in funere magnorũ ducum assolet, luctus incredibilis omnem comitatum perculit. Itaq; familiares defecti prin- *Funus.* cipe, pars Tentonicos lares repetijt, cæteri regium corpus protinus Pisas, vt viuus iusserat, singulari fide ciuitatis adductus, deportârunt. Ibi quoq; non à socijs modò, sed ab oppidanis quoq; maiorem in modum defletus, solenni atq; exquisitissima pompa effertur. Vitam instantissimi princi- *Elogium.* pis, qua acceperamus, vt puto, traditione narrauimus, quẽ non Italia modò, nullis neq; aduersis frangi potuisse, neq; secundis efferri, manifestò cognouerat, sed & barbaros lætitia inuicti ducis extincti obtinuit. Qui eo viuo nihil ꝓrsus rerum nouarum tentare ausi, defuncto cuncta per Italiam, vt postea constitit, miscuerunt. Neq; Pisanis cæterisq; optimatibus dubium erat, nisi maturatus fuisset interitus, regnũ Roberto bello ablaturũ: quippe cui percxiles essent ad propugnandum copiæ: ita vt ne signa quidem crederetur collaturus: quin cognito mox Imperatoris aduentu,

nauigio

nauigio aduolaturum Narbonam. Quod si Campaniæ obtinendæ facultatem Dij tribuissent, infinitum esset, quantum ille Rex & opportunitate commeatuum, & innata virtute moliri efficereq; potuerit. Fridericus, cui fœdus cum Imperatore percussum paulò suprà tradidimus, medio agens alto, vt excessisse Cæsarem è rebus humanis accepit, ingenti videlicet molestia animi consternatur: eratq; ea constantia Henriciq; amore, vt quoniam coràm videre viuum nequiuerat, extinctum saltem contemplari exoptaret. Itaq; Pisas non ob aliam rem nauigans, prolatum corpus regium inter vberes lacrymas conueneratus, recondi difficilè passus est, constantissimi ducis amicitiam immaturè sibi deplorans ademptam. Sed & Pisanus populus Henrici imitatus iudicium, quem ille socium sibi delegerat, hic principem sortiri decreuit, vltrò ei ciuitatis delato impio. Cæterū Fridericus satius existimans parta defendere, quàm nouis implicari, simul aliam sibi esse rationem, quàm Lucemburgio fuerat, *tuendi patrimonij*, successioné auitam aduentitiæ ciuitatis procurationi, actis gratijs, duxit præferendam. Pari cautela Sabaudus Henricusq;, quorum antè meminimus, vsi, delatas sibi quoq; ciuitatis habenas modestè recusârunt: ita vt tam pertinaci repugnatione principum Pisanos suspicio metusq; haud exilis incesseret. Veteranorum Cæsaris pars multo maxima Germaniam repetijt: reliqui voluntarij nomina Pisano præsidio tribuerūt. Sūma eius Reipublicæ in subsidium maiorum principum ad Vgutionem Faiolam delata est: is & Imperatoris antè nomine præfuerat Genuæ, & magnas postmodum res pro partibus Gibelinorum patrauit. Florentini non Imperatoris modò, priusquam obiret, exulumq; formidine, sed & seditione interna pullulante, coacti imperiū ciuitatis Roberto publicè detulerunt. Ac ne libertati vetustæ noua immutatio noxia fortè fieret, legem adijciunt, vt ne suprà quinquenniū potestas concessa teneretur. Idem ferè reliquæ ciuitates Hetruriæ Guelphæ fecerunt, ita vt euidéter appareret, eò iam necessitatum Henrici perseuerantia redactos aduersarios,

Fridericus Arragonius constantem amicum agit.

Eiusdem ἀντίῤῥοπα. [?]

Petrus Sabaudus. Henricus Flander.

Vgutio Faiola.

Florentinorum cū Roberto societas.

vti

¶ Marcellin. Fortuna moderatrix humano: casuũ. Habet similem locũ similiaq; exẽpla Niceph. Greg l.4.pa.134

vti intra paucissimos dies sub iugum mitti potuerint. Atq; iam olim varijs experimentis cognitum est, cùm alijs in rebus humanis, tum in bello primas obtinere partes fortunæ ludibrium. Ita Magnus Alexander tentato verius orbe terrarum, quàm domito, sed cui iam rerum vniuersitas ꝓpter felicitatem cœptorum destinaretur, in ipsis iuuentæ primordijs excessit è medio. Sic Hannibal, Cannensi victoria nobilitatior quàm prudentior, occasioné capiendæ Vrbis prætermisit. Scipiones in Hispania duo medijs rebus, medijsq; annis, res humanas reliquere. Patrum quoq; nostrorum ætate Mahometes, capto Byzantio, Hydrunteq; direpto, omnem sibi iam despondens Italiam, intercipitur. Nuper verò Britãniæ regem Henricum, captis duabus validiss. ciuitatibus Galliæ, perterritisq; ac consternatis absq; dubitatione hostibus, sapientia nó vita destituit: qui aut cœcus fuisse dictus est, aut certè si tantam opportunitatem ꝓuidebat, neq; tamẽ fortunæ suæ obsequebatur, excors. Hos, vt dixi, casus inter fortuita reponebat antiquitas. Nos ad DeumOpt. Max. publico consensu deferimus, è cuius æquissimo arbitrio quicquid rerum humanarum vel fit, vel dicitur, sumit originem. Varia de genere mortis opinio. Nonnulli venenũ malum niueo libello inditum asserunt: quod per ineffabilia mysteria commutatum, quotannis morituriq; libamus. Monachos prædicatorij ordinis, quibus ille ministris vtebatur in sacrificijs, horrendi facinoris extitisse autores, eamq; rem Beneuenutus Imolensis seculi eius in literas retulit. Fuisse tamen postea ex ea familia Cartusiensis in Fasciculo tradit, qui re delata ad Pontifi. Max. decretum causa cognita impetrârint, quo innoxius eius veneficij ordo vniuersus pronunciatus fuerit. Dominicani, qui Luceburgi agunt, hoc amplius Cœnobij sui autorem non alium citant quàm Henricum. Neq; ergo fieri potuisse, vti tantũ scelus in tam benè meritũ perpetratum extiterit. Nobis potius in medio relinquere placet disputationẽ funestã, quàm de infandæ audaciæ fama certam proferre sententiam.

Mahometes II. Othomanus.

Henricus VIII. rex Angl. ☿

Monachi insimulati necis Cæs.

¶ Vide Martin. Polonum, Bergoma. & alios.

Iidem excusati.

☿ Pertinet hæc hist. ad ann. Ch. 1513. Auctor Georgius Lilius: cui addantur Polydori Verg. Huberti Velleij & aliorum expositiones.

COMMENTARIVS DE VITA CAROLI IIII. IMP.

ab ipſo Carolo conſcriptus, & de eodem Oratio funebris &c.

HELMAESTADII.

CHRONICON PHILIPPI Bergom. ad annum Christi 1347.

CAROLVS eius nominis quartus, Ioannis, regis Boiemiæ F. vigesimus secundus Germanorum Imp. hoc anno, iubente Clemente Pontifice, ab Electoribus Imperator creatus, imperauit annos 32. Vir multarum linguarum & litterarum peritißimus, iustusq; & rectus & timens Dominum, bonos diligens, & malos sceleratosq; odio habens &c.

Idem ad ann. 1362.

CArolus Imper. hoc anno magnum procerum suorum concilium in Germania habuit. Vbi inter alias constitutiones hanc optimam de Regum & Imperatorum creatione edidit, hocq; præcipuum statuit, vt qui de cætero ad Cæsaream aspirarent dignitatem, etiam variarum linguarum peritiam haberent, & præsertim Latinè, Italicè, Gallicè, Liburnicè & Germanicè tenerent: Vt deinde creatus Imperat. varijs linguis, quibus postea præesset, sine interprete respondere posset &c.

CARO-

CAROLVS IIII. ROMANORVM IMP. &c. SECVNDIS* sedentibus in thronis meis binis, binas mundi vitas agnoscere, & meliorem eligere.

CVM BINAM FACIEM IN * AENIgmate respicimus, memoriam de ambabus vitis habemus. Quia sicut facies quæ videtur in speculo, vana & nihil est: ita & peccatorum vita nihil est. Vnde (a) aquilaris in Euangelio ait: Et sine ipso factum est nihil. Quomodo autem factum est nihil peccatorum opus, cùm ipse id fecerit? Peccatum quidem fecit, sed non opus. Opus denominatur ab optatione, & peccator semper optat delicias, & inquinatur per eas, fraudatur verò in *desiderio suo, quia corruptibilia desiderat*, quæ ad *nihilum rediguntur*. Et sic sepelitur vita sua cum ipso: quia cùm carnalia corrumpuntur, desideria sua finiuntur. De secunda autem vita ait aquilaris: Quod factum est in ipso, vita erat, & vita erat lux hominim. Quomodo autem faciemus vitam in eo, vt vita sit lux nostra? Id docet nos Saluator, dicens: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Qui viuunt de tali cibo spirituali, manent in æternum. Quomodo de ipso viuant, aduertamus. Nonne, si carnaliter varia cibaria & corruptibilia comedimus, appetitum ad ea nos oportet habere, & interiora nostra amplecti desiderare-

* secundos dicit filios & successores, VVENCESLAVM ET SIGISMVNDVM.

* Fortè ad Ianũ bifrontem alludit. Vide Vergilij carmen de littera Pythagoræ.

(a) Iohannes Euangelista, qui Theologi cognomẽtum accepit, quoniam de Deo scribendo seipsum superat, & melius altiusq; narrauit, quàm vel natura hominis ferat, vt Procopius lib. 5. de ædificijs Iustiniani pag. 446. Idem Suidæ in dictione νόνν@. ὁ παρθένος θεόλογ@ dicitur.

siderantér, & ea mittere per organa corporis nostri, vt conuertantur in sanguiné, & spiritus, qui in sanguine manet, cum vita nostra inibi posit manere? Sed quia carnalia corruptibilia sunt, homo moritur. Qui autem comedit cibum illum spiritualem, de quo anima viuit, nonne oportet, quòd homo in anima sua illum appetat, & desideranter recipiat, ac diligenter in caritate amplectatur, vt illius cibi feruore, scintillæ dulcedinis & amoris in eo generentur, in quibus anima nutrimentum suum habeat vitale, & in eo maneat? Et sicut in illo nutrimento nihil corruptum est, ita manentes in ipso carent omni corruptione, & viuent in æternum. Quod Saluator affirmat, dicens Iohan. 6. Hic est panis viuus de cœlo descendens. Et si quis de ipso manducauerit, non moritur in æternum. Vita æterna est lux hominis, quæ sine Deo effici non potest. Et ideo dicit idem aquilaris; Et vita erat lux hominum: quoniam aliam vitam reputat mortem. Et verè est mors: quia amarissima est. Quid autem amarius est, quàm amatores deliciarum has pœnas sustinere? Non enim sunt mortui tantùm, sed omni hora moriuntur. Viuentes autem in vita æterna benedicuntur, viuentes, quia vi morti restiterunt, delicias carnales refutando, & cœperunt in præmiũ delicias sempiternas. Sed multi comedunt spiritualem cibum sine appetitu & desiderio, & euomunt illum de cordibus suis. Væ illis: quia reatus illorum cum Iuda describitur, & portio eorum cum Dathan & Abiron, nec proderit animab. ipsorum ad nutrimentum. Nonne cognoscitis, quòd si bestia comedit sine appetitu, non prouenit ei ad nutrimentum, sed dolore torquetur? Multo magis vos torquebimini, quia pœna vestra erit æterna, sicut cibus est æternus. Quorum vestigia vos obsecro cauete, atq; in nutrimentum animarum vestrarum cibum illum cùm desiderate tum recipite. Et sine ipso nolite viuere, vt in æternum viuatis, sicuti non in solo pane viuit homo, sed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei. Nam panis cœlestis non solùm est panis, sed & verbum & caro, quæ si sola esset,

esset, non haberet nutrimentum vitæ æternæ. Quomodo autem ille panis sit caro, ait Saluator: Panis, quem ego dabo, caro mea est, quæ caro Verbum est, pro vt Ioannes in Euangelio ait: Et Verbum caro factum est, quod Verbum Deus erat, de quo idem: Et Deus erat Verbum. Et sic iste panis, Caro, Verbum & Deus est. Quem panem qui sumere vult, accipere oportet carnem, Verbum & Deum in illo pane cœlesti, qui panis Angelorum nuncupatur. In sumtione panis oportet vt sumatur verbum veritatis, de quo verbo Christus ait: Ego sum veritas & vita. Qui verbum veritatis non accipit (sumendo) non accipit illum panem. Oportet ergo eum, qui panem sumit, carnem sumere: quia cùm eum Dominus discipulis suis traderet, dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et sanguinem eiusdem carnis dedit eis, dicens; Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti, qui pro multis effunditur. Cùm autem homo sumit illam carnem, perdat carnem suam, & tradat eam pro Christo, tollensq́; crucem suam, *sequatur eum, vt particeps fiat mortis & passionis* eius, participans in futuro gloriam nominis sui. Cùm autem carnem sumserit, oportet eum & panem illum sumere verum, pro ut ipse ait: Ego sum panis verus, qui de cœlo descendi. Confirmauit nobis ipse Christus nouum & æternum testamentum per panem illum. De qua confirmatione Dauid canit in Psalmo: Et panis cor hominis confirmat. Dauid autem non imeritò figuratiuè de æterno pane loquitur. Nam domus eius Bethlehem vocatur, *Bethlehem domus panis.* quod interpretatur domus panis. De hac domo voluit Deus Christum suum nasci, qui est & verus panis. Et ideo nominat eum scriptura de domo Dauid, id est de domo panis. Confirmet autem ille panis corda & animas vestras *Votum.* in sancta dilectione & caritate sua, vt sic valeatis transire per regna temporalia, vt non amittatis æterna. Amen.

Cùm autem regnabitis post me decorati diademate *παραίνεσις.* Regum, mementote quòd & ego rexi ante vos, & in puluerem redactus sum, & in lutum vermium: similiter vos ca-

detis transeuntes vt vmbra, & velut flos agri. Quid valet nobilitas generis aut rerum affluentia, nisi assit pura conscientia cum fide recta & spe sanctæ resurrectionis? Non

Contra Epicureos

æstimetis vitam vestram sicuti impij, non rectè cogitantes, cùm exiguum sit, quod estis, quia à Deo creati, & ex nihilo nati sitis, post ad nihilum redigamini, tanquam non fuissetis. Scitote vos habere Patrem æternum, & Filium eius, Dominum nostrum IESVM Christum, qui primogenitus est in multis fratribus, qui vos vult participes fieri regni sui, si mandata eius seruaueritis, & non inquinaueritis mentes & conscientias, & voluntate sanguinis & carnis vestræ efficiemini filij Dei, pro ut Iohannes in Euangelio ait: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Si igitur vultis effici filij Dei, mandata patris vestri seruate, qui annunciauit vobis per Filium suum, Dominum nostrum IESVM

¶ Christum, Regem cœlestem, cuius typum & vices geritis in terris. Mandatum verò maius est, diligere Dominum Deum ex toto corde, & ex tota anima, & proximum sicut temetipsum. Si ea dilectione Deum diligetis, animas vestras pro ipso ponere non formidabitis, & non timebitis eos, qui corpus quidem possunt interficere, animam verò perdere non valent, sed timebitis patrem vestrum, qui potens est saluare, & mittere in gehennam sempiternam. Si

Initiũ sapientiæ timor Domini.

verò in timore Domini ambulaueritis, sapientia erit vestrum initium, & iudicabitis fratres vestros in iustitia & æquitate, prout ipsi speratis iudicari à Domino: nec sic deuiabitis in deuium: quia via Domini recta est. Eritq; misericordia vestra super egenos & pauperes, pro vt optatis misericordiam consequi de egestate & fragilitate vestra à Domino. Et sapientia vestra fortificabitur in robore Domini, & ponet vt arcum æneum brachium vestrum, & con-

¶ Δίκη νόμου τέλος ἐστί: νόμος δὲ ἄρχοντος ἔργον: ἄρχων δὲ εἰκὼν θεοῦ πάντα κοσμοῦντος, αὐτὸς αὑτὸν ἐς ὁμοιότητα θεῷ δι' ἀρετῆς καθιστάς. *Plutarchus in commentario ad indoctum Principem.*

conteretis bella fortia, & cadent impij coram vobis, iusti autem gaudebunt: cogitationes quoq; inimicorum vestrorum Deus dissipabit, & docebit vos facere iustitiam & iudicium, reuelabit vobis secreta, scrutinium iustum ostendet vobis, & non palliabit vir astutus malitiam suam ante faciem vestram: quia spiritus sapientiæ & intelligentiæ Domini erit in vobis, & velabuntur oculi iniustorum coram vobis. Tolletq; Deus de cordibus eorum verbum, & amentes erunt propositiones eorum, iustus autem saluabit vitam suam, sicq; erit honor regius: quia honor Regis iudicium diligit. Et sceptra vestra florebunt coram Domino: quia porrexistis ea lapso, & inopem extraxistis de laqueo venantium. Diademata vestra splendebunt, & facies vestræ illustrabuntur: quia oculi sapientum in ipsa respicient, & laudabunt Dominũ, dicentes: Adijciat Dominus dies Regis super dies eius: in generatione iustorum benedicetur semen vestrum. Auaritiam si odio habueritis, affluent vobis diuitiæ, quibus nolite cor apponere, sed thesaurizate vobis sapientiam: quoniam in possessione eius multa dominatio. Auarus autem non dominatur, sed subditus est pecuniæ ditioni. Peruersa consilia atq; consortia fugite: quia cum sanctis sancti eritis, & cum peruersis peruertemini: morbus namq; contagiosus est peccatum. Apprehendite igitur disciplinam Domini, ne quando irascatur, & pereatis de via iusta, cùm in breui exarserit ira eius. Si peccare vos contigerit, tædeat animam vestram vitæ vestræ, donec recurratis ad fontem pietatis & misericordiæ. Quanquam humanum sit peccare, Diabolicum tamen est perseuerare. Nolite peccare in Spiritum S. peccando in confidentiam Dei. Quia Spiritus Dei Sanctus elongatur à vobis, putandumq; est, quòd Spiritus S. peccati Zelator est. Non date in vobis locum iræ, sed mansuetudini; quæ mansuetudo vincit iram, & patientia malitiam. Nolite inuidere alterutrum, sed caritatem potius

Amentia pœna diuina.

ἀμοιβὴ piæ gubernationis.

¶

Auaritia.

Consuetudo bonorũ & malorum.

Pœnitentia.

ἔκδικον ὄμμα θεοῦ.

Mansuetudo.

¶ εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῷα, δυσσεβέων δ' οὔ. *Theocritus.*

Beneuolētia mutua tius habete inuicem: quoniam inuidia generat odium. Qui odit, non amatur, & in furore suo peribit. Qui verò caritatem habet, diligit, & est dilectus Deo & hominibus. *Superbia.* Si exaltari cupit cor vestrum, humiliate vos, nec veniat vobis pes superbiæ. Superbia ingrata est creatori & benefactoribus, & ideo non habet superbus gratiam, nec coram Deo, nec coram hominibus. Conteret autem eum Dominus in fine, deponens potentes de sede, & exaltans de puluere humiles, vt sedeant cum principibus & solium gloriæ teneant. *Gula.* Nolite crapulari à cibo & potu, sicut faciunt hi, quorum Deus venter est, quorum gloria & finis fecum accumulatio est. *Castitas.* Nolite renes vestros coinquinare, sed lumbos vestros præcingite, fortitudine mentis † concingimini. Quoniam Spiritus S. fugiet † luxuriæ se dantes, nec habitabit in corporib. peccato subditis. Abstinete vos à malo (a) accidiæ, ne vos trahat grauedine sua in profundum inferni. Cauete ergo vobis ab omni peccato in ætate tenera: quia paruus error in principio magnus erit in fine: Sed ambulate in lege Domini sine macula, vt benedictionem accipiatis ab eo, qui ait: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: *Pietas ad omnia vtilis.* vt sitis tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, sed ascriptum erit in libro vitæ, vbi scripta sunt nomina iustorum. Quod vobis præstare dignetur, qui dignus fuit aperire librum & signacula eius.

† al. cōiugium amplectendo. † libidini, vt & infrà.

Successioni vestræ diligenter scripsi verba præassumta sapientiæ & timoris Dei, quantum mea paruitas diuini auxilij capax fuit. Nunc de vana & stulta vita mea scribere cupio, ac de exordio transitus mei mundani, vt cedere valeant vobis in exemplū. *Historiæ vsus.* Gratiam autē à Deo mihi infusam, & amorem studij, quod mei pectoris habuit tenacitas, non tacebo, vt tanto magis speretis diuinum auxilium in laboribus

(a) ἀκηδείας incuriæ, aut certè ἀκκισμὸν dicit. Est autem ἀκκίζειν fictè recusare, dissimulare.

ribus vobis succurrere, quanto patres & prædecessores vestri magis annunciant. Nam & scriptum est: Patres nostri annunciauerunt nobis. Cupio igitur vos non latere, quòd Henricus VII. Romanorum Imperator, genuit patrem meum nomine Iohannem, ex Margaretha, Ducis † Brauanciæ filia, qui duxit vxorem nomine Elizabeth, filiam VVencessai II. Bohemiæ Regis, & obtinuit regnum Bohemiæ cum ea, quia masculinus sexus in progenie regali Bohemorum defecerat: & expulit Henricum, Carinthiæ Ducem, qui habebat in vxorem * sororem seniorem vxoris suæ dictæ, quæ mortua est in posterum sine prole. Qui regnum Bohemiæ causa eiusdem sororis ante eum obtinebat, prout clarius in Chronicis Bohemorum continetur. Genuitq; idem Iohannes, Rex Bohemiæ, cum Elizabeth regina me primogenitum suum nomine VVenceslaum, anno Domini M. CCC. XVI. prid. Idus Maij hora prima in Praga. Deinde alium filium nomine Ottogarum, qui in puerili ætate decessit. Demum genuit & tertium nomine Iohannem. Habuitq; prædictus Rex duas sorores desponsatas: * vnam tradidit Vngarorum regi, Carolo primo, quæ sine liberis mortua est. * Secundam verò dederat Carolo, Francorum regi, ipso regnante in Francia anno incarnationis Domini M. CCC. XXIII. Misitq; me meus pater iam dictus ad dictum Regem Franciæ, me existente in septimo anno pueritiæ meæ. Fecitq; me dictus Rex Francorum per Pontificem confirmari, & imposuit mihi nomen suum æquinocum, videlicet Carolus, & dedit mihi in vxorem filiam Caroli, * patrui sui, nomine Margaretham dictam Blancam. Mortuaq; est vxor sua, soror patris mei, anno illo sine prole. Demum idem Rex aliam sibi in matrimonio copulauit. Dilexitq; me præfatus Rex valdè, & præcepit

Maiorum præclara facta stimuli virtutis.

Genealogia familiæ Lucemburgiæ.

* Annã, vt infrà. ¶

Carolus IIII. nascitur.

Ottogarq.

Iohannes.

* Beatricem.

* Mariã.

Carolus septennis mittitur in Galliã.

Margarita Blanca.

* Comitis Valesij.

E

† al. Brabantiæ: est enim deprauatum nomen à Latino Prouincia: antea à LOTHARIO Cæs. dicta Lotharingia inferior.

¶ *Vide Dubrauium lib. 19. Aeneam Syluium cap. 30. & seq.*

Caroli mystae praeceptor. pit Capellano meo, vt me aliquantulũ in litteris erudiret, quamuis prædictus Rex ignarus esset litterarum. Ex hoc didici legere horas B. Mariæ virginis gloriosæ, & eas aliquantulum intelligens, cotidie temporibus meæ pueritiæ libentius legi: quia præceptum erat custodibus meis ex parte Regis, vt me ad hoc instigarent. Rex autem prædictus non erat auarus pecuniæ, & vtebatur bono consilio, & curia eius resplendebat senum principum tam secularium, quàm spiritualium congregatione. Facta est autem magna dissensio inter Regem Angliæ, qui erat temporibus illis, & inter prædictum regem Franciæ. Rex autem Angliæ habebat in vxorem * sororem prædicti regis, quam idem Rex expulit de Anglia vnà cum filio suo primogenito, nomine Eduardo. Quæ veniens ad fratrem suum, permansit in exilio in Francia vnà cum filio suo primogenito. Rex verò Franciæ indignatus proper expulsionem sororis suæ & sororini, rogauit socerum meum, Carolum, patruum suum, vt vindicaret tantam verecundiam progeniei ipsorum factam. Qui assumto exercitu intrauit Aquitaniam, & quasi eam in toto deuicit, excepta Burdegala cum aliquibus fortalicijs siue castris. Reuersusq; dictus Carolus in Franciam triumpho obtento, tradidit filiam filiæ suæ, Comitissæ Hannoniæ, sororis vxoris meæ, filio prædicto regis Angliæ, Eduardo, tempore exilij in vxorem, associataq; sibi † comitiua, misit ipsum in Angliam. Qui inuasit in patrem, & captiuauit eum, & priuauit eum regno, & imposuit sibi diadema. Eodem anno interemtus fuit in carceribus pater filij prædicti. In illo etiam anno mortuus est Carolus, socer meus, & dimisit filium primogenitum, nomine Philippum. Eodem quoq; anno in purificatione B. Mariæ obijt Carolus, Francorum Rex, relicta vxore prægnante, quæ peperit filiam. Et cùm de consuetudine regni filiæ non succedant, prouectus est Philippus, filius soceri mei, in regem Franciæ: quia propinquior erat hæres in linea masculina. Assumsitq; dictus Philippus consiliarios prædecessoris sui: sed eorum consilijs minimè acquiescens,

O egregiũ Regem.

Galli & Angli simultas.

* Isabellam.

Carolus Valesius rem feliciter gerit.

Eduardus III Rex Angl.

† exercitu.

Philippus Valesius, rex Galliæ

auaritiæ

auaritiæ se contulit. Fuit vnus inter consiliarios suos, vir prudentissimus, Petrus nomine, Abbas Fiscanensis, natione Lemouicensis, homo facundus & litteratus, omniq; morum honestate circumseptus. Qui in die cinerum anno primo regni Philippi Missam celebrans, sic industriosè prædicauit, quòd ab omnibus fuit commendatus. Ego verò eram in curia prædicti regis Philippi, cuius sororem habebam, post mortem prædicti Caroli, cum quo fueram quinq; annis. Placuit autem mihi prædicti Abbatis facundia, seu eloquentia in eodem sermone, vt tantam contemplationem haberem in deuotione, ipsum audiens & intuens, quòd interme cœpi cogitare, dicens: Quid est, quòd tanta gratia mihi infunditur ex homine isto? Cœpiq; demum sui notitiam, qui me multum caritatiuè ac paternè confouebat, de sacra scriptura me sæpius informando. Fuiq; duobus annis post mortem Caroli in curia regis Philippi. Post hos duos annos remisit me idem Rex cum vxore mea, sorore sua, nomine Blanca, ad patrem meum Iohannem, regem Bohemiæ, in ciuitatem Lucemburgensem, qui Comitatus erat patris mei ex successione patris sui, diuæ memoriæ, Henrici Imp. qui cùm esset Comes Lucemburgensis, electus fuit in regem Romanorum, prout in chronicis Romanorum plenius, quoto aut quanto tempore regnârit, continetur.

Petrus Abbas Fiscanensis.

Carolus docetur sacras literas.

Redit in Germaniam.

Reuersus itaq; de Francia, inueni patrem meum in Comitatu Lucemburg. occupante temporibus illis Imperium Ludouico de Bauaria, qui se scripsit Ludouicum IIII. qui post mortem Henrici VII. aui mei, in Romanorum Regem fuit in discordia electus contra Fridericũ, Ducem Austriæ. Quem Ludouicum elegerunt, & cum eo steterunt vsq; ad suum triumphum, qui captiuauit eundem Fridericum, Ducem Austriæ, suum aduersarium, Iohannes, rex Bohemiæ, pater meus, Moguntinus, Treuirensis & Volkmarus vltimus Brandenburg. cum Friderico autem fuere, Coloniensis, Dux Saxon. & Comes Palatinus. Ludouicus Romam

Imperium Ludouici Bauari.

Duorum Principũ electio bellorũ ciuiliũ causa.

Pachymerius lib. 2.

*Stephano Columna. posthac accesserat, & diadema imperiale contra voluntatem Papæ Iohannis XXII. ab *Episcopo Venetorum recepit. Et posthoc creauerat Antipapam nomine Nicolaum, *Nicolaus IIII. Antipapa.* ordinis Minorum, qui posthac traditus fuit ad manus Papæ, & mortuus fuit in pœnitentia. Et iam reuersus fuit in Germaniam, prout in Chronicis Romanorum plenius continetur, vel apparet. Illo verò tempore cùm reuersus fueram de Francia in Comitatum Lucemburg. & inueneram patrem meum ibidem, obsederat Dux Austriæ ciuitatem Columbariensem in Alsatia, & Ludouicus eam liberare non poterat. Accessit pater meus ad eosdem, & concordauit *Iohannes, Rex Boiemiæ.* dictum Ducem cum Ludouico. Deinde iuit in Comitatum Tyrolis ad Ducem Carinthiæ, quem expulerat de regno Bohemiæ, cuius vxor prima mortua fuerat, soror matris meæ. Demum tamen acceperat aliam vxorem, sororem Ducis de Brunsvvig, cum qua habuit vnicam filiam, quam copulauit fratri meo Iohanni in vxorem, & post mortem suam constituit sibi omnes suos principatus. Deinde peruenit pater meus in ciuitatem Tridentinam, & illo tempo- *Mors Elizabethæ Reginæ.* re mortua est mater mea in die S. VVenceslai martyris in Praga. Moram autem in Tridento patre meo trahente, datæ fuerunt sibi in Lombardia ciuitates: Brixia, Bergomum, Parma, Cremona, Papia, Regium, Mutina, in Thuscia verò Luca cum omnibus districtibus & Comitatibus ad eandem pertinentibus. Ad quas pater meus accedens, post hæc mansionem fecit in Parma, & Vicecomes eas in suum *Azo Vicecomes.* suscepit regimen, Azo de Mediolano, qui regebat pro tunc ciuitates Mediolanum & Nouariam, quas in vicariatu eodem tempore à patre meo susceperat. Tempore illo misit pater meus in Comitatum Lucemburgensem pro me. Ego autem arripui iter per ciuitatem Metensem, per ducatum Lotharingiæ, per Burgundiam & Sabaudiam vsq; in ciuitatem Lansan super lacu. Deinde transiui montes †Brige, †al. Brixienses. & veni in territorium Nouariense, & abinde veni in parasceue in ciuitatem Papiæ, quam tenebat pater meus. In die autem Paschæ, scilicet secunda die postquam veneram,

intoxi-

intoxicata fuit familia mea, & ego, diuina me gratia protegente, euasi: quia magna Missa prolixè agebatur, & communicaram in eadem, & nolui comedere ante Missam. Cùm autem irem ad prandium, dictum mihi fuit, quòd familia mea subitò in infirmitatem ceciderat, & specialiter illi, qui ante prandium comederant. Ego autem sedens in mensa comedere nolui, & eramus omnes territi. Et sic aspiciens, vidi hominem pulcrum & agilem, quem non cognoui, qui deambulabat coram mensa fingens se mutum. De quo habita suspicione, ipsum captiuare feci: qui post multa tormenta tertia die locutus est, & confessus fuit, quod ipse in culina cibarijs toxicum immiserat de iussu & procuratione Azonis Vicecomitis Mediolanensis. De illo autem toxico fuerunt mortui Iohannes Dominus de Berge, magister curiæ meæ, Iohannes de † Honkyryn, Simon de Keyla, qui deseruiebat mensæ meæ, & complures alij. Ego autem manebam illo tempore in monasterio S. Augustini, vbi corpus suum iacet in Papia, de quo monasterio expulerat Ludouicus de Bauaria Abbatem & Canonicos regulares illius monasterij. Quos ego reuocans in prædictum monasterium introduxi. Quod monasterium post obitum illorum fratrum Papa Iohannes Augustinianis, quorum ordo hodierna die possidet, contulit, dominante patre meo, quibus pater meus possessionem tradidit. Deinde iui ad patrem meum in ciuitatem Parmensem, & eram intrans annum sextumdecimum. Pater autem meus commisit regimen omnium illorum & tuitionem mei Domino Ludouico de Comitib. Sabaudiæ, qui erat socer Azonis Vicecomitis & gubernatoris Mediolanensis. ¶ Recedens de Parma iuit in Franciam, & tradidit filiam suam secundogenitam, sororem meam, nomine Gutam, Iohanni, filio primogenito Philippi, Regis Franciæ. Primogenitam autem Margaretham habebat Henricus, Dux Bauariæ. Tempore illo quo remanseram cum dicto Domino Ludouico de Sabaudia in

Veneficiũ Italicum.

Emissarius mutum agens.

† al. Hochkirchen.

Caroli ætas anno Ch. 1332.

Ludouicꝰ Sabaudus

Guta Iohan. R. F.

Margarita.

E 3 Italia,

¶ Munst. Chronicon Bergomatis pag. 328. b.

Conspiratio procerum Italicorũ contra Carolum. Italia, fecerunt ligam secretè contra me, & patrem meum, Robetus, Rex Apuliæ, Florentini, Vicecomes Azo, Gubernator Mediolanensis, * Gubernator Veronensis, qui tempore illo tenebat Paduam, Teruisiũ, Vincentiam, Feltrensem & Bellunensem, ciuitates, Gubetnator Mantuanus, qui ante promiserat nobis fidelitatem, Gubernator Ferrariensis. Et diuiserunt inter se occultè ciuitates, quas tenebam, Veronensi, Brixiensem & Parmensem ciuitates, Mantuano Regium, Ferrariensi Mutinam, Mediolanensi Papiam, Bergomum & Cremonam, Florentinis Lucam. Et sic omnes subitò habentes proditiones occultè in ciuitatibus, antequam † diffidarent, irruerunt in nos. De quibus nullum timorem pro tunc habebamus: pepigerant enim fœdus nobiscũ, & iurârunt nobis, litterisq; confirmarunt, patri ac nobis fideliter assistere. Et intrauit Veronensis in Brixiam. Mediolanensis obsedit Bergomum, & habuit illam subitò. Papienses rebellârunt contra nos, & receperunt dominium per se, videlicet illi de † Beccaria, de quibus magis præsumebamus, quàm de aliquibus in illa ciuitate. Et sic omnes isti colligati fecerunt validissimam guerram ex omnibus partibus contra nos. Dominus autem Ludouicus de Sabaudia, prædictus commissarius noster & tutor, *Sabaudi socordia & fuga.* benè præuidisset aliqua pericula, sed non apposuit remedium, & nescio quo motus spiritu, fortè amore generi sui, Azonis Vicecomitis suprà dicti, recessit de patria, nos relinquens in angustia. Illi autem de Rubeis ciues Parmenses, & illi de Fuliano, & de (a) Manfredis, de Regio, & illi de Pisis,

† denunciarent.

† al. Braccaria.

* Mastinus de Scala, vt infrà. ¶ De familia hac & Mastino præclarè Chronicon Bergom. pag 328, 334. Ibidẽ de tota illa coniuratione indeq; nato bello, item de Gubernatoribus, Mantuano, qui fuit Passerinus Bonacossus, tum exul, & Ferrariensi, qui fuit Reynaldus Estensis, Aldobrandini F. non paulò disertius explicatur.

(a) De Manfredorum familia Chronicon Bergomatis pag. 337. Leander Albertus pag. 481. & seq. duab.

Pisis, de Mutina, & illi de † Puntzonib. de Senis, de Cremona, Domini, Simon & Philippus de Pistorio, Capitaneus Lucæ, assumserunt factum meum fideliter, & apposuerunt omne consilium & auxilium, quod poterant, prout in sequenti pagina clarius describetur.

† Ponzonibus Vide idē Chronicon pag. 362. b.

Tunc prænominati coniuratores fecerunt validum exercitum ante ciuitatem nostram Mutinam, & steterunt ibi per sex septimanas, scilicet Mediolanensis, Veronensis, Ferrariensis, & Mantuanus. Elapso tempore sex septimanarū cùm deuastassent diœceses & Comitatus Mutinæ & Regij ciuitatum, recesserunt, & posuerunt potentiam eorum & exercitum ante castrum S. Felicis, Mutinensis diœcesis. Et cùm ibi exercitus diu stetisset, pactauerunt illi de castro cum eis: Quod si intra mensem, videlicet vsq; in diem B. Catharinæ, qui expirabat eodem die, ipsis non succurreretur per nos, traderetur eis castrum. Parmenses verò, Cremonenses, Mutinenses, & de Regio hoc audientes, congregauerunt potentiam eorum, accesseruntq; ad nos, dicentes: *Domine, obueniemus destructioni vestræ, priusquā in toto deleamur.* Tunc accepto consilio, exiuimus ad campos, castraq; metati sumus, & de ciuitate Parmensi in die B. Catharinæ peruenimus ibidem, quo die castrum debebat tradi ad manus inimicorum. Et circa horam nonam cum mille & ducentis galeatis, & cum sex millibus peditum contra inimicos, qui penè totidem vel plures erant, pugnam arripuimus, & durauit bellum ab hora nona vsq; post occasum Solis. Ex vtraq; parte fuerunt interfecti omnes dextrarij, & aliqui equi, & eramus quasi deuicti, & dextrarius, in quo residebamus, etiam interfectus est. Et releuati à nostris, sic stando & respiciendo, q eramus quasi superati, iamq; ferè in desperatiōe positi, aspeximus, & ecce eadē hora cœperūt fugere inimici cum vexillis eorum, & primò Mantuani, demum eos plures sunt secuti. Et sic per Dei gratiam victoriā obtinuimus de inimicis nostris, octingentos galeatos in fuga captiuando, & quinq; millia peditum interficiendo. Et sic per hanc victoriam liberatum fuit castrum S. Felicis.

Expeditio coniuratorum.

Castrum S. Felicis.

Caroli expeditio.

Prælium cum hoste.

Victoria.

In hoc

In hoc bello accepimus cum ducentis viris strenuis militarem dignitatem. Sequenti verò die reuersi sumus cum magno gaudio in Mutinam cum præda & captiuis, & dimissis gentibus nostris, reuersi sumus in Parmam, vbi curiam nostram pro tunc tenebamus. Pòst transiuimus in Lucam in Thuscia, & ordinauimus guerram contra Florentinos, & ædificauimus castrum pulcrum cum oppido muris vallato in cacumine montis, qui distat decem milliaribus à Luca, versus vallem nebulæ, & imposuimus ei nomen, Mons Caroli. Et post hoc reuersi sumus Parmam, dimisso regimine Dñ. Simoni de Pistorio, qui ante ex parte nostra benè rexerat, & oppidum Brazem in Garimano super inimicos acquisierat, & multa alia bona in suo regimine fecerat. Cùm autem Parmam peruenissemus, aggrauati eramus ex parte inimicorum ex omni parte validissimè. Sed hyemis austeritas nobis profuit, quæ tantum inualuerat, quòd nemo in campis persistere valebat. Eodem tempore incœpti fuerunt tractatus inter Veronenses ac inter inimicos nostros, ex parte vna, & Marsilium de Rubeis, Gibertum de Fuliano, Manfredum de Pisis, Parmæ, Regij & Mutinæ potiores, qui quasi gubernatores erant eorum. Deinde etiã ipsi conuenerunt cum potiore consilio Veronensium in quadam parua Ecclesia diœcesis Regij, & contra me tractârunt, vt me traderent, & se vnirent, feceruntq; legere Missam, volentes iurare super corpore Christi, illos tractatus firmos tenere. Actumq; est, vt cùm Sacerdos Sacramentum confecisset post eleuationem in eadem Missa, obscuritas cum turbine valde magna facta sit in Ecclesia, ita quòd omnes territi fuerint. Et postquam lux reuersa fuit, Sacerdos ante se in altari corpus Christi non reperit. Tunc dolenter stabant omnes stupefacti, & sic alter alterum inspicientes, inuentum est corpus Domini nostri IESV Christi ante pedes Marsilij de Rubeis, qui erat caput & Ductor istius tractatus. Et tunc omnes vna voce dixerunt: Quod facere decreuimus, Deo non placet. Et sic consilio dimisso, quilibet ad propria remeauit. Tunc Sacerdos, qui Missam cele-

Ist zum Ritter geschlagen.

Mons Caroli.

Simon de Pistorio.

Noua in Carolum tentata conspiratio.

O scelus.

Ostentum in pane mystico.

celebrauit, iuit ad ciuitatem Regij, & nunciauit Episcopo ea, quæ gesta fuerant. Episcopus misit eum ad Ostiensem Cardinalem, legatum tunc Lombardiæ, qui erat in Bononia. Legatus autem cum Episcopo ista intimauerunt vicario meo, AEgidio de Berlario, Francigenæ, in ciuitate Regio, vt me præmuniret, quatenus mihi cauerem de his conspiratoribus prænominatis. Qui verò sic conspirare nitebantur, pœnitentia ducti mihi amplius fideliter astiterunt, & firmiter mecum quasi fratres permanserunt, nihil in cordibus suis abscondendo. Vna dierum Gibertus de Fuliano sæpius de ipsis dixit: Nunquam possem lætus esse, si corpus Domini ante pedes meos fuisset inuentum, sicut ante pedes Marsilij de Rubeis, & Deus benè præcauit nos, ne faceremus ea quæ potius quàm faceremus, mori vellem. Ego autē sub silētio pertrāsiui tanquā inde nihil scirē. Illis tēporib. audiens pater meus oppresiōes, quas patiebamur ab inimicis, fecit cōgregationē cum multis in Francia, de quibus erant Capitanei, Episcopus Bellouacensis, Comes de En, Constabilis regni Franciæ, Comes sacri Cæsarei, & quàm plurimi alij Comites & Barones. Et transierunt de Francia in Sabaudiam, deinde per Alpes vsq; in Marchionatum Montis ferrati, & de Marchionatu transmeârunt per Lombardiam, vsq; in Cremonam, & de Cremona vsq; in Parmam. Et erat numerus galeatorum circa mille sexcentos, qui nobis venerant in adiutorium. Deinde pater noster cum exercitu congregato iuit ad succurrendum castro Papiensi, quod se adhuc tenebat contra ciuitatem nomine nostro. Et posuimus castra, & obsedimus ciuitatem Papiensem, & eramus benè tria millia galeatorum, & destruximus suburbia & monasteria suburbiorum; & repleuimus castrum, cui in auxilium veneramus, victualibus & hominibus, ipsum renouando, sed ciuitatem per castrum non potuimus obtinere: fossata & propugnacula inter ciuitatem & castrum ciues fecerant, ita quòd ingressus ad eos non patebat, & ipsi habebant mille galeatos de Mediolanensibus in suum auxilium. Et postquam ibi stetimus decem diebus, inde

Indicium conspirationis.

Conscientiæ stimulus.

¶ *σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.*

Iohann. regis expeditio Ital.

recessimus, castra metantes prope Mediolanum, & deuastauimus valde Comitatum & districtum Mediolanensem. Abinde transiuimus versus Bergomum, vbi habuimus per quosdam amicos nostros tractatus, qui debebant nobis aperire vnam portam ciuitatis. Et sic ordinatnm fuerat, quòd in aurora deberet intrare aliqua pars gentis nostræ, & post debebat eos sequi vna acies magna, & intrare post eos, & retinere ciuitatem, donec pater noster vnà nobiscum cum toto exercitu eadem die veniremus. Et sic factum est, quòd amici nostri in ciuitate Bergomo, scilicet illi de Collisionibus, aperuerunt portam, & primi nostri intrauerūt. Secunda verò acies noluit eos sequi, nescio quo mota spiritu, & tunc primi, qui pro tempore steterunt in ciuitate, exierunt ciuitatem: quia non poterant soli resistere inimicis. Et multi amici nostri cum eisdem euaserunt, residui verò qui remanserant, captiuati sunt, & suspensi fuerunt vltra muros, quorū numerus erat vltra quinquaginta. Cumq; pater noster nobiscum superuenisset, videntes quæ gesta fuissent, & neglecta, turbati sumus valde cum toto exercitu nostro. Post aliquot dies transeuntes flumen * Ade, reuersi sumus per territorium Cremonense in ciuitatem Parmæ.

Bergomi irrita proditio.

* Abduā dicit, q. Straboni est ἀδδας.

Post hæc pater noster iuit Bononiam ad Ostiensem Cardinalem, nomine * Beltrandum, tunc legatum à latere sedis Apostolicæ in Lombardia, qui temporibus illis regebat ciuitatem Bononiensem & alias plures, videlicet Placentiā, Rauennam & totam Romandiolam ac Marchiam Anconitanam. Et tractauit cum eo, quod ipse confœderatus est nobiscum, & factus est inimicus nostrorum inimicorum. Nam & antè erat inimicus Gubernatoris Ferrariensis propter causam Ecclesiæ & suam, qui cum inimicis confœderatus erat, paratus in adiutorium ipsis, & ipsi sibi. Et dedit nobis præfatus Cardinalis auxilium gentium & pecuniarum, posuitq; præfatus legatus exercitum & castra contra hostes temporibus illis in suburbijs ciuitatis Ferrariensis, quorum Capitaneus fuit postea Comes de Armeniaco. Demum eadem æstate post Pentecosten congregauit pater

Ostiensis Cardinal. cum Iohā. R. fœdus.

* De Pogeto. Vide Chronicō Alberti Argentinē:

Ferrariensis.

Comes Armoricarū.

ter noster magnum exercitum,& præmisit nos in ciuitatem Cremonensem de Parma vltra Padum cum quingentis galeatis. Hos misi ante castrum Pitzigniconis, qui rebellauerat contra nos, & contra ciuitatem suæ diœcesis Cremonensis, & astabat deseruiendo Papiensibus & Mediolanensibus. Et remanseramus in Cremona vix cum viginti galeatis. Tunc repentè fortificati sunt inimici, & augebatur numerus cotidie, ita quòd illi, qui erant ante castrum, munierunt se fossatis, auxilium nostrum expectantes. Illo tempore subitò Mantuani & Ferrarienses miserunt naues suas per Padum ante Cremonam, & submerserunt omnes naues in Pado territorij Cremonensis, ita vt pater noster cum tota gente sua non poterat nobis venire in auxilium, nec mittere aliquem nuncium, quia omnes naues & molendina submerserant, & se receperant. Et nos ipsi in ciuitate Cremonensi existentes, ita cum paucis eramus in pditione & ciuitatis & personarum cotidie ppter latitudinem: quia ciuitas temporibus illis propter guerras erat quasi desolata, ita vt essemus in magna tristitia constituti: quia nec pater nobis, nec nos patri, nec vterq; nostrum illis, qui iacebant ante castrum, possemus succurrere. Tunc facta est dissensio inter inimicos nostros, qui ciuitatem prædictam nostram obsederant in fluuio Pado, ita quòd se verberantes inuicem, reuersi sunt vnusquisq; ad propria. Rescito isto, pater noster venit de Parma cum exercitu suo super fluuium Padum, & mandauit extrahi naues de profundo fluuij, & sic transfretauit cum paucis in ciuitatem Cremonam. Et sequenti die coadunatis exercitibus, processimus in subuentionem illis, qui erant ante castrum Pitzigniconis, & tantum fuimus per gratiam Dei fortificati, quòd fortiores eramus omnibus inimicis nostris: eramus enim in numero tria millia galeatorum. Et postquam percepimus, quòd coram dicto castro nihil proficeremus, voluimus procedere in succursum castro Papiensi, de quo antè mentio facta est. Quod præsentientes inimici, miserunt consiliarios suos, & fraudulentè cum patre

Castrũ Pitzigniconis.

Caroli periculum.

Discordia hostium.

Iohannes R. strenuè rem agit.

Fraus hostilis.

meo tractârunt, & cum eo treugas inierunt tali modo: Cederet de campis, & castrum Papiense victualibus treugarũ tempore fulciret, ipsum, quod per inimicos non impediretur, assecurantes, per pulcra & blanda verba multa eidem promittentes. Sicq; de campis recessimus, gentes nostras per ciuitates & loca sua distribuentes. Post hæc inimici treugas seu pacta minimè tenuerunt, & sic perditum fuit castrũ Papiense: quia non permiserunt ipsum inimici fulcire victualibus, prout promiserant. Sicq; pater noster cum gentibus suis propter blanda verba, & falsa promissa, in pecunijs & expensis defecerunt. Hyeme verò superueniente, nec in campis stare poterant. Et sic prouerbium in nobis claruit: Nocuit differre paratis. Illo autem tempore Ferrarienses, Veronenses, Mantuani & Mediolanenses fortificati, captiuauerunt Capitaneum legati, Comitem de Armeniaco, in suburbijs Ferrariæ iacentem, & multos de exercitu occiderunt, & alios submerserunt in Pado, & exercitum in tantum afflixerunt, quòd legatus amplius nõ recuperauit, nec campos aduersus inimicos amplius habere valuit, vsq; ad expulsionem eiusdem de patria. Demum videns pater noster, quòd expensæ sibi deficerent, & quòd guerram ferre non valeret, disposuit recedere de patria, & eam terrigenis & maioribus ciuitatum relinquere, videlicet Parmam illis de Rubeis, Regium illis de Fuliano, Mutinam illis de Pisis, Cremonam illis de Puntzonibus, qui omnes has ciuitates patri nostro in potestatem dederant, voluitq; eisdem eas reddere, Lucam autem voluit vendere Florentinis. Sed fretus nostro ac suorum consiliariorum consilio, commisit eandem illis de Rubeis, quibus Parmam commiserat.

Perfidia.

Comes Armoricarũ opprimitur ab hoste.

Johannem R. & sumtuum & factionum tædet.

In tempore illo cùm essemus in Luca, diabolus, qui semper quærit, quem deuoret, & offert hominibus dulcia, in quibus fel latet, cùm antè diu fuissemus tentati per eum, nec tamen diuina adiuuante gratia victi, instigauit homines prauos & peruersos, cùm per se non valuisset, qui patri nostro cotidie adhærebãt, vt nos de tramite recto in laqueũ

libidi-

libidinis & miseriæ seducerent: sicq; seducti à peruersis, eramus peruersi vnà cùm pueris. Deinde pater noster nō lōgè post nos arripiens iter versus Parmā, vnà peruenimus in villam nomine † Tarentur, Parmensis diœcesis, in die Dñica, in qua erat dies assumtionis S. Mariæ Virginis. Illa verò nocte cùm nos sopor inuaderet, apparuit nobis quædam visio: quoniam Angelus Domini astitit iuxta nos in parte sinistra, vbi iacebamus, & percussit nos in latere, dicens: Surge, & veni nobiscum. Nos autem respondimus in Spiritu: Domine, nec scio quò, nec quomodo vobiscum eam. Et accipiens nos per capillos anterioris partis capitis, exportauit nos secum in aërem vsq; super magnam aciem armatorum equitum, qui stabant ante vnum castrum, parati ad prælium. Et tenebat nos in aëre super aciem, & dixit nobis: Respice & vide. Et ecce alter Angelus descendens de cœlo, habens igneum gladium in manu, percussit vnum in media acie, & abscidit sibi membrum genitale eodem gladio, & ille tanquam lethaliter vulneratus agonizabat, equo insidens. Tunc tenens nos per capillos Angelus dixit: Agnoscis illum, qui percussus est ab Angelo, & vulneratus ad mortem. Tunc diximus: Domine, nescio, nec locum cognosco. Dixit: Scire debes, quòd hic est Delphinus Viennensis, qui propter peccatum luxuriæ sic à Deo est percussus: nunc ergo cauete, & patri vestro potestis dicere, vt sibi caueat de similibus peccatis, vel peiora accident vobis. Nos autem compassi illi Delphino Viennensi, nomine * Bigonia, cuius auia fuerat soror auiæ nostræ, & ipse erat filius sororis regis Vngariæ, Caroli I. interrogauimus Angelum, vtrum posset confiteri ante mortem, & contristatus eram valde. Respondit autem Angelus, dicens: Habebit confessionē, & viuet aliquot diebus. Tunc vidimus in parte sinistra aciei multos viros stantes amictos pallijs albis, quasi essent viri magnæ † reuerentiæ & sanctitatis, loquebanturq; ad inuicem, respicientes supra aciem, & supra ea quæ gesta erant, & benè ipsos notauimus. Nec tamen gratiam interrogandi habuimus, nec per se Angelus retulit, qui vel qua-

Aulici imprubi Principū pestis

Memorabile Caroli somniū.

¶ *Vide Chronicō Burgund. Vignierij pag. 165.*

† infrà Tarūso, AEneæ Syluio villa Terentij.

Pœna libidinis.

* Guidoni.

† al. eminentiæ.

les essent viri illi tantæ reuerentiæ. Et subitò restituti fuimus ad locum nostrum aurora iam inclarescente. Ibi veniens Thomas de noua villa, miles diœcesis Leodiensis, Camerarius patris nostri, excitauit nos, dicens: Domine, quare nõ surgitis, iam pater vester paratus ascendit equos. Tunc surreximus, & eramus confracti, & quasi fessi, sicut post magnum laborem itineris. Et diximus sibi: Quò vadamus, cùm hac nocte passi simus tanta, quod nescimus, quid facere debeamus. Tunc dixit nobis: Domine quid? Et diximus ei: Delphinus mortuus est, & ipse pater noster vult congregare exercitum, & procedere in auxilium Delphino, qui guerrat cum * Comite Sabaudiæ: nostrum auxilium non proficit sibi, quia mortuus est. Ipse verò deridens nos illa die, postquam venimus in Parmam, dixit patri nostro omnia, quæ sibi dixeramus. Tunc pater noster vocans nos, interrogauit nos, si verum esset, & si ita vidissemus. Cui respondimus: Vtiq; Domine, etiam pro certo sciatis, ꝙ Delphinus mortuus est. Pater verò increpans, nobis dixit: Noli credere somnijs. Prædictis autem patri nostro & Thomæ non dixeramus integrè, sicut videramus, sed solummodo quòd Delphinus mortuus esset. Post aliquòt ergo dies venit nuncius ferens litteras, quòd Delphinus congregato exercitu suo venerat ante quoddam castrũ Comitis Sabaudiæ, & quòd de vna balista magna sagitta in medio omnium militum suorum fuisset sagittatus, & post aliquot dies confessione habita mortuus. Tunc pater noster auditis litteris, dixit: Miramur valde super his: quia filius noster mortem ipsius nobis antea prædixerat. Et multum mirati sunt ipse & Thomas. Nullus tamen post hæc de ista materia cum ipsis fuit locutus.

Bellum Sabaudi & Delphini.

* Amedeo, Amedei Magni F.

¶

¶ *Somnia non vnius generis esse constat: & monuit Aristoteles, somniari plurimum circa æquinoctium vernum & autumnum. Vide Plinium lib. 24. cap. 4.*

Post hæc videns pater noster, quòd expensæ sibi deficiebant, & guerram vlterius ferre contra prædictos dominos

Lombar-

Lombardiæ non posset, cogitauit de recessu suo, & volebat nobis committere easdem ciuitates & guerram. Nos verò recusauimus: quia cum honore conseruare non poteramus. Tunc data nobis licentia recedendi, præmisit nos versus † Bohemiam: & receptis treugis cum inimicis nostris, transiuimus per territorium Mantuanum in Veronã, abinde in Comitatum Tyrolis. Vbi inuenimus fratrem nostrum, nomine Iohannem, quem pater noster copulauerat filiæ Ducis Carinthiæ, Comitisq; Tyrolis; quia Dux, socer fratris nostri, habuerat prius sororem matris nostræ nomine Annam, prout superius scriptum est. Post obitum verò eius receperat vxorem, sororem Ducis de Brunsvvig, cum qua prædictam filiam habuerat, nomine Margarethã. Et cum eadem dederat fratri nostro post obitum suum Ducatum Carinthiæ & Comitatum Tyrolis: nam prole mascula carebat. Et sic pax facta erat inter eum & patrem nostrum: quia antea erant inimici, propter expulsionem eiusdem Ducis, quem pater noster expulerat de Bohemia, prout superius scriptum est. Deinde transiuimus per Bauariam, vbi inuenimus sororem nostram seniorem, nomine Margaretham, quæ vnicum filium habebat cum Henrico, Duce Bauariæ, nomine Iohannem. Demum peruenimus in Bohemiam, de qua absens fueramus vndecim annis. Inuenimus autem, quòd aliquot annis antè mater nostra, dicta Elizabeth, mortua fuerat, ipsa verò viuente soror nostra secundogenita, filia sua, nomine Guta, missa erat in Franciam, & copulata Iohanni, primogenito filio Philippi, regis Franciæ, cuius sororem, nomine Blancam, habebamus in vxorem. Tertia verò soror nostra & vltima nomine Anna, erat apud dictam sororem nostram in Francia temporibus illis. Et sic cùm venissemus in Bohemiam, non inuenimus nec patrem nec matrem nec fratrem, nec sorores, nec aliquem notum. Idioma quoq; Bohemicum ex toto obliuioni tradideramus, quod pòst redidicimus, ita vt loqueremur & intelligeremus vt alter Bohemus. Ex diuina autem gratia non solùm Bohemicum, sed Gallicum,

Iohannes R. & Carolus F. discedunt ex Italia.

† al. Boëmiam.

Iohannes, Iohann. R. F.

Margarita Carinthiaca.

Margarita Bauarica.

Carolus post vndecim annorũ absentiam redit in Boiemiam.

Anna, tertia Iohannis R. F.

Carolus πολύγλωσσος.

Lombar-

Lombardicum, Teutonicum & Latinum ita loqui, ſcribere ac legere ſciuimus, vt vna lingua iſtarum, ſicut altera ad ſcribendum, legendum, loquendum & intelligendum nobis erat apta. Tunc pater noſter procedens verſus Comitatum Lucemburg. propter quandam guerram, quam gerebat cum Duce Brabanciæ, ipſe & collegæ ſui, videlicet Leodienſis Epiſcopus, Iuliacenſis Marchio, Gerlenenſis Comes, & quàm plures alij, commiſit nobis autoritatem ſuam temporibus abſentiæ ſuæ in Bohemia. Quod regnum inuenimus ita deſolatum, quòd nec vnum caſtrum inuenimus liberum, quod non eſſet obligatum cum omnibus bonis regalibus, ita quòd non habebamus ibi manere, niſi in domibus ciuitatum, ſicut alter ciuis. Caſtrum verò Pragenſe ita deſolatum, deſtructum ac comminutum fuit, quòd à tempore Ottogari regis totum proſtratũ fuit vſq; ad terram. Vbi de nouo palatium magnum & pulcrum cum magnis ſumtibus ædificari procurauimus, prout hodierna die apparet intuentibus. Tempore illo miſimus pro vxore noſtra: quia adhuc erat in Lucemburg. Quæ cùm veniſſet, poſt vnum annum habuit filiam primogenitam, nomine Margaretham. Illis autem temporibus dederat nobis pater noſter Marchionatum Morauiæ, & eodem titulo vtebamur. Videns autem communitas de Bohemia proborum virorum, quòd eramus de antiqua ſtirpe regum Bohemorum, diligentes nos, dederunt nobis auxilium ad recuperanda caſtra & bona regalia. Tunc cum magnis ſumtibus & laboribus recuperauimus caſtra Purglinum, Tyrzovv, Lichtenburg, Lutitz, Gretz, Pieſeck, Netztin, Zbiroh, Tachovv, Trutrovv in Bohemia: in Morauia verò Luckovv, Teltz, VVevvertzie, Olomucenſe, Brunnenſe & Znoymenſe caſtra, & quàm plurima alia bona obligata & alienata à regno. Et habebamus multos paratos militares ſeruientes, & proſperabatur regnum de die in diem, diligebatq; nos communitas bonorum, mali verò timentes præcauebant à malo, & iuſtitia ſufficienter vigebat in regno: quoniam Barones pro maiori parte effecti erant

Conſtituitur Prorex Boiemiæ.

Inſtaurat arcem Pragenſem.

Augetur filia.

Repignerat bona regia.

Baronum licentia.

erant Tyranni, nec timebant Regem prout decebat: quia regnum inter se diuiserant. Et sic tenuimus Capitaneatum regni, meliorando de die in diem per duos annos. Tempore illo tradidimus iuniorem sororem nostram, nomine Annam, Othoni, Duci Austriæ, in vxorem. Et in illis diebus mortuus est Dux Carinthiæ & Comes Tyrolis, socer fratris nostri. Et cùm frater noster debuisset accipere possessionem Ducatus Carinthiæ & Comitatus Tyrolis post mortem ipsius, tunc fecerat occultè ligam Ludouicus, qui se gerebat pro Imperatore, cum Ducibus Austriæ, Alberto videlicet & Othone ad diuidendum dominiũ fratris nostri occultè & falsè, volens idem Ludouicus habere Comitatum Tyrolis, Dux verò Ducatum Carinthiæ, immemor Ludouicus & ingratus seruitiorum patris nostri, quæ sibi exhibuerat in adeptione Imperij, vt suprà est scriptum. Dux verò Austriæ, licet nostram sororem haberet, statim post obitum Ducis Carinthiæ prædicti per conspirationem habitam *secretò cum Domino de Auffstein*, qui erat Capitaneus *ex parte Ducis* totius Carinthiæ, statim cum fratre suo habuerunt Carinthiam, quam idem de Auffstein eis liberè tradidit, ac possessionem eiusdem dedit. Et sic frater noster perdidit Ducatum Carinthiæ. Illi verò de Comitatu Tyrolis noluerunt se subdere Ludouico, sed permanserunt in obœdientia fratris nostri. Illis peractis, venit pater noster in Bohemiam, & adduxit post se vxorem suam, quam receperat sibi in reginam, nomine Beatricem, filiam Ducis de Burbon, de genere Regum Franciæ, cum qua postea genuit vnicum filium, nomine VVenceslaum. Tunc mali & falsi consiliarij inualuerunt contra nos apud patrem nostrum, lucrum proprium prætendentes, tam Bohemi quàm de Comitatu Lucemburgensi, & accedentes patrem nostrum sibi suggesserunt, dicentes: Domine, prouideatis vobis: filius vester habet in regno multa castra, & magnam sequelam ex parte vestra: vnde si diu sic erit, præualebit, & expellet vos, quando voluerit: nam & ipse hæres regni, & de stirpe regum Bohemiæ est, & multum

Anna collocatur Othoni Austriaco.

Iohannes excidit ducatu Carinthia.

Iohannis R. altera nuptiæ.

VVenceslaus F.

Artes aulicæ.

diligitur à Bohemis: vos autem estis aduena. Hoc autem dicebant quærentes lucrum siue locum suum, vt ipsis committeret castra & bona prædicta. Ipse autem in tantum assensit consilijs eorum, quòd de nobis diffidebat, & propter hoc abstulit nobis omnia castra & administrationem in Bohemia & in Marchionatu Morauiæ. Et sic nobis remansit solus titulus, Marchio Morauiæ sine re. Illo tempore equitabamus vna dierum de Purglino in Pragam, volentes adire patrem nostrum, qui erat in Morauia, & tardè venimus in castrum Pragense ad antiquam domum Burggrauiatus, vbi mansionem per aliquot annos feceramus, antequam palatium magnum fuerat ædificatum. Et nocturno tempore deposuimus nos in lecto, & Busko de VVilhartitz senior in altero ante nos. Et erat magnus ignis in camera: quia tempus hyemale erat, multæq; candelæ ardebant in camera, ita quòd lumen sufficiens erat, ac ianuæ ac fenestræ omnes erant clausæ. Et cùm incepissemus dormire tunc deambulabat nescio quid per cameram, ita quòd ambo euigilauimus, & fecimus dictum Buskonem surgere, vt videret, quid esset. Ipse autem surgens circuiuit per cameram, quærens & nihil vidit, nec quicquam potuit inuenire. Tunc fecit maiorem ignem, & plures candelas incendit, & iuit ad scyphos, qui stabant pleni vino super * bancas, & potauit, & reposuit vnum scyphum ppe vnam magnam candelam ardentem potatione facta. Tunc deposuit se iterum ad lectum, & nos induti pallio nostro sedebamus in † lecto, & audiebamus ambulantem, neminem tamen videre poteramus. Et sic respicientes cum prædicto Buskone super scyphos & candelas, vidimus scyphum proiectum, & idem scyphus proijciebatur, nescimus per quem, vltra lectum Buskonis de vno angulo cameræ vsq; ad alterum parietem, qui sic reuerberatus à pariete, cecidit in medium cameræ. Videntes hoc, territi sumus nimium, & semper ambulantem in camera audiuimus, neminem autē vidimus. Pòst verò signati sancta cruce, in Christi nomine vsq; in manè dormiuimus, & manè surgentes, scyphum, prout

Busco de VVilhartitz.

Spectrum nocturnū.

* Italica vox est, facta ꝓcul dubio de Germā. Banck.

† al. loco

put prolectus erat, in medio cameræ inuenimus, & nostris familiaribus ad nos de manè venientibus, ostendimus. Illo tempore misit nos pater noster cum pulcro exercitu super Ducem Slesiæ, nomine Bulconem, Dominum Miniſterberiensem. Nam ille Dux non erat Princeps neq; vasallus patris nostri & regni Bohemiæ, pater tamen noster acquisierat ciuitatem VVratislauiensem per Dn. Henricum septimum, Ducem VVratislauiensem, qui hæredes non habebat. Et idem Dux acceperat in donum Glacense territoriũ temporibus vitæ suæ, voluitq; potius prædictam ciuitatem ac Ducatum patri nostro & coronæ regni Bohemiæ perpetuò applicare, quàm fratri suo Boleslao dimittere: quia ipse & frater suus mutuò sibi inimicabantur. Postquam autem pater noster accepisset possessionem ciuitatis VVratislauiensis, omnes Duces Slesiæ & Opoliensis subiecerunt se ditioni suæ ac coronæ regni Bohemiæ perpetuò, vt defenderentur à regibus Bohemorum, exceptis Duce Slesiæ, Domino * Suidnicensi, & Bulcone, Domino Miniſterberiensi. Cuius territorium deuastauimus, prout in Chronicis scriptum est, quòd in tantum deuastatum fuit, quòd ipse coactus est mediantibus placitis, esse vasallus patris nostri ac coronæ regni Bohemiæ, sicut & alij Duces. His peractis, arripuimus iter versus Vngariam ad patrem nostrum, quẽ inuenimus in VVissegrado super Danubio apud regem Carolum I. qui antè habuerat sororem patris nostri, ipsa verò defuncta, acceperat sororem regis Craçouiæ, Cazimiri, cum qua genuerat tres filios: primogenitum Ludouicum, secundum Andream, tertium Stephanum. Ibiq; fecit idem Rex Carolus pacem inter patrem nostrum & Cracouiæ regem, ita, quòd renunciaret pater noster iuri sibi debito in inferiore Polonia, scilicet Gnesnensi & Calissiensi, & alijs inferioribus prouincijs Poloniæ. Rex verò Cracouiæ renunciauit patri nostro, & regno Bohemiæ, pro se & successoribus suis, Regibus inferioris Poloniæ, in perpetuum de omni actione omnium Ducatuum Slesiæ & Opoliæ & ciuitatis VVratislauiæ. Nam antea erat dissensio inter eos:

Bulco, Dux Munsterbergensis.

Henricus Dux Vratislauiẽsis.

Boleslaus Dux Brigensis & Lignicẽsis

* Bernhardo.

Carolus rex Vngariæ.

Componit dissidẽtes Polonos et Boiemos.

VVenceslaus Rex Boiemiæ & Polon. Causa dissidij inter Polonos et Boiemos. quoniam auus noster VVenceslaus II. Rex Bohemiæ, possederat inferiorem Poloniam prædictam cum Ducatib. Cracouiæ & Sandomiriæ ratione vnicæ * filiæ * Prziemisl, regis inferioris Poloniæ, Ducis Cracouiæ & Sandomiriæ, quam acceperat in vxorem. Qui Prziemisl post mortem suam dederat auo nostro & coronæ regni Bohemiæ in perpetuum tam regnum quàm Ducatus possidendos. Cazimirus verò prædictus erat * patruus ipsius Dominæ, & dicebat se ius habere in regno Poloniæ inferioris, asserendo, quòd fœmina non posset hæreditare in regno. Et sic guerra à longis temporibus durauerat inter reges Bohemiæ & Cazimirum, ac patrem suum quondam VVladislaum * regem Cracouiæ, seu inferioris Poloniæ. Sicq; illa guerra concordata fuit per prædictum regem Vngariæ, qui propter hoc ligauit se & promisit esse in adiutorium patri nostro contra Ducem Austriæ, qui abstulerat fratri nostro Ducatum Carinthiæ, & contra Ludouicum prædictum. Hi autem fuerant in hac liga, scilicet pater noster, Rex Vngariæ, Dux Bauariæ Henricus, qui sororem nostram habebat in vxorem. *Carolus designatur Procomes Tyrol.* Eodem tempore misit nos pater noster in Comitatum Tyrolis, vt eundem gubernaremus, & fratrem nostrum cum sua vxore, ipsis existentibus in ætate puerili. Sicq; euntes intromisimus nos de his, sicut pater noster commiserat nobis: fuimusq; admissi ad regimen illius patriæ per terrigenos Comitatus supradicti.

* Rixæ. * Præmislai. * Locticum.

Expeditio Caroli in Goriciensem. Tempore succedente post Pascha die sequenti congregauimus exercitum de Comitatu Tyrolis, & intrauimus vallem Puschariæ Brixinensis diœcesis super Comitem Goriciæ, & acquisiuimus castrum montis S. Lamperti. Et transiuimus vlterius super prædictum Comitem, & deuastauimus terras suas vsq; Clausam, quæ vocatur Linitz, & fuimus in campis cum prædicto exercitu tribus septimanis in illa deuastatione: quia erat adiutor Ducum Austriæ, inimicorum nostrorum. *Iohānis R. in Othonē Austriacū* In crastino B. Georgij martyris fugabat pater noster Othonem, Ducem Austriæ, vltra Danubium, & acquisiuit multa castra in Austria. Ludouicus

verò,

verò, qui se gerebat pro Imperatore, adiuuabat Duces Austriæ, & per consequens tota Alemania, Gubernatoresq; ciuitatum in Lombardia, & specialiter Mastinus de Scala, Gubernator Veronensis, Vincentiæ, Paduæ, Teruisij, Brixiæ, Parmæ & Lucæ ciuitatum. Omnes hi nos & Comitatum Tyrolis inuadebant toto posse, ita quòd ciuitas Tridentina & tota vallis * Archisi erat in magno periculo à Lombardis. Valli verò tam à Sueuis quàm à Bauaris pericula magna iminebant, ita quòd totus Comitatus Tyrolis erat in magnis periculis quasi ex omnibus partibus. Illo tempore fecimus Nicolaum, Cancellarium nostrum, Episcopum Tridentinum & Brixinensem, natione Brunensem, nomine Matthæum, Capellanum fratris nostri: quia ambo Episcopatus vacabant tempore eodem. AEstate verò eadem Ludouicus, qui se gerebat pro Imperatore, magnum exercitum cum omnibus principibus Alemaniæ duxit contra Henricum, Ducem Bauariæ, sororium nostrum, qui extunc nobiscum erat. Dux autem Austriæ venit in subsidiũ *eidem Ludouico per Passauiam*, pater verò noster veniens dicto Henrico *in auxilium*, metati sunt castra penes vnum riuum iuxta Landovv. Tunc venit dictus Ludouicus cum Duce Austriæ & cum alijs cum exercitu magno. Et quia propter riuum eis accessus non patebat, deuastantes Bauariam per vnum mensem, licet exercitus Ducis Henrici minor esset, tamen dictus Ludouicus cum Duce Austriæ sine voluntatis eorum complemento ad propria sunt reuersi. Tempore verò eodem volentes venire patri nostro & prædicto sororio in auxilium de Comitatu Tyrolis cum magna gente peditum & equitum, non poteramus transire per Kufstein, vbi erat *filius Ludouici*, quem cum eadem gente ibidem obsedimus tanto tempore, quanto prædicti principes aduersus se iacebant in campis. Cùm autem separati fuissent ipsi, versus Tyrolis sumus reuersi. Post hæc circa festum Michaëlis tractata fuit concordia inter patrem nostrum & Ducem Austriæ, sic quòd Dux Austriæ restituit ciuitatem Znoymensem, quam pater noster dederat eidem

Ludouicus Bauarus Imperat. *Mastinus de Scala.* *Nicolaus è Cancellario Episcopus.* *Irrita Ludouici Bauari expeditio.* *Iohannes R. transigit cum Austriaco genero.*

 cum

cum filia sua in dotem, magnamq; partem pecuniæ dedit patri nostro, & quædam castra circa fluuium Draue, ad Comitatum Tyrolis fratri nostro, Ducatum verò Carinthiæ pro se debuit retinere. Demum eadem hyeme iuimus cum patre nostro versus Prussiam contra Lituanos, fueruntq; ibidem nobiscum, Comes VVilhelmus, iuuenis de Hollandia, Comes de Montibus, iuuenis de Lo, & complures alij Comites & Barones. Hyems verò tam mollis erat, quòd glacies non erat: vnde procedere contra Lituanos non potuimus, sed reuersi fuimus vnusquisq; ad propria. Cùm autem orta fuisset inter Lombardos magna guerra, quam tractaueramus, antequam exiremus de Tyrolis, scilicet propter ligam, quam fecerant Veneti, Florentini, Mediolanenses, Ferrarienses, Mantuani, Bononienses & complures alij contra Mastinum de Scala, Gubernatorem Veronensem & Paduanum, qui inimicus noster erat, vt suprà apparet, eodem tempore, de mense Aprili iuimus per Morauiam in Austriam, volentes Lombardiam intrare, vbi Dux Austriæ noluit nobis præstare conductum. Tunc locantes nos ad naues, transiuimus ad regem Vngariæ, qui de ciuitate Buda dedit nobis conductum per Vngariam, † Charuatiam, Dalmatiam vsq; in ciuitatem Senij supra littus maris, vbi intrauimus mare. Quod Venetorum Capitanei rescíscentes, nos, quamuis essemus eorum amici, captiuare voluerunt. Vnde †Galeam nostram circumuallârunt per galeas suas, ita quòd galea nostra minimè euadere poterat. Et cùm nona die peruenissemus ante ciuitatem eorum Gradensem, acquiescentes consilio Bartholomæi, Comitis VVeglæ & Senij, qui nobiscum erat in galea, mandauimus, vt ipsis per nostros diceretur: Ecce Domini, scimus, quòd manus vestras minimè posimus euitare, placeat vobis præmittere ad ciuitatem, & tractare, qualiter nos velitis suscipere in ciuitatem. Et cùm eis pulcris verbis loquerentur, per foramina Galeæ cecidimus in paruam barcham cuiusdam piscatoris cum dicto Bartholomæo, & Iohanne de Lypa, & sic cooperti saccis & retibus, transiuimus per galeas

Frustra expeditionem parat in Lituanos.

Tumultus Longobardici.

Mastinus de Scala.

Carolus petit Italiam.

†Croatiam.

† Triremem.

Eludit Venetos.

Iohannes de Lypa.

galeas eorum, & peruenimus ad portum inter arundines. Et sic manus eorum euadentes, iuimus pedes vsq; Aquileiã. Ipsi verò captiuauerant galeam nostram cum omni familia, quã per aliquot dies tenuerunt in captiuitate, & ipsam dimiserunt. Et cùm essemus in Aquileia, notifiuicauimus nos hospiti nostro, qui consilio ciuitatis mox notificauit, ciues verò vsq; ad Patriarchæ notitiam perduxerunt. Patriarcha mox ciuitatẽ ingressus, cum magno honore Cleri & populi, pulsatis campanis, nos suscipiens, in palatium suum deduxit. Et sic cum magno honore familia nostra ad nos de captiuitate perueniente, in terra sua per quatuor septimanas nos tractans, confirmatus est nobiscum, deducens nos per vallem Cad vsq; in Comitatum Tyrolis, vbi pro tunc pro fratre nostro, qui puer & paruus erat, præsidebamus.

Patriarchæ Aquileiensis in Carolum benignitas.

De mense autem Iunio cùm obsedissent Veneti, Florentini, Mediolanenses, Mantuani, Ferrarienses & alij eorum complices ciuitatem Paduæ cum magna gente, quasi cum decem millibus equitum armatorum, & cum infinito numero peditum, & aliqua pars gentis eorum obsedisset ciuitatem Feltrensem cum Episcopo Feltrensi, Siccone de Caldinario, Comitibus Senensibus, Dominis de Camino, & dum diu stetissent in obsessione cum quingentis galeatis & multis peditibus: quia ciuitas Paduana cum Feltrensi erant de dominio Mastini de Scala, Domini Veronensium & aliarum ciuitatum, quæ suprà nominatæ sunt: & iam prædicti Veneti acquisiuissent Tunglan, Sarabellum & Bassanum, quæ de dominio dicti Mastini extiterant, Comesq; de Colalto, Aduocatus Teruisij, & complures alij rebellassent prædicto Mastino, & starent cum Venetis: quidam ciuis ciuitatis Belluni, nomine * Sudratius de Bongagio, timens ne amitteretur sic ciuitas Feltrensis, & per cõsequens Bellunum perueniret in manus Venetorum, quos specialiter odio habebat, & videns se obsessum ex omni parte, cogitauit de Iacobo Anoschano, qui cum castris ex Budenstein, & cum aliquibus montanis, pertinentibus ad dominium

Obsidio Patauij.

Bassanum

* infrà Andrigetus vocatur.

nium Belluni, ditioni se nostræ supposuerat, & veniens ad nos, communicauit consilia in parua naui secretò, ne rescirent Veneti & Dominus Veronensis, qui a contra ipsum faciebat, dicens: Si possetis deuincere & fugare hostes à ciuitate Feltrensi, vnam portam ciuitatis vellem vobis aperire: quia potius faueo vobis de ciuitate, quàm alteri cuicunq;. Ego verò attendens verba ipsius, posui sibi certam diem, qua secretò venirem. Et quia oportebat me sapienter congregare homines, propter quoddam duellum duorum nobilium in diœcesi Nouoforensi super Athesin conuocaui multos nobiles sub colore, ac si amici eorum facerent aliquam dissensionem, quòd possem eos tueri in duello, ne resciretur, propter quid congregationem facerem, vt ciuitatem Feltrensem secretò adire possem: Victorem verò ac interfectorem alterius, qui in duello dicto triumphauerat & obtinuerat, cinximus gladio militari. Et cùm hæc facta fuissent, rogaui militiam, quæ præsens aderat, quòd deberet ire nobiscum, nullo sciente vbi volebamus. Ipsi verò parati exhibentes se, continuò arripuerunt iter mecum, & equitârunt, equitantes mecum per villam Flemarum tota nocte. Crastino verò die equitaui per deserta montana, quæ vadunt per Castruginum, vbi non consueuerunt homines equitare. Et cùm peruenissemus ad nemus, quod est inter Castruginum & Primeyum, viam habere non potui propter euulsas arbores: & sic desperabat meus exercitus. Tunc ego pedes cum aliquibus peditibus per abrupta montium & viarum, dudum destructarum, quæsiuimus viam, ita quòd peruenimus vltra nemus, custodibus syluæ dudum recedentibus ꝑpter solis occasum, nec suspicantibus aliquem timorem seu periculum ibidem ab aliquo ipsis imminere. Et sic viam facimus nobis in †montibus, ipsis verò nos sequentibus, venimus ad castrū Parmense, quod etiam obsessum fuerat per Venetos, & fugatis inimicis, cepimus illud. Qui venientes ad societatem suam, quæ iacebat ante Feltrensem ciuitatem, dixerunt, quòd magna gens, quam nescirent cuius esset, veniret super eos

Caroli stratagema.

Subita expeditio.

†al. reliquis.

Successus.

eos: qui audientes, à ciuitate noctu recesserunt. Castrum verò die altera transeuntes, de Primeyo versus Agordum, & de Agordo festinãter iuimus ad ciuitatem Bellunensem, & præmisimus ad Andrigetum cum quo tractaueramus, significantes sibi, quòd essemus prope ciuitatem cum gente. Qui statim accedens Capitaneos & rectores, dixit eis, quòd nuncij venissent sibi, dicentes, quòd Comites Claremontenses, socij Mastini de Scala, Domini eorum, venissent cum magno exercitu, fugando inimicos ipsis in auxilium. Qui lætanter aperuerunt portas, putantes amicos esse. Et ego intraui portas in die B. Procopij, quarta die mensis Iulij. Et cùm omnes intrassent, aperui (a) bannearia regni Bohemiæ & Comitatus Tyrolis. Ipsi verò videntes inimicos, stupefacti nesciebant, quid essent facturi, nec poterant resistere potentiæ nostræ. Et sic per Dei gratiam obtinuimus ciuitatem. Castrum verò aliquot diebus tenebatur contra nos. Minis tamen impositis, qui in castro fuerant, castrum in manus nostras resignârunt. Deinde posuimus exercitũ ante ciuitatem Feltrensem, & quia Veronensis tum occupabatur cum Venetis, & ipsi secum, inde nocere nobis & exercitui nostro minimè poterant, sed vterq; eorum nobiscum tractabant, nos sibi in adiutorium attrahere cupientes. Et cùm stetissemus per sex septimanas in obsidione ciuitatis Feltrensis, concordati sumus cum Venetis, & ligauerunt se nobiscum, ita vt nobis assisterent cum tota potentia in guerra illa aduersus Mastinum de Scala, & miserunt nobis in expensis proprijs septingentos galeatos & multos pedites. Nos verò dimittentes fratrem nostrum cum exercitu, iuimus Venetias. Vbi cum magno honore suscepti, magnaq; tractati reuerentia, ligam mutuam firmaui-

Astus Andrigeti Bellunensis.

Feltrium obsessum.

Carolus iungitur fœdere cum Venetis.

H

(a) Vexilla dicit, detorta voce è Germanico bannier. Etsi Suidas βάνδον: οὕτω καλοῦσι Ῥωμαῖοι σημεῖον τὸ ἐν πολέμῳ. Eodem modo loquitur Procopius lib. 2. de bell. Vandal. & Bandophorũ qui signum ferre consueuit, Paulus Diac. histo. misc. cùm alibi tum li. 16.

Potitur Feltrio. mauimus. Et inde reuersi, Feltrensem ciuitatem fame acquisiuimus. Illi quoq; de Carraria Paduani, tractârunt nobiscum,& ceperunt ciuitatem Paduam & captiuauerunt Albertum, seniorem fratrem Mastini, quem Venetis in captiuitatem dederunt, & remanentes seruitores nostri, retinuerunt Paduam in sua potestate. Nos verò dimittentes seruitores nostros, constituimus in ciuitatibus & castris Capitaneos, †Valuarum de Burgstath, magnatem de Comitatu Tyrolis in Feltrensi, Andrigetum de Bongagio in Bellunensi ciuitate, Capitaneum verò guerræ contra Veronenses Iohannem de Lypa. Quo septimo die sui Capitaneatus mortuo, loco eius Leporem substitui. Sic reuersi in Comitatum Tyrolis, iuimus in vallem Oeni, abinde in regnum Bohemiæ,& confœderati sumus cum Ducib. Austriæ: nam antè non eramus amici. Illa hyeme in carnis priuio tradidimus filiam nostram primogenitám Margaretham, Ludouico, primogenito Caroli, regis Vngariæ, & ligauimus nos contra omnem hominem. Post hoc verò cùm sororius noster in crastinum inuitasset nos ad prandium, in ortu Solis vnus militum suscitauit nos de somno, dicens: Domine surgatis, dies nouissimus adest: quia totus mundus plenus est locustis. Tunc surgentes ascendimus equum, & velociter cucurrimus, volentes finem videre earum vsq; in Pulcaniam, vbi finis earum erat per septem milliaria in longitudine, latitudinem verò earum minimè poteramus considerare, quarum vox erat similis sono tumultuanti. Alæ earũ erant scriptæ quasi denigratis litteris, & in spissitudine erant quasi nix condensatæ, ita quòd Sol propter eas videri non poterat. Fœtor magnus procedebat ab eis: & diuisæ sunt aliæ versus Bauariã, aliæ versus Franconiam, aliæ versus Lombardiam, aliæ hinc inde per vniuersam terram. Et erant generatiuæ: quia duæ per noctem generabant viginti & vltra. Erant paruæ, & citò crescebant, & inueniebantur in tertium annum. Eodem tempore intra duos menses mortui sunt soror nostra & sororius, Dux Austriæ, quos ab eo tempore nunquam vidimus.

Albertus frater Mastini.

†Volckmatum.

Andrigetus.

Johannes de Lypa.

Lepus Baro.

Margarita Caroli F.

Prodigiosa locustarum multitudo.

Mors Othonis Austriaci & Annæ coniugis.

Cùm

Cùm autem venissemus in Bohemiam, contigit nos venire de Boleslauia in Tussen, & cùm somnus nos cœpisset inuadere, superuenit nobis fortis imaginatio de illo Euangelio: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro &c. quod legitur in die Ludimillæ. Et sic incipiens imaginari, in somnijs incepi expositionem. Euigilans verò, retinui conceptum primæ partis Euangelij, & sic diuina gratia adiuuante percepi, quæ sic incipit. Simile est regnũ cœlorum &c. Fratres, eloquium sanctorum Euangeliorum nemo potest exponere: quia intellectus eorum tantæ est profunditatis, quòd nemo potest ad eorum eminentiam plenè pertingere, nec ipsorũ sensum sufficienter enarrare. Vnde Paulus in Epistola ait: O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Et ibidem: Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Tamen quantum mihi datum est desuper à diuina clementia, à qua omne datum optimum, & omne donum perfectũ de sursum descendit, vt scribit Iacobus in Canonica sua: ad intelligentium *istius sancti Euangelij* vobis aliquid describere cupio, quod vos, carissimi, fraternè rogo suscipere, & puri cordis sinceritate contemplari. Audit namq; vestra dilectio, quòd Matthæus in præsenti parabola regnũ cœlorum thesauro abscondito in agro assimilat, per quem quidem thesaurum non impropriè Spiritus Sanctus designatur, quem homo inuenit per gratiam & caritatẽ IESV Christi, qui promisit fidelibus in Euangelio Iohannis, dicens: Rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum, Spiritum veritatis. Per agrum verò, in quo thesaurus ille inuenitur, designatur cor hominis, vbi seminat homo bona & mala opera, quæ referunt fructum animæ suæ in posterum, prout ibi seminauit, sicut apertè innuit Lucas, dicens: Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes Verbum Dei, retinent, & fructum afferunt in patientia. Thesaurus autem ille verè est absconditus à peccatoribus &

Caroli religiosum somnium.

Matth. 13.

Homelia, siue declamatio Ecclesiastica, ex eius temporis Theologia.

Thesaurꝰ.

Ager.

indignis, qui volunt cognitionē habere, nec pœnitentiam agere, & ſic perdunt oculos gratiæ, vt theſaurum illum inuenire non poſsint, excœcati, de quibus ait Propheta: Oculos habent & non videbunt. Sed homo verè contritus inuenit illum theſaurum per gratiam IESV CHRISTI, vt ſuprà dictum eſt. Quia iuxta verbum Pſalmiſticum: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies: ſed ſua exuberante miſericordia illud conſolatur ſemper & coadiuuat, vt legitur in Pſalmo: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Theſaurum verò illum cùm homo contritus inuenit, abſcondit eum in corde ſuo, vigilans & timens atq; cuſtodiens eum, ne Diabolus aduerſarius noſter, qui, vt Petrus ait, circuit, quærens, quem deuoret, ipſum auferat de corde ſuo. Secundū quod poteſt intelligi, quod in Euangelio Matthæi legitur: Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Sed notandū eſt, quòd præ gaudio illius vadit: quod deſignat feſtinationem. Nam ad bona opera feſtinare debemus. Vnde in Euangelio Lucæ: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes & claudos & debiles introduc huc. Sequitur autem in ſuperiore parabola, quòd homo ille inuento theſauro abijt, & vendidit vniuerſa quæ habuit, ſcilicet peccata ſua per renunciationem malorum operum. Ad quod accedit, quòd de Matthæo in Euangelio ſcribitur: Qui reliquit omnia ſua. Et illud: Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Quæ venditio & renunciatio dicitur fieri in foro, & non in quolibet, ſed in foro conſcientiæ duntaxat, per puram videlicet confeſsionem & integram contritionem coram Sacerdote, per Deum ad hoc deputato, ſecundum doctrinam Chriſti: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Ad quod Iacobus in Epiſtola ſua nos hortatur, dicens: Confitemini alterutrum peccata veſtra. Pro quibus quidem malis operibus, cùm ea vendiderit, & ipſis renunciauerit, dicitur bona opera recipere, & poſſeſsionem agri illius, videlicet cordis, quem poſsidere debet in caritate & patientia, & in eo theſaurum prædictum

dictum recondere. Quem thesaurum in regno cœlorum, si perseuerans remanserit, in æternum possidebit, iuxta dictum Matthæi: thesaurisate vobis thesauros in cœlis, vbi nec tinea nec ærugo demolitur.

Sequitur alia expositio ipsius sacri Euangelij, facta per ipsum Carolum.

* * *

POstquam autem sagena illa siue verbum Dei fuerit adimpletum, tunc statim adimplebitur similiter & numerus sanctorum in verbo Dei, & animabus propter verbum Dei, prout in Apoc. Iohannes vidit, & in figura dixit: Vidi subtus altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, quod habebant & clamabant voce magna, dicentes: Vsquequò, Domine, sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum de his, *qui habitant in terra*. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum eorum qui interficiendi sunt, sicut & illi. Post impletionem sagenæ seu verbi & numeri prædictorum instabit dies nouissima & vltimi iudicij, prout Euangelium innuit in verbis præassumtis, cùm dicitur: Sic erit in consummatione seculi &c. Et tunc in illo iudicio educetur illa sagena impleta. Vnde dicit: Educentes. Ijdem erunt educentes, qui fuerunt imittentes eam, videlicet Apostoli. Et ipsi educentes sagenam, scilicet verbum, quod in nos seminauit, vnà cum agro & seminum fructu. Et plenam educent seu impletam, videlicet bonis & malis, seu illis in quibus verbum Dei benè fructificauit, & illis in quibus malè, sicut in Euangelio Lucæ legitur: Quæ seminauit, ea & metet. Et in Psalmo: Qui seminauit in lachrymis, in exultatione metet. Et quia ipsi seminauerunt in vobis, etiam de vobis metent & educent. Educent autem nos per

Hic integrum folium deerat. Habet autem de sagena seu euerriculo similitudinē Matth. eodē ca. 13.

quatuor funes hærentes in ſagena prædicta ad inſtar ſagenæ materialis, quæ ſimiliter per quatuor funes ducitur. Sunt enim in qualibet ſagena quatuor funes: duo ſuper aquam ſe tendentes, & duo ſub aqua natantes. Et hi duo inferiores correſpondent duobus ſuperioribus, ita quod ille, qui eſt in dextra inferiore eorundem, illi, qui eſt in dextra ſuperiore, & in ſiniſtra inferiore illi, qui eſt in ſiniſtra ſuperiore. Sic etiam eſt in iſta ſagena ſpirituali, in qua ſunt ſimiliter quatuor funes, per quos omnes trahuntur, duo ſcilicet ſupernatantes, & illi ſunt ex parte Dei, videlicet gratia & fortitudo: & duo inferius natantes, qui ſunt ex parte noſtri, videlicet caritas & odium. Primo funi ſuperiori, ſcilicet gratiæ Dei, correſpondet primus inferior, ſcilicet caritas, & his duobus trahuntur boni. De primo dicitur in Euangelio Iohannis: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum per gratiam. De ſecundo ſimiliter dicitur in Euangelio Iohannis: Si quis diligit me, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, ſcilicet tincti in caritate & dilectione, & manſionem apud eum faciemus. Et de his duobus poteſt intelligi, quod dicit Pſalmiſta: Funes ceciderunt mihi in præclaris. Item ſecundo funi ſuperiori, videlicet fortitudini, correſpondet ſecundus inferior, ſcilicet odium. Et his trahuntur omnes mali. Nam omnis, qui malè agit, odit lucem, ſicut dicitur in Euangelio Iohannis. Et quo ad illos, magis neceſſaria eſt fortitudo Dei, quàm ad primos. Nam primi voluntariè veniunt ad iudicium, ſperantes præmium: iſti autem fugient iudicium, timentes ſupplicium æternum, & abſcondent ſe in ſpeluncis & petris montium, & dicent montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni: quia veniet dies magnus iræ ipſorũ, & quis poterit ſtare, ſicut legitur in Apocal. Quare quo ad eos, neceſſaria eſt fortitudo, vt per illam trahantur inuiti. De prima, ſcilicet fortitudine, poteſt intelligi, quod dicit Apoſtolus: Omnes rapiemur, ſcilicet fortitudine Dei, obuiam Chriſto in aëra. Et quod Sal-

uator

uator in Euangelio dicit: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, scilicet fortitudine. De secundo verò legitur in libro Regum: Extendet verò super Ierusalem funiculum Samariæ & pondus domus Achab. De ambobus dicit Psalmista: Funes peccatorum circumplexi sunt me. Et sic omnes educentur per Apostolos in illa sagena. Nam, vt ait Apostolus: Omnes stabimus ante tribunal Dei, recepturi prout in corpore gessimus. Educent autem nos ad littus, id est tribunal omnipotentis Dei, quod propriè littori comparatur. Nam sicut littus est terminus nauigantium, sic idem tribunal est terminus & finis omnium in hoc seculo fluctuantium. Postquam autem educent nos, tunc erunt sedentes secus littus, id est tribunal, vt suprà dictum est. Sic ait Saluator in Euangelio: Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et eligent adiudicantes Domino nostro bonos in vasa, id est, ascribent eos in æterna tabernacula, vbi pax est & gaudium, *suo recto iudicio*: malos autem foras mittent, id est ad gehennam perpetuam condemnabunt, vbi est fletus & stridor dentium. Quod fiet in verbo Dei, dum dicet bonis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum &c. ad malos autem: Ite maledicti in ignem æternum, sicut legitur in Euangelio Matthæi. Quo iudicio finito, statum Angeli tanquam ministri & executores dictarum sententiarum & iudicij, separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, vt sequitur in verbo Euangelij præmissi. Nam ipsi sunt ministri Dei, vt de eis Psalmista dicit: Benedicite Deo omnes Angeli eius, potentes virtutes eius, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes, eius ministri, qui facitis voluntatem eius. Sequitur autem in verbis præmissis: Intellixistis hæc omnia? dicunt ei: etiam. Interrogatoria sunt hæc verba. Vnde cum Dominus proposuisset discipulis suis prædictas tres parabolas, interrogabat eos verbis his: Intellexistis

hæc

hæc omnia? Interrogabat autem eos, non quia de eorum scientia dubitabat: quia omnia nouit antequam fiant: sed vt interrogando intellectũ eorum ad sui cognitionem altius eleuaret. Quod nobis in persona Petri liquidè in Euangelio Matth. demonstratur. Cui interrogato, Quem homines dicunt Filium hominis, & respondenti, Tu es Christus, filius Dei viui, statim à Domino dictum est: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Ecce quomodo ad interrogationem discipulorum intellectus continuò fuerat eleuatus. Vnde protinus responderunt: Etiam Domine. Dominus igitur eleuationem intellectus eorum aspiciens, ac ipsos ad capienda responsa suæ sanctæ doctrinæ feruentes considerans, ipsosq; adhuc amplius allicere & inuitare cupiens, præmia cœlestia eis pro mercede policetur, dicens: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Et benè dixit scriba doctus, qui videlicet verbo doctrinæ & exemplo bonæ vitæ eos erudiendo instruit & informat. Nam qui docent & non faciunt, vocantur quidem scribæ, sed non docti, vt in Euangelio Matthæi: Super cathedram Moysi sedent scribæ & Pharisæi: sed doctrinam eorum facite, secundum opera eorum nolite facere. Ecce quod vocantur scribæ, & non docti. Ideo non omnis scriba, sed duntaxat scriba doctus similis est homini patrifamilias, qui de thesauro suo profert noua & vetera. Thesaurus est enim diuitiæ successiuè reconditæ. Sicut igitur paterfamilias tempore opportunitatis & necessitatis pro terrena gloria de thesauro suo profert noua, quæ nouiter recondidit, & vetusta quæ dudum reseruauit: sic scriba doctus de thesauro suo, quem Spiritu sancto inspirante in corde suo recondidit, pro gloria in cœlesti patria adipiscenda, & ad eruditionem & iustificationem aliorum, sua sancta prædicatione & eruditiõe noui & veteris Testamenti mysteria salubriter ꝓfert & exponit. Rectè enim sunt tales scribæ docti: de quibus legitur in Daniele: Qui autem docti fuerint, fulgebunt &c.

& qui

& qui ad iusticiam erudierunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

AEstate eadem veniens prope Mutam, fregi castrum
† Totzyn & alia complura castra Domini de Bodenstein: † al. Cho
quia habui eodem tempore guerram cum eodem Domino, tzen.
& postea fuit concordatum. Eodem tempore iuuenta fuit *Baro Bodē*
argenti fodina in Vresnik. Eadem æstate arripui iter cum *steinius.*
multis Baronib. Bohemiæ, volens transire in Comitatum
Lucemburgensem ad patrem meum, qui miserat pro me,
& de Francofurt reuersus sum. In eadem reuersione crea-
ui collegium ad omnes sanctos in capella regia in castro *Collegium*
Pragensi. Et processi ad regem Vngariæ, qui grauiter in- *omnium*
firmabatur, & antequam in Bohemiam reuerterer, me ta- *sanctorū.*
men ex Vngaria exeunte, venit pater meus ad Ludouicum,
qui se gerebat pro Imperatore, ad tractandum pro concor-
dia. Dictus tamen Ludouicus promiserat mihi, nullos tra- *Ludouicꝰ*
ctatus cū patre meo alicuius concordiæ se sine me habitu- *Bauarus*
rum, sed de consilio meo dicebat, se cum patre meo gra- *transigit*
tiosè ordinaturum. *Ipse verò Ludouicus immemor fidei ac* *cum Io-*
promissionum suarum, fraudulentè decipiens patrem me- *hanne R.*
um, ad compositionem eum deduxit, asserens se dudum
mecum concordasse. Et sic posuit magnam † diffidentiam † al. diffe
inter me & patrem meum, fecitq; quòd ex ratione concor- rentiam
diæ, quam idem Ludouicus confinxerat inter me & ipsum
factam esse, pater meus recepit ab ipso feuda sua tanquam
ab Imperatore: concordauit etiam cum ipso, & in pluri-
bus voluntati eius condescendit, quæ minimè fecisset, si
sciuisset quòd ego cum eo nondum concordatus fuissem.
Ego verò hoc rescíscens, ad patrem meum in Miltebergk, *Carolus*
Mogunt. diœces, acceleraui, significans eidem, totum esse *rescindit*
falsum & fraudulentum, quod idem Ludouicus Bauaricus *initam pa*
cum eo tractasset. Sicq; ea, quæ inter ipsos facta fuerant, *ctionem.*
cum Baronibus Bohemiæ nec † sigillare, nec ratam habere † Obsi-
volui concordiam: sed ea, quæ ibi acta fuerant, omnia pro gnare.
non factis habui, & nulla dixi. Ab inde veni * Bozoniam, * Poso-
quæ est in metis Vngariæ & Austriæ, & concordaui regem nium.

Vngariæ cum Duce Austriæ. Deinde processit pater meus versus Morauiam, volens destruere Nicolaum, Ducem Opauiæ & † Ratmariæ. Quem patri meo vix reconciliaui. Dedit tamen patri meo castra & pecuniam multam. Abinde processi in obsidionem castri Bodenstein, quod contra me & regem Bohemiæ rebellauerat, & spolia multa de eo committebantur. Et licet inacquisibile videbatur, intra tamen nouem septimanas ipsum acquisiui, turrimq; cum Barone, cuius castrum erat, in terram deieci, muros quoq; cum toto castro solotenus prostraui. Deinde iui cum patre meo VVratislauiam. Episcopus * verò loci illius erat patri meo inobœdiens, propter quod pater meus comotus, abstulit eidem castrum Miletz. Ipse verò ea de causa excommunicauit patrem meum, pater autem meus expulit eum vnà cum Clero de ciuitate. Et hæc dissensio durauit penè per duos annos inter patrem meum & Clerum prædictum. Abinde processit pater meus in Budissin, inde in Franciam in auxilium regi Franciæ: quia tunc incipiebat guerra inter Reges Franciæ & Angliæ. Et dimisit me loco sui in regnum. Ego autem substitui loco meo Petrum de Rosenberg, & secutus eum fui per Bauariam, vbi inueni sororium meum, Henricum, Ducem Bauariæ, mortuum, qui vnicum filium cum sorore mea, Margaretha, reliquerat in hæredem, puerum decem annorum, cuius tutelam pariter & patriam occupauit Ludouicus, qui se gerebat pro Imperatore, ratione matrimonij & tractatus, quem idem Ludouicus fecerat cum patre prædicti pueri: quia repulerat filiam Rudolfi, Ducis Bauariæ, Comitis Palatini, filij fratris sui, quæ prædicto puero erat ꝓmissa & † iurata. Deditq; eidem filiam suam, quæ nondum loqui poterat, dicens, quòd vellet pro ea promittere, donec eadem pro se loqueretur, quæ Deo permittente muta facta est. Et inde transiens Bauariam, veni ad patrem meum in Comitatum Lucemburgen. & ibi ego optans processi in auxilium regi Franciæ, cui tunc obsederat rex Angliæ ciuitatem † Banatonensem, antequam gentem suam ipse congregaret. Et ab-

[Marginal notes: † al. Ratiboriæ. — *Bodensteinum.* — * Nancerus. vide annales Silesiæ Ioach. Curæi. — *Budissina* — *Petrus Rosenbergius, Baro.* — *Ludouicus Bauarus rescindit sponsalia.* — † al. inarrata. — *Vltio cælestis.* — † al. Rothomagensem.]

Et abinde processit ante oppidum S. Quintini, deinde ante oppidum Rubemontis, & abinde propè vsq; ciuitatem Laudinensem. Demum reuersus est versus Comitatum Hannoniæ; Vbi Rex Franciæ secutus est eum vsq; ad metas. Metatus est vterq; castra in metis Hannoniæ. Rex verò Angliæ secessit & recessit, dimittens Regi Franciæ campũ, cùm eum per integrum diem expectasset, & acies essent paratæ: quamuis in exercitu haberet multos Principes Alemaniæ, videlicet Ducem Brauanciæ, Marchionem Iuliacensem & de Monte, Comitem Flandrensem de inferiore Alemania: de superiore verò Marchionem Misnensem, Marchionem Brandenburgensem, filium Bauari, & complures alios cum potentia Ludouici, qui Ludouicus ipsum regem Angliæ per Germaniam Vicarium Imperij constituerat. Illis diebus cùm pater meus vnum oculum perdidisset, in alterò incipiens infirmari, transiuit in Montem pessulanum secretò ad medicos, si posset curari, qui tamen eodem tempore excœcatus est. Ego verò procedebam ad Regem *Hispaniæ in auxilium eidem* contra Regem Granatæ, Peragatium, ac gentes & apparatus meos iam præmiseram in montem Albanum. Sed pater meus retinuit me in Monte pessulano secretò, non permittens me transire vlterius. Et cùm curari non valuisset pater meus, processi vnà cum ipso versus Auenionem ad Papam Benedictum XII. ad concordandum cum eo de denario S. Petri, qui datur in diœcesi VVratislauiensi. Nec tunc fuit concordatum, sed remansit in discordia. Tamen in posterum fuit concordata discordatio, quæ erat inter Ecclesiam Rom: & dictam diœcesin pro denario iam dicto, & ibi nobis existentibus, confessi fuimus eidem Papæ de visione nobis facta de Delphino Viennensi, cùm fueramus in Italiâ, quæ superius memoratur. Tamen pro tempore illo visum fuit, quòd melius esset tacere propter aliquas rationes, quàm patri meo dicere seu reuelare. Et cùm ibidem essemus apud Papam, Petrus, quondam Fiscanensis Abbas, Lemouicensis diœcesis, promotus est in Episcopum Altissiodorensem,

Bellũ Gallicum.

Angli socij

Dignitas per Imperium.

Iohannes R. è cœlite cæcus.

Peragatius Rex Granatæ.

Benedictus XII. Papa

Denarius S. Petri.

Petri Fiscanensis accumulatæ dignitates. demum in Archiepiscopum Senonensem, posthæc translatus in Archiepiscopatum Rothomagensem, tempore illo Episcopus presbyter Cardinalis, titulo sanctorum martyrum Nerei & Achillei, de quo anteà mentio facta est, qui fuit de consilio Regis Philippi, & coram eo celebrauerat Missam in die cinerum, prout antè dictum est. Is receperat me in domum suam, me Marchione Morauiæ existente, pro eo tempore, quo steti apud Papam Benedictum: dixitq; vna hora mecum existens in domo sua: Tu eris adhuc Rex Romanorum. Cui respondi: Tu eris antè Papa. Quod vtrunq; secutum est, prout infrà describetur. * Post hæc vnà cum patre meo reuersus sum in Franciam, & abinde misit me pater meus ad sororem meam, olim relictã Henrici Ducis Bauariæ, quæ opprimebatur per Ludouicum, qui se gerebat pro Imperatore, pro auxilio & consilio eidẽ faciendis. Et cùm peruenissem ad eam, inueni eam cum eo concordatam. Abinde arripui iter per Archiepiscopatum Saltzburgensem per Alpes, quæ dicuntur Aurenthur, & cùm tota die transirem per vallem, quæ dicitur Gerlos, recordatus sum de miraculo, seu de visione, quæ in die B. Virginis in assumtione S. Mariæ in Tarunso, Parmensis diœcesis, mihi contigerat. Et ab eodem tempore concepi ad honorem ipsius gloriosæ virginis horas cotidie decantandas in *(a)* Pragensi Ecclesia ordinare, ita vt de ipsius vitæ gestis & miraculis cotidie noua legenda legeretur. Quod postea factum est, prout inferius describetur. *(b)* Ibiq; perueni ad fratrem meum in vallem † in Insuburchã, qui

Præsagiũ de Caroli imperio.

† Insbrug.

* De Petro dignitatem illam histo: hæc non habet. Causam suspicamur, quam loco seq. apposuimus. Est autem Petrus ille Clemens VI.

(a) Variat Aeneas Syluius, idq; è Caroli diplomate: nisi fortè in vtroq; loco idem obseruatum intelligere velimus.

(b) At eò expositio hæc non pertingit: quare vel mutila est, vel certè Cæs. eam non persecutus fuit.

qui dimisso Episcopo Tridentino pro Capitaneo in Comitatu Tyrolis processit mecum in Bohemiam, deinde ad Regem Cracouiæ, deinde ad Carolum, regem Vngariæ, cum quo & filio suo Ludouico, genero meo, se colligauit fœderibus & ligis firmissimis. Ibi eo existente, venerunt nuncij, dicentes: quòd vxor sua vnâ cum Baronibus Comitatus sui contra eum conspirauerunt, ꝑpter quod eum per Bauariam & Bohemiam festinanter reuerti oportebat ad Comitatum Tyrolis. Ego verò breui tempore decurso, secutus sum eum in Comitatum eundem, in vallem Oeni, & ibi secretò cognoui, quòd quidam, nomine Albertus, filius naturalis vxoris fratris mei, & quidam Baro, magister curiæ, prædictæ vxoris fratris mei, tractârunt de consensu ipsius & aliorum Baronum patriæ, vt repudiaret fratrem meum, & duceret Ludouicum, filium Bauari, qui se gerebat pro Imperatore, & quòd omnes Barones vellent illi obœdire tanquam domino, ipsaq; sibi esset in vxorem. Hæc volens resciscere certitudinaliter, posui secretò insidias eidem Alberto cum Buscone iuniore, & captiuaui eum duxiq; per syluam vsq; ad castrum, quod dicitur † Steinburg propè Insburcham. Ibi positus ad tormenta, recognouit omnia sic se habere, sicut relata mihi fuerant. Tunc nitebar captiuare magistrum curiæ, qui tamen pro tempore illo manus meas euasit, castro tamen suo vsq; ad terram deiecto per me. Ipse quoq; postea per amicos suos in manus meas fuit traditus, sic scilicet, vt comite sibi vita, in alijs pro voluntate mea in manibus meis remaneret. Hæc omnia fratri meo significaui, qui mihi grates agens, acquieuit meo consilio, & posuimus custodiam castro Tyrolis & vxori suæ. Deinde processi ad sororem meam in Bauariam, quæ indigebat mei, & abinde reuersus ꝑ Saltzburgensem Archiepiscopatum, iterato gressu perueni in Episcopatum Brixinensem ad castrum Tanbus. Deinde iui per vallem Cadubrij ad ciuitatem Bellun & nocturno tempore intraui in suburbium castri fortissimi Inmellarum in vigilia B. VVencefiai martyris, & sic obsidione facta, ipsum

Cõiuratio Tyrol. in Iohannem Princ.

¶ *Vide chronicon Alb. Arg.*

Albertus caput factiosorũ.

Captus à Carolo subijcitur quæstioni.

† al. Sonneburg. idem nomen legimus in historia Bembi.

Margarita Tyrol. datur in custodiã.

Caroli expeditio Italica.

obtinui, quod castrum possidebat Comes Ezenensis, dominus de Camino, ac ciuitas Venetorum, qui tunc erant mei inimici, quod tamen post concordiam in mea potestate remansit. Abinde iui in ciuitatem Tridentinam, & veniens in Comitatum Tyrolis, fui ibi vsq; ad vigiliam B. Catharinæ, & obsedi castrum Penode super Cardi, quod obsederat gens Luchini Mediolanens: & Dominus de Arto. Quos congregato exercitu secretò cum Episcopo Tridentino, abinde fugaui, & in die B. Catharinæ castrum in meas manus fuit resignatum, ipsumq; contuli Ecclesiæ Tridentinæ. Deinde datum fuit mihi castrum Beluesini, diœcesis Vicentinæ, quam ciuitatem cum toto Comitatu tenebat Mastinus de Scala. Ad quam oportebat me secretò accedere nocturno tempore cum magno periculo, & ipsum munire gentibus. Et abinde reuersus sum in Tridentum, & de Tridento iui in ciuitatem Bellunensem. Vbi me existente, Patriarcha de Aquileia, oppressus à Duce Austriæ & Comite Veronensi, qui in campis iacebant prope Veroniū in Foroiulij, quibus Patriarcha cum gente sua resistere non valebat, misit mihi Epistolam in hæc verba: Vobis, illustri Principi Carolo, de progenie regis Bohemiæ, Marchioni Morauiæ, nec non militiæ vestræ, notifico, quòd domus Dominæ dominarum & virginis virginum Aquileiensis, per hostes grauiter oppugnatur, cui tamen seruitores dominarum vel puellarum potius opitulari debent. Ideo rogo vos & vestros Principes vniuersaliter, quatenus amore Dominæ dominarum non permittatis ita ipsius dominium & bona violari. Quibus auditis, vnà cum militibus nostris penè ducentis galeatis & mille peditibus transiuimus per altissimos montes, vbi transitus non erat consuetus. Dominus quoq; transitum nobis parauit per Seneuallem, & venimus cum magna difficultate in diœcesin Aquileiensem, & altero die ad Patriarcham, qui congregauerat gentem suam & castra metatus est ad nos propè vnum flumen contra inimicos suos, qui iacebant ex altera parte riui, inter nos & eos existentis. Ipsi autem eadem nocte resciscentes aduen-

Luchinus Vicecomes.

Mastinus de Scala.

Patriarcha Aquileiensis implorat opem Caroli.

aduentum meum, fugerunt, & dispersus est exercitus eorum. Tunc nos secuti sumus eos, & obsedimus partem eorum in castro, vbi iacuimus per multum tempus, & impugnauimus sæpius dictum castrum. Ibidem ex nostris multi fueruut vulnerati.

Fuga hostium.

Post aliquantulum temporis Iohannes Rex & *Carolus in Bohemiam fuerunt reuersi. Et rex Iohannes totius regni administrationem tradidit in manus Caroli, hac tamē conditione interposita, quòd ipse Carolus deberet regi Iohāni quinq; millia de parata pecunia ordinare, & quòd ipse Rex Iohannes non deberet intra duos annos ad manēdum in Bohemiam venire, nec intra dictum terminum aliquam pecuniam à regno postulare. Hanc quidem pecuniā sibi per Carolum celeriter conquisitam accepit, & in Franciam secessit. Post cuius recessum Carolus feliciter & satis industriosè gessit regni gubernacula, & quæq; dissipata & distracta reuocando, in statum debitum disposuit & reduxit.

Caroli biennale in Boiemia regnum.

** Mutatio primæ personæ in tertiā. Loquitur enim de se: & quem antea simpliciter patrem, nunc Iohannem regem vocat.*

Expiratis itaq; duorum annorum, sicut suprà dictum est, curriculis, Rex Iohannes reuersus in Bohemiam, disposuit cum Carolo, vt vnà versus Prussiam transirent, contra Lituanos pugnaturi. Celeriter ergo ad viam procuratis necessarijs, VVratislauiam transierunt, quò etiam Rex Vngariæ, Comes Hollandiæ & plures alij Principes, Marchiones, Duces, & multi viri spectabiles in eodem proposito, de diuersis mundi partibus conuenerunt. Ijs itaq; in VVratislauia existentibus, inter alia solatia, quibus Principes solent insistere, ille odiosus & furibundus taxillorum lusus inter eos extitit. In quo rex Vngariæ & Co-

Iohannes R. alterā parat expeditionē in Lituanos. Vratislauia exercitus diribitorium.

mes

¶ *Plato cùm quendam conspexisset alea ludere, eum obiurgauit, ille respondenti, quare se in paruis reprehenderet, dixit:* τὸ γ' ἔθ☉ ὐ μικρὸν.

mes Hollandiæ ſic feruenter luſerunt inuicem, vt ipſe Comes in Rege ſexcentos florenos lucraretur. De quo dum dictum Regem iracundum & turbulentum videret habere animum, motus vehementia & arroganti animo, prorupit in hæc verba: O Domine Rex, mirandum eſt, quòd cùm Princeps tam magnificus ſitis, cuius terra auro abundare dicitur, de tam modica pecuniæ ſumma ſic ægrum debetis monſtrare animum, & in inquietudine ponere mentem veſtram. Ecce vt vos & omnes alij videatis apertè, quòd pecunias taliter acquiſitas non amplector, nec in vſus meos tranſire, ſed liberaliter à me tranſire debeant. Quo dicto, omnes pecunias in luſu acquiſitas proiecit in medium populi circumſtantis. De quo ipſe Rex maiorem concepit iracundiæ materiam, quam tamen vt ſapiens diſsimulans ſilentio preſsit. Poſt non multos verò dies omnes iſti Principes & magni viri de VVratiſlauia verſus Pruſsiam proceſſerunt. Et ibidem cùm per longum tempus glaciem expectantes iacuiſſent, hyems adeò fuit mollis & lenis, quòd per glaciem tranſitum, ſicut alijs annis, minimè habuerunt. Et ſic multi magni viri ſuis votis fruſtrati, perdiderunt labores ſimiliter & expenſas.

Hyems tepidior operæ & olei perditi cauſa,

Cazimiri Rex & Bulconis D. hoſtilis machinatio.

Reuerſi ſunt itaq; Domini prænominati, & quiſq; eorum ad terram ſuam direxit greſſus ſuos. Rex autem Cracouiæ & Bulco Dux malignum fraudulenter conflauerunt conſilium, qualiter Iohannem regem & Carolum in eorum reditu de Pruſsia poſſent capere, & poſt multas † calumnias vſq; ad extremum denarium depactare. Ipſi autem talium inſidiarum ignari, Rex Iohannes cum ſuis per Marchiam Brandenburg. & Luſatiam tranſeundo, verſus Comitatum Lucemburg. ſe recepit, Carolus verò vitare non potuit, quin oporteret eum per regis Cracouiæ terram verſus VVratiſlauiam neceſſariò remeare. Venit itaq; in ciuitatem Calis, vbi procurante rege Cracouiæ irretitus fuit inſidijs, non vt tanquam hoſtis publicus capi deberet, ſed ne ciuitatem exiret, clanculò cuſtodiri. Quod ſtatim

† al. cõtumelias.

Caro-

Carolus cùm intelligeret, finxit se huiusmodi non sentire custodiam, sed dixit, se ibidem velle pausationis gratia per dies aliquot permanere. Misit itaq; ad Capitaneum VVratislauiensem nuncium pedestrem, insinuando sibi totius facti ordinem seriatim. Qui statim cum trecentis armatis prope ciuitatem Calis ad vnum milliare peruenit, valentemq; spadonem * Carolo ante portam ciuitatis trasmisit, quem Carolus satis sagaciter, sicut per nuncium, quem in VVratislauiam transmiserat, edoctus fuit, tentauit. Adductum itaq; caballum ascendit, & celeri cursu ad suos, qui de VVratislauia ad eripiendum eum venerant, citius perrexit. Cùm igitur Rex Cracouiæ intellexisset, quòd Carolus suos sic euasisset laqueos, totam eius familiam, quæ post eum in Calis remanserat, captiuari mandauit, quam postea, ex quo Carolum, sicut decreuerat, retinere non potuit, absolutam abire permisit. Post hæc Rex dictus Cazimirus ciuitatē Stenauiam, ad territorium VVratislauiense spectantem, obsedit & expugnauit, vbi multa enormia deflorando virgines, & ciuium vxores deturpando, commisit. Quod cùm Iohanni, regi Bohemiæ, qui tunc super alueum Rheni moram traxit, insinuatum fuisset, statim in Bohemiam venit, & congregando exercitum, ciuitatem Suidnitz obsedit, & suburbio eius depopulato, & territorio eius in magna parte destructo, ciuitatem Landeshute expugnauit & deuicit. Et quia ipse Dux Suidnicensis illas insidias & machinationes iniquas, quibus Carolus in Calis, sicut superius narratum, extitit detentus, dolosè & nequiter procurauit, Rex Iohannes & Carolus decem septimanas in terra dicti Ducis iacentes, ea hostili prædæ in vindictam perpetrati criminis exposita, in Bohemiam redierunt.

Carolus prudenter se è laqueis expedit.

*Spadonem barbarè spadicis coloris equum, vel certè cantherium vocat.

Cazimiri expeditio Silesiaca 1343.

Iohannes R. ἀμυνόμενος in Suidnicensem. Landeshuta.

His itaq; gestis, non longo temporis spatio transacto, Ludouicus Bauarus, qui se Imperatorem nominauit, cum rege Vngariæ, Duce Austriæ, rege Cracouiæ, Marchione Misnensi & Duce Suidnicensi fortem super Iohannem, regem Bohemiæ, & Carolum, Marchionem Morauiæ, li-

Ludouicus Bauarus & confœderati indicunt bellum Iohāni Regi & Carolo F.

gam construxerunt, qui omnes dictum Iohannem & Carolum in vna septimana suis litteris diffidârunt, volentes eos inuadere, & tanquam eorum capitales persequi inimicos.

¶ *Consilio omnia prius experiri, quàm armis sapientem decet.*

Super quibus nouis rex Iohannes territus, solennes suos nuncios, videlicet Dn. Nicolaum de Lucemburg. suum intimum Consiliarum, & Dn. Henricum thesaurarium in Nevvenburg, suum protonarium, misit ad Ludouicum, vt cum eo ad tractandum de concordia, aut treugis inter eos statuendis, ad aliquem terminum conueniret. Qui simpliciter respondit, quòd nullas cum eo vellet habere treugarum inducias, nec aliqua cum eo quærere concordiæ perlamenta Iohannes Rex hoc audito, dixit: In nomine Domini, quantò plures habuerimus inimicos, tanto plura spolia & prædas capiemus: & ego iuro per Dominum IESVM Christum, quòd quicunq; eorum me prius inuaserit, hunc taliter obruam, quòd omnes alij terrebuntur.

Digna generoso Rege vox.

Post hoc non longo tempore transacto, Cazimirus, Rex Cracouiæ, Nicolai, Ducis Opauiæ, ciuitatem nomine Saar inuasit, & hostiliter obsedit. Qui statim ad regem Iohannem in Pragam misit, & vt aliquot viros armatos, quorum adiutorio ciuitatem suam, per regem Cazimirum circumuallatam, posset liberare, transmitteret, instantissimè supplicauit. Rex Iohannes hoc audito, lætabundo respódit animo: nullam sibi transmittere gentem, sed intra quatuor dies sibi velle in adiutorium venire propria inpersona cum multitudine maxima armatorum.

Cazimirus denuò inuadit Silesiam.

Statim rex Iohannes omnibus regni Bohemiæ Baronibus in vnum conuocatis, omnibus audientibus, dixit: Ecce viri nobiles, strenui, & fideles dilecti, oportet vt regnum nostrum & patriam contra nos & vos iniuriosè insultantes, gladio & armis defendamus. Et quoniam iste Cazimirus, Cracouiæ Rex, nobis in contumeliam, regni nostri Bohemiæ & coronæ vasallum & Principem, Nicolaum, Ducem Opauiæ, hostiliter inuasit, in quo maiestatem nostram grauiter reputamus offensam, nec leuiter ferre debemus, quòd grauem patiuntur offensam, qui se pacis & tranquillitatis gratia

Iohannes R. Baronũ conuentũ agit.

gratia nostro dominio subdiderunt. Ne ergo nobis pigritiæ ascribatur segnities, & otiosæ quietis somnolentia impingatur, volumus & mandamus vobis singulis, & singulariter vniuersis, vt statim arma capiatis, & ad bellum expediti sine mora nos sequamini, ad propulsandam illius stultam proteruiam, qui Principem & vasallum nostrum præsumsit inuadere, qui nostra defensione potitus, meritò debet pacis tranquillitate gaudere. Barones verò ad Regis verba responderunt: Domine Rex, de iure nostro existit, & ab antiquis temporibus inuiolabiliter obseruatum, quòd extra regnum non debemus armis proficisci, sed intra regni limites ipsum regnum contra eos, qui hoc hostiliter inuadere conantur, pro viribus defendere & tueri. Quibus Rex ait: Ducatus Opauiæ, sicut alij * Poloniæ Ducatus, ad regem Bohemiæ, & coronam regni respectum habere dignoscitur. Vnde ego accinctus ad iter iam vado districtè, & omnino visurus, quis vestrum tali captus temeritate & audacia præsumtioneq; temeraria, vt retrò me manere præsumat. Ita Rex Iohanes eadem nocte cum quingentis galeatis de montibus Cuthnis, vbi talia verba cum Baronibus regni habuit, recessit, & ad Ducem Nicolaum de Opauia die & nocte festinanter properauit. Et statim secuti sunt eum Barones & regni nobiles vniuersi, & antequam ad dictum Ducem venirent, habuerunt duo millia galeatorum, exceptis sagittarijs & alijs decenter armatis. Quos nobilis Zdenko de Lypa cum trecentis armatis citius currendo præuenit, & cum Vngaris & alijs, qui de Cazimiri Regis mandato Ducis ciuitatem obsederant, bellum feruidum instaurauit. Quos fugam capientes vsq; in ciuitatem Cracouiam insecutus est, & in eadem fuga trecenti Vngari interfecti sunt, & sexaginta viri nobiles captiuati. Reliquos verò sic insequebatur auidè, vt ipse & magna pars suorum ciuitatem intrarent animo furibundo: qui cancello turris demisso, fuerunt in ipsa ciuitate retenti.

ἀνακέλευθοι.

* Silesiæ.

Retundit tergiuersantes.

Zdenco de Lypa.

K 2 Rex

Iohannes R. vrget victoriam.

Rex verò Iohannes valdè ferebat amaro animo, quòd ipse disturbio tali non interfuit: quia ciuitatem sine omni resistentia acquisiuisset. Statim tamen eodem die Cracouiam cum magno obsedit exercitu, & iacendo ibidem, totam terram, depopulatis suburbijs, parte maxima deuastauit. Tunc Cazimirus, Rex Cracouiæ, nunciauit regi Iohanni, vt ad euitanda multarum personarum pericula, secum sola solus in stuba clauderetur, & qui ibi alium vinceret, suum propositum de eo obtineret. Sed quia Rex Iohannes omnino tunc excœcatus erat, nunciauit sibi, quod se excœcari faceret, tunc libentissimè paribus armis vellet intrare duellum. Post hoc petente Cazimiro, statim fuerunt treugarum trium septimanarum inter eos induciæ procuratæ. Quibus pendentibus, tota inimicitiarum materia fuit cōplanata, ita vt Carolus, Marchio Morauiæ, de decem marcarum millibus argenti, quæ sibi dudum Cazimirus in mutuo concesserat, quietus dimitteretur omnino & solutus. Et sic extincta dissensionis materia, fuit inter eos pacis tranquillitas posita & firmata. In qua quidem pacis firmatione omnes isti Principes, qui prius ipsum regem Iohannem & Carolum, Marchionem Morauiæ, diffidauerant, fuerunt vnanimiter comprehensi.

ναύσων ναυκϱάτει.

Transigit cum hoste.

Fructus victoriæ.

Ludouici Bauari ad Iohan. R. de reconciliatione legatio.

† al. placitum.

Treuirensis arbitratorem agit.

Post hoc Ludouicus Bauarus solennem suam ambasiatam ad regem Iohannem & Carolum misit, instanter petendo, vt secum ad † Perlamenti conueniret terminum: vellet enim sibi de vniuersis iniurijs & violentijs, quibus Iohannes filius suus per Ludouicum filium suum in abalienatione vxoris & Comitatus Tyrolis damnificatus esset, integraliter satisfacere, & condignam reddere recompensam. Qui quidem placitorum terminus fuit super die certo coram Treuirensi Archiepiscopo, qui Regis Iohannis patruus erat, in Treuiris constitutus, ad quem quidem terminum multi Domini & viri magnifici ad regis Iohannis partem conuenerunt, qui super re magna magnos habuerunt tractatus: quia sic facti enormitas, & perpetrati crimi-

criminis execrabilis imanitas, requirebat. A feculo quippe non est auditum, vt magnus generosusq; Princeps & Dominus tam nobili terra, & vxore propria, machinatione iniqua & proditorio consilio sic nequiter priuaretur. Multis itaq; examinatis consilijs, productum fuit in medium, quòd Iohanni, qui de Comitatu Tyrolis & alijs suis dominijs maligno & fraudulento consilio per suos eiectus & expulsus fuerat, nullatenus competeret, nec honorificum existeret, vt Comitatum Tyrolis & alia sua dominia reingredereretur denuò, nec vxorem reassumeret, quam taliter adulterij turpitudine pollutam nunquam posset amplius dulcibus fouere amplexibus, nec affectu vxorio sine abominationis nausea, sicut ordo coniugalis exigit, adamare.

Iohannes, Iohannis R. F. renunciat coniugio & Comitatu Tyrol.

Tandem ad hoc deuentum fuit, quòd Ludouicus de Bauaria se ad hoc detulit, quòd regi Iohanni & filio suo, qui de dominijs suis, vt præfertur, relegatus fuerat, vellet dare terram Lusatiæ, vtpote Gorlitz & Budissin ciuitates, quæ cum totis dominijs, & vniuersis suis pertinentijs regno Bohemiæ *incorporari debeant*, totis futuris temporibus permansuræ, præterea viginti millia marcarum puri argenti, pro quibus Berlin, Brandeburg & Stendel ciuitates Marchio obligare vellet cum vniuersis & singulis prouentibus, vtilitatibus & vsufructibus, ad ipsas ciuitates pertinentibus, tam diu per regē Iohannem aut filium eius Iohannem tenendas, possidendas & vtifruendas, donec ipsa viginti millia marcarum in parata pecunia in ciuitate Pragensi totaliter soluerentur. Quam quidem ordinationem rex Iohannes amplexatus est.

Pro ijsdē oblata ἀμοιβή.

Sed postquam ad Carolum, Marchionem Morauiæ, & Iohannem, filios suos perduceretur, noluerunt in eadem consentire, dicentes: Si pater noster arripuerit istas pecunias, disperget eas inter Rinenses Henkinos, & sic decepti manebimus & illusi. Dum itaq; Ludouicus Bauarus intellexisset, quòd regis Iohannis filij ipsam ordinationem acceptare noluissent, nec eorum literis firmare, sed totum quod tractatum & ordinatum fuit, irritum & inane remansisse, de eo valde fuit territus

Carolus & Iohan. nolunt teneri paterna pactione.

territus, & vltra modum, quàm dici poterit, ſtupefactus, & ſuſpicatus eſt mali euentus eſſe omen, quòd filij regis Iohannis ordinationem, per magnos Principes maturis & prouidis conſilijs diſpoſitam, & per patrem ipſorum acceptatam, acceptare renuunt & amplecti, ſed animosè & mente ſuperba contradicunt.

Ludouicus Bauarus exauctoratus.

Poſt hæc Rex Iohannes intrauit curiam Auenionis ad Papam Benedictum, & cum eo practicauit in tantum, vt ipſe coram omnibus Electoribus vocatis inſinuaret, qualiter Ludouicus de Bauaria non eſſet verus Imperator, cùm ipſe ſtaret contra ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, Chriſtianitatis matrem, & quendam fratrem Minorum ad coronandum ſe in Papam poſuiſſet. Et ſic ſtatim Electores ad electionem procedentes, Carolum, Marchionem Morauiæ, in regem Romanorum felicibus auſpicijs elegerunt.

CAROLI IIII. imperium.

Explicit diæta sereniſsimi Principis, Caroli, Imperatoris Romanorum, nec non Bohemiæ regis illuſtris &ç. anno Dñi &ç. LXIII. Sabbato poſt Epiphaniam.

SERMO

SERMO POST MORTEM IMPERAT. CAROLI IIII. factus per Dominum Iohannem Archiepiſcopum * Pragenſem, Apoſtolicæ ſedis legatum ſecundum.

* alterũ ſcilicet in eo numero, q idẽ poſtea Cardinalis factus.

¶

IVSTORVM ANIMAE IN MANV Dei ſunt. Scribuntur verba hæc Sapientiæ 3. Dico: Iuſtorum animæ, vbi vt ſuprà, Illuſtriſsimi Principes ſeculares, Reuerendiſsimi patres ſpirituales, ac vniuerſi Dñi venerandi. Non enim extat dubius vobis occaſus Sereniſs: Principis, Caroli quarti, quondam Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac Bohemiæ Regis Illuſtriſsimi ac inuictiſsimi, Domini noſtri. Et ideo materiam gemitus nunc duco in publicum. Quapropter Ieremias nos inuitans ad lachrymas Thren. 2. cap. ſic inquit: *Deduc quaſi torrentem per diem & noctem, non des tibi requiem, neq; taceat pupilla oculi tui.* Et ideo verba mea plena ſunt dolore, exitus aquarum deducant oculi mei, & torrentes affluant lachrymarum, aperiantur cataractæ miſeri corporis mei, vt totus in lachrymas fluam. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum & plorabo? vtinam in fletum totus effluam, & paſcatur lachrymarum ſolatio dolor meus. Dedúcant oculi mei lachrymas, deficiat in dolore vita mea: quia vox lamentatiõis audita eſt de Sion, decidit corona capitis mei, & in luctum verſus eſt chorus noſter.

¶. Repræſentat hæc Oratio tum iſtius temporis concionandi modum, tum Theologiam ipſam. Notetur etiam hîc locus Ciceronis lib. 2. de legibus: Honoratorum virorum laudes in concione memorantor: eaſq; etiam ad cantus ad tibicinem proſequantor. Cui nomen Neniæ, quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant &c.

noster. Quia quod aduersus Israël & regnum eius multis seculorum curriculis Prophetæ cominando prædixerant, dies vna & lugubris, & infelix, dies caliginosa, & omni nocte tenebrosior compleuit. Et quid Threnos Ieremiæ reuoluo? totus Ieremias non sufficeret faciem miseriæ præsentis depromere. O bone IESV CHRISTE, ô benigne, ô amabilis, ô desiderabilis, ô suauis, ô dulcis, ô amor Deus, vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, quomodo oblitus es miserationum tuarum antiquarnm, quomodo versus es nobis in crudelem, iam non sanctificator aut redemptor, sed mortificator, atq; peremtor effectus es. Hæc Petrus Blesensis in quadam Epistola planctus de morte Christianorum. Vnde meditando mortem Serenissimi Principis supradicti, laboraui in gemitu meo per singulas noctes &c. Psal. 6. Vnde & plangent eum vniuersæ generationes orbis terrarũ; de quo quidẽ planctu plenius Zachariæ 12. cap. sic dicitur: In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adremmon, in campo Mageddon. Et plangent eum familiæ, & familiæ seorsum, familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum. Familiæ domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum. Quod ad omnes nationes applicari potest, quæ eum meritò plangere debent. Ad quas quidem lachrymas, Eusebius in quadam epistola inuitans Ecclesiam ad lachrymas, sic inquit: Inclyti Christianæ plebis flete, quoniã cecidit Dux vester, vox in Rama audita sonet tanti filij recessum, piè ploret mater Ecclesia, iam circundabunt eam canes multi, & consilium malignantiũ obsidebit eam, quoniam longè factus est ab ea auxiliator eius, iam ad suã non respicit defensionem, iam tribulatio proxima est, & non est, qui adiuuet, iam in sepulchro iacet protector solitus: heu vaticinabuntur pseudoprophetæ, & prophetabunt visiones mendaces & fraudulentas diuinationes & seductiones sui cordis in nobis, & certè non est qui resistat eis: siccatus est enim fons vitæ, & vena disparuit aquarum viuen-

Petrus Blesensis.

¶ Vulgata versio variat, & aliquantò plenior est.

Locus Eusebij.

uiuentium, ſicut iam veriſimilius apparet in ſchiſmate nouiter exorto, qualiter mors ſua vniuerſali Eccleſiæ fuit valdè nociua. Hæc ille. Et idcirco clama in cilicio & planctu, pia mater induere, induere veſtimentis viduitatis, tanto viduata filio, & ſubſequenter. Plora igitur, deducant oculi tui lachrymas per diem & noctem, quoniam defecit anchora tuæ ſpei. Et dicat ſubſequenter per ratiocinationem talem colorem, tanquam cum Deo arguendo: Cur bone IESV tam velociter à tua ſponſa, quam in cruce moriens deſponſaſti, tantum abſtuliſti filium protectorem, & contra huius hoſtes belligerum: fortè voluiſti eum tecum: certè Domine non eo egebas, vt ipſa: benè ei quidem ſubueniſti, ſed nos orphanos reliquiſti. Non conqueror quòd aliud quàm iuſtum & æquum feceris, & certè ipſe merebatur finem imponere huius mundi laboribus, & tecum eſſe. Sed doleo, quòd tantum incurrit damnum eo abeunte Eccleſia: vtrum eum redderes, vt tuum regeret ſtabulum, & defenderet Eccleſiam, velut prius. Idem Euſebius. *Et tu natura quid feciſti? quare principem noſtrũ abſtuliſti? vtinam ſpiritũ vitalem in corpus redderes.* Quapropter Architrenius lib. 8. in oratione ad naturã ſic inqt: *Archithrenius.* *¶ Is eſt Iohannes Hantuillenſis Vide bibliothecam Simleri.*

Hoc nihil, imò minus Dea reſpice fletus,
Fonticulos, ſtagna lachrymæ, meroris abyſſos
Extenues, & plena malis vinaria ſicces.
Torqueor, & planctus animi tormenta fatetur
Garrulus, & morbi latebras ſuſpiria clamant.
Nec lachryma fraudor, veris à nubibus imber
Soluitur, & nimbos oculi pluit intima nubes.
Ducitur ex animo luctus, certiſſima flendi
Cauſa ſubeſt, & vera mouent aduerſa querelas.
Nam tot inexhauſtis, anima languente, procellis
Concutior, totuſq; dolor circumfluus omni
Veſte &c.

Et ideo cibaſti nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura. Sed eſt aliquid, in quo

mens amarata, & oculi fatigati alicuius consolationis fouerentur aliquo adiutorio: nam præter duos homines, videlicet Enoch & Helias, omnes homines necessariò oportet mori. Et ideo mors vitari non potest: vnde Sapientiæ 8. cap. sic scribitur: Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Seneca de remedijs fortunatorum cap. 2. contra pauorem mortis sic dicit: Morieris nec primus nec vltimus, multi te antecesserunt, omnes te sequuntur. Est & aliud, quo spiritus noster alicuius recreationis antidoto respirat. Non enim serenissimus Princeps noster decessit, sed recessit, abijt, non obijt. Mors enim per quã mirificauit Dominus sanctum suum, non est mors, sed est dormitio, portus mortis & porta vitæ, introitus in delicias cœlestes pariter, prout ait Petrus Blesensis in quadam Epistola. Vnde Canticorum 6. dicitur Ecclesiæ: Quò abijt dilectus tuus, ô pulcra mulierũ, quò dilectus declinauit, & quærimus eum. Vox Ecclesiæ: Dilectus meus descendit in hortum suum, vt ibi pascatur in hortis, & lilia colligat. Et Eusebius in quadam epistola sua sic ait: Dilectus meus, candidus, speciosus, electus ex millibus, in quo nulla est macula, pascitur inter lilia, in vinea Domini Zebaoth. Ecce flos campi, & rosa nimio fragrans odore, de horto nuper Ecclesiæ in viridarium Domini est transplantatus, ecce cypressus in cœli altitudine se extulit: ad Insulas enim longè diuulgetur nomen suum, vt sit in æternum nomen suum in benedictione. Certè non est mortuus, vt æstimant sui hostes, sed certè regnat victor in terra viuentium. Et Sapient: 4. cap. sic de eo dicitur: Placens Deo factus dilectus & viuens inter peccatores, translatus est: raptus est, ne malicia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animum ipsius. Consummatus in breui expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius, vocatus est in cœlum, quo mundus non erat dignus, nec ob hoc extincta est lucerna eius. Et cur ista tam audacter loquar, attendite, & videte opera quæ fecit, de quibus longum esset perstringere, pauca tamen dicere conuenit. Testis est totus

Horatius: Omnes vna manet nox, Et calcanda semel via lethi.

Mors piorum.

tus mundus, qualem vitam duxerit ab æuo iuuenili vſq; decrepitum ſenectutis ſuæ & mortis: ſcripta enim ſunt per plurimos codices: adhuc Principum & Baronum eſt copia teſtantium, quæ Deo præbuit beneficia, & ideo explanatione verborum non indigent opera eius. Ideo meritò Threnorum 4. cap. de eo dicitur: Propterea mœſtum eſt cor noſtrum, ideo conturbati ſunt oculi noſtri, ꝓpter montem Sion: quia diſparuit. In veritate enim mons Sion dicitur, quia perfectiſsimè tres Theologicas ſpecies in ſe habebat. Primò enim fidem habebat, quæ monti Sion applicatur. Vnde Pſal. 144. ſic dicitur: Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum. Ipſe fidem firmiſsimè tenebat, & ſciebat, Hæreticos ſæpiſsimè confutabat, verus defenſor fidei & Eccleſiæ exiſtens. Et quia Trinitatis fidem confeſſus eſt, ideo ad beatiſsimam gratiam peruenit: ſciuit enim, quia iuſtus ex fide viuit, Abacuc. 2. cap. Quia ſancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſticiam &c. ad Hebr. 11. cap. Vnde octo beatitudines in ſe habuit, quæ ſcribuntur Matthæi 5. cap. vt fidelis diceretur. Primò enim erat pauper ſpiritu, quamuis fuerit Imperator. Nam in veſtibus, in lectiſternijs, in cibis & potibus, ſemper formam pauperum, quantū in eo erat, exprimebat, & ideo omnem arrogantiam per hoc repellebat, & compatiebatur pauperibus. Quia beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, Pſal. 40. Ipſe fuit mitis, ideo poſſedit terram in tranquillitate: vnde multas aduerſitates paſſus, & iniurias & damna, miti modo tranſiebat. Vnde: Beati mites, quia ipſi poſsidebunt terram. Tertiò, ipſe etiam fuit lugens. Nam mortem alicuius ſui lugebat, et etiam excidia Chriſtianorum multotiens ex deuotione: quod vtiq; ipſe debet eſſe conſolatus: quia qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent, Pſalm. 135. Quartò, ipſe etiam eſuriuit & ſitiuit iuſtitiam. Nam tanta iuſtitia erat vitæ ſuæ tempore in mundo, quòd totus mundus in æquitate & pace vigebat, & ideo iam in cœlis ſaturatus ea exiſtit. Quintò etiam ipſe erat miſericors, quia op-

Teſtimonia de vita & virtutibus Caroli.

Species Theologicæ.

Octo beatitudines.

preſsis compatiebatur, & vbi potuit, ſemper miſericordiam faciebat. Vnde benè dicere potuit: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, Pſalmo 100. Et ideò nunc miſericordiam in cœlis conſequutus eſt. Sextò etiam fuit ipſe mundo corde. Nam non poterat audire mala, quæ homines faciebant, ſemper confitebatur, communicabat, iuſticiam exhibebat, vel ſacris lectionibus inſiſtebat, & ideo in cœlis Deum nunc videre meruit. Septimò ipſe etiam perſecutionem magnam paſſus eſt propter iuſtitiam. Nam Reges & Principes inuidebant ſibi, & ideo eſt eius regnum cœlorum. Et ideò de eo dicitur, vt ſupra Matthæi 5. cap. Gaudete & exultate, ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Et quia fidem firmiter tenuit, & fidelis creatori ſuo fuit, ideo ſibi dicitur Matth. 5. cap Euge ſerue bone & fidelis &c. Octauò ipſe etiam habuit firmam ſpem, habens illud in mente: Quis ſperauit in Domino, & derelictus eſt? Eccl: 2. cap. Vnde ſpes ſibi tanta erat de Deo, quòd per firmam ſpem inimicos deuincebat, & aliqua deſperata negocia, & quaſi impoſsibilia, ad finem bonum deducebat. Ideò ſperauit in Domino, eripiet eum, ſaluum faciet eum, quoniā vult eum. Pſal. 21. Et ideo quæcunq; petebat Deum, ſpem ſemper habebat, quòd eum Deus exaudiret, habens illud dictum Euangelij: Quæcunq; petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, & fient vobis. Ioh: 16. cap. Vnde in ſpem vitæ æternæ ſeptem opera miſericordiæ in ſe habebat.

¶ Vel lege, vel ora, vel cum feruore labora.

Septē opera miſericordiæ.

Primò nudos operiebat, tenens illud dictum Euangelij: Cùm videris nudum, operi eum. Eſa: 58. Secundò potum tribuebat pauperibus. Vnde audiui à quibuſdam Baronibus, qui adhuc viuunt, quòd ſemel in quodam horto cœnabat, & ex caſu leproſi ad menſam venerunt, quos fecit collocari in alia menſa prope ſe, & cibauit eos, & de cupa ſua, de qua bibebat, dedit eis bibere, & iterum reſiduum ab eis epotat, quamuis ab omnibus prohibitus extitiſſet, commemorans Euangelium: Qui dederit vni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ, aptus eſt regno cœlorum. Marc. 9. ca. Tertiò paſcebat eſurientes, tenens illud dictum: Frange

eſurienti

esurienti panem tuum, Esaiæ 58. Quartò collegit eos hospitio, vndè hospitalia multa fecit, ad pauperes hospitandos, tenens illud: Hospes eram, & collegistis me, Matth. 25. Quintò infirmos libentissimè visitabat, & eis compatiebatur, dicens: Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. Sextò incarceratos & inuinculatos, vel morti deputatos, sæpius liberabat, tenens illud dictũ Sapientis: Eripe eum qui ducitur ad mortem, Prouerb: 12. cap. Septimò sepeliebat mortuos, vnde non permittebat eos diu iacere vbi sciebat, sed sepelire mãdabat, velut fidelis Tobias. Sic enim faciebat in omnibus operibus, pauperibus dicens sicut Tobias: Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, sic enim fiet, vt nec auertatur facies Domini à te, Tobiæ 4. Etiam ipse in se habuit charitatem. Nam omnia quæ faciebat, in vera charitate faciebat, cauens se ab illo dicto Euangelij: Etiamsi montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil fecisse videor, 1. Cor. 13. cap. Et quia septem dona Spiritus sancti charitati attribuuntur, id est, Spiritui sancto, meritò ergo habuit in se septem dona Spiritus sancti. Primò ipse habuit spiritum sapientiæ: ipse enim fuit sapientior Salomone, quod probari potest indicijs & argumentis multis. Primò illud quod sciuit Salomon, hoc perfectissimè sciuit Serenissimus Princeps noster videlicet * libros suos. Salomon autem ignorauit, quæ iste sciuit: ergo probatur, quod ille plus sciuit quàm Salomon. Ille fuit Rex: Iste Imperator: ille præfuit populo Israëlitico, iste præfuit vniuerso huius mundi, nec solùm Ecclesiæ Israëlis, verum etiam gentilium & vniuersorum, & confinia mundi distinguebat. Ille sapientia bellabat: Iste sapientia sine bellis pacem firmabat. Ille templum ædificabat, iste templum Dei auro fuluo, gemisq; & lapidibus preciosis perornabat. Ille in fine à Domino recessit: Iste semper cum Domino in fine resudauit, meditans quod ille, qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit, Matth. 10. cap. Nec sapiens ideo dicitur fuisse Salomon, quia in fine insipiens & damnationi æternæ se tribuit, prout opinio maior tenet,

Charitas.

Septẽ dona Spiritus Sancti.

¶ Atqui Poëta: Dicite Pontifices, in tẽplis quid facit aurũ? Quin superis iustos mores castosq; dicamus?

tenet, sed insipiens ideo meritò nominatur, ita quod in veritate Serenissimus Princeps noster Sapientiam *immediatè præ participibus suis à Domino habuit: nam magnū eum fecit in Israël, & victoriam illi dedit Dominus omnipotens. Immortalis est enim memoria illius, quia apud Deum nota est & apud homines, Sapient: 4. cap. Secundò ipse habuit in se Spiritum intellectus. Vnde ipse intellexit ferè omnia idiomata totius Christianitatis. Optimè istas linguas sciuit, videlicet Bohemicam, quæ est naturalis, Teutonicam, Latinam, Francigenam, Lombardicam, Thuscanicam & quàm plures particulares linguas, & ab his descendentes, perfectè sciuit ac intellexit. Vnde verus fuit Christi Apostolus, quia in omnem terram exiuit sonus eius & talis debuit vniuerso orbi præesse, qui dispartitis linguis loqueretur sapientiam, & cuilibet responderet in lingua sua, in qua natus est, Acto: 2. cap. Tertiò ipse habuit spiritum consilij. Nam quamuis sapientissimus esset, tamen consilio vtebatur, habens illud dictum: Ne innitaris prudentiæ tuæ, quod transsumtiue ponitur 3. cap. Ne innitaris, de constitutionibus. Quartò ipse habuit spiritum fortitudinis. Nam Spiritus Sanctus in omnibus ipsius aduersitatibus confortabat eum, dicens: Confortare & esto robustus, Deut: 31. cap. Cui idem Serenissimus Dominus noster respondebat: Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, Psal. 117. Quintò, ipse habuit spiritum scientiæ. Nam vt benè notum est, ita doctus fuit, quòd sciens & magister in Theolgia putaretur. Nam Psalterium in aliquibus locis pulcherrimè exposuit, similiter & Euangelia & Orationes, & alia magistralia. Similiter *componebat sæpius, cum Magistris, Doctoribus & alijs scientificis conferebat disputando. Quapropter studium Pragense fecit, & quamplura collegia. Vnde de eo dictum est: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, Danielis 12. cap. Sextò, ipse habuit Spiritum pietatis. Nam ipse compatiebatur pauperibus, infirmis & mortuis, pupillis & viduis, & omnibus oppressis, humilis, mansue-

Carolus multarum linguarū peritus.

Eiusdem theologica eruditio.

* comentabatur. Extat autē in his comentarijs σύγγραμμα de vita ipsius, quod præmisimus.

mansuetus, & pius præ omnibus huius mundi Principibus: sciuit enim, quôd qui se humiliat, exaltabitur, Luc. 18. cap. Septimò & vltimò, repletus etiam erat Spiritu timoris Domini. Nam præ oculis Deum habuit, vt nihil ageret, quàm sibi placitum, reputans illud dictum: Principium sapientiæ timor Domini, Sapient. 1. Præterea in facie sua quatuor virtutes cardinales refulgebant. Vnde Seneca lib. 31. in quadam epistola sic ait: Si animum nobis boni viri liceret inspicere, ô quàm pulchram faciem, quàm sanctam ex magnifico, placidoq; fulgentem videremus, hinc iustitia, illinc fortitudine, hinc temperantia, prudentiaq; lucentibus. Et ideo commendandus ex istis quatuor virtutibus cardinalibus. *Quatuor virtutes cardinales.* Primò, de Iustitia. Nam ita iustissimus apparuit, quòd ipse viduam & aduenam suscepit, & vias peccatorum disperdidit, Psal. 136. *Iustitia.* Habuit etiam simul iustitiam & misericordiam: quia, quibus misericordia fieri debebat, semper faciebat. Vbi autem raptores & fures, vel malefactores inuenit, eos à facie terræ deleuit, habens illud Psalmistæ: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*, Psal. 86. Et illud dictum Senecæ, in quadam epistola sua sic interrogantis & respõdentis similiter: Quid ergo occidit hominem? quia occidit, ille meruit, vt hoc pateretur. Vnde Anshelmus in lib. Cur Deus homo: Iustitia est animi libertas, tribuens vnicuiq; secundum propriam dignitatem, maiori reuerentiam, pari concordiam, Deo obœdientiã, sibi sanctimoniam, egeno operosam misericordiam, inimico patientiam. Hæc omnia præfatus dominus noster faciebat: reddidit enim vnicuiq; secundũ opera sua. Secundò, in eo refulsit fortitudo. *Fortitudo.* Inclytus enim fuit & inuincibilis, vnde fortitudo & decor indumẽtum eius fuit, Prouer. 31. Vnde Hieronymus super Iohannem sic ait: Fortitudo est imobilis inter aduersa gloriosa animi claritudo, res arduas pulchrè administrans, quæ nec aduersis infestando frangitur: nec prosperis blandiendo eleuatur. Sciebat enim quòd fortitudo simplicis, via Domini, & pauor his qui operantur malum, Sapient. 10. cap.

A nul-

A nullis enim hostibus vinci poterat, sed fortis in animo perseuerabat. Tertiò, ipse fulgebat temperantia: temperabat enim iustitiā misericordia, & econtra. Et in omnibus plenum obtinuit moderamen: erat enim statera & libra iustitiæ, in cuius conspectu non erat acceptio personarum. Vnde Gregorius super Ezechielem extrema parte super illud: Scio abundare & penuriā pati, sic ait: Qui enim secundis rebus non extollitur, qui eas ad vsum vanæ gloriæ nō intorquet, qui solus non possidet, quod accipit, sed hoc indigentibus misericorditer elargitur, alijsq; diuidit, scit abundare: qui acceptis alimentis non ad gurgitationem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quàm necessitas petit, scit satiari: qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, scit esuriem. Quem ergo nec in abundantia superbia eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat, nouit abundare, nouit penuriā pati. Hæc ille. Serenissimus enim Dominus noster per omnia taliter fuit temperatus. Quartò in eo refulsit Prudentia: ipse enim fuit prudens, quòd circa futura pericula ita prouidebat cautè, ne mala euenirent, sicut seruus prudens, quē constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram, Lucæ 12. cap. Vnde faciebat secundum dictum Senecæ de quatuor virtutibus cardinalibus: Si prudens esse cupis, in futura ꝓspectum intende, & quæ possunt contingere, animo tuo cuncta præpone. Nihil tibi subitum sit, sed totum antè prospicias: Nam qui prudens est, non dicit, non putaui hoc fieri, quia non dubitat, sed expectat, non suspicatur, sed cauet. Idem faciebat Serenissimus Princeps noster. Nam à iuuenili ætate deliberabat, quid in senectute faceret, sicut ibidem consequēter ait Seneca: Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præsentia ordina: futura præuide: præterita recordare. Nam qui nil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. Vnde, sicut pauca perstrinximus, quantas virtutes habuit? quanta magnalia fecit in Israël? &

Temperantia.

Prudētia.

victo-

victoriam dedit illi Dominus Deus omnipotens, Lucæ 10. Nam ꝑpter eius bona opera, imortalis est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines, Sap. 4. Vnde Simonides Philosophus cùm interrogaretur, quid apud homines celerrimè consenesceret? respondit, beneficium. Nam cuius donum vel munus frequentius aspicitur, huius memoria strictius retinetur, vt in Clementina vna, de reliquijs & veneratione Sanctorum. Tanta enim operatus est in hoc seculo beneficia, quòd memoria eius permanet in seculum seculi. Et ideo in memoriam eius tale Epitaphium tumulo eius inscribitur. Anno mille: trecen: L X I I. * VIII. tertia Kal. Decembris. ἀνακόλουθον.

*Numerus & versus est mendosus.

Quartus ego Carolus magni quondam tremor orbis,
Cæsar & inuictus, modò victus morte, sub ista
Fossa tegor, Deus alme precor, mens astra subintret.
Spiritus ô cuncti, pro me pia soluite vota,
Quos moriens liqui, quos viuens opere foui.
Et sic anima eius requiescat in sancta pace.

Et non miremini, reuerendissimi Patres, quòd beatum & sanctum eum nominauerim, cùm in veritate beatus vel sanctus reputari debeat, quòd probatur septem rationib. Primò enim vnctus fuit oleo sancto ad modum Regum. Vnde Psal. 102. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto vnxi eum. Oleo enim sancto, nisi sancta inungi debent. Secundò propter eius sublimitatem dignitatis. Nam præfectus fuit sacro Romano Imperió, cui nullus præfici debeat, nisi sacris virtutibus & magnitudine pollens, sicut hic. Nam quis illum sanctum dubitet, quem apex tantæ dignitatis extollit? 40. Dis. c. Non vos. Tertiò ipse fuit in omnibus sanctus negotijs: vbi enimcunq; sciebat sanctuaria & corpora sanctorum, acquirebat, & auro fuluo, gemmisq; preciosis obducebat, & toto corde diligebat, sicut alter Constantinus. Nam etiam sicut alter Constantinus, Papam per Romam duxit, videlicet Papam Vrbanum V. & patrimoniũ Ecclesiæ Romanæ confirmauit. Quartò propter multa mira-

Septem sanctitatis modi.

Carolus comparatur Constantino.

M

Futurorũ præscius. miracula, quæ mediante Deo habuit in somnijs & vigilijs in iuuenili ætate & senili, futura prædicendo, visiones plurimas videndo, dæmonia effugando, quæ nullus faceret, nisi sanctitate polleret, prout testimonio plurimorum patet, & in *libro suo de gestis suis conscripto. Fecit enim mirabilia in vita sua. Ecclesiast. 31. Quintò fortissimè plorabat, cùm corpus Dominicum sumebat, alta ex deuotione adducens, quia: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Sextò, quia tantis virtutibus abundabat, quas nec aliquis valeret enarrare: nam horas suas Canonicas, sicut vnus Sacerdos, dicebat: Diuinum officium libenter audiebat, & etiam augmentabat. Septimò & vltimo breuiter transeundo, ipse habuit in se septem Sacramenta Ecclesiæ. Primò ordinem: ipse enim fuit ordinatus Acoluthus, & etiã Rex & Imperator inuictus. Secundò, coniugiũ ita purè tenebat & firmiter, quòd nemo eum conuincere poterat. Tertiò, baptizatus etiam fuit per Episcopum vt quisquè fidelis. Quartò, fuit confirmatus in fide Catholica. Quintò, Eucharistiam sacram multotiens in anno sumsit. Sextò, extremam vnctionem benè quater sumserat. Septimò & vlt. confitebatur semper, cùm se aliquo peccato credebat grauatum. Ideo enim septem Sacramenta dicuntur, quæ solùm fidelib. & sanctis tribuuntur, vt regno cœlesti participes efficiantur. Vnde sancta mater Ecclesia, quæ Christum Dominum perdidit de hoc seculo, quid retribuet sibi pro tantis beneficijs, quæ ei in hoc mundo ostendit? Non restat aliud, quàm quòd beatum faciat eum in terra, id est, vtiq; in hoc mundo eum canonisare deberet, quia vtiq; in cœlo sanctus existit. Nam sancta mater Ecclesia, & Rector cius sanctæ matris Ecclesiæ, si portenta cupis seu miracula, hæc fecit. Si vitam & virtutes rimabere, ecce certissimè in eo inuenies deuotionis magna insignia. Si iure procedas, & capitulum Dilecti, de testibus, eiusq; materiam videris, perlucidè apparebit testimonium prædecessorum nostrorũ Cardinalium, Episcoporum, Prælatorum, Regum, Principum, & magnatum viuens testimonium, quæ signa & portenta, quanta vita & sanctitas, qualesq; virtutes in eo illuxe

Marginal notes:
* Vide quæ suprà notauimus
Horæ canonicæ.
Septem sacramenta.
Vendicat Carolo ἀποθέωσιν.

runt: vt Iuris tramite procedendo, vtiq; & meritò beatum faciat eum in terra, vt mercedem laborum suorũ accipiat: quia dignus est mercenarius mercede sua. Pro defensione quoq; sanctæ matris Ecclesiæ alius veniat, q Ecclesiam Dei similibus donis & virtutibus, Dei adiutorio, foueat. Quod & factum est, quia licet Pater mortuus sit illius, Serenissimus Princeps noster Carolus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex illustris, attamen est quasi nõ esset mortuus: similem enim reliquit post se, quem in vita sua vidit, & lætatus est in illo, in obitu suo non est contristatus, nec confusus coram inimicis. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Eccl. 30. hæc habentur. Vnde respiciat Dominus in faciem testamenti sui, & non det in conculcationem vineam suam, quam plantauit dextera eius, Ecclesiam, quem acquisiuit in sanguine suo, suscitet spiritum Moysi, erigat cornu illius Vnicornis nostri, VVenceslai, regis Romanorum & Bohemiæ serenissimi, vnicè summi, singulariter *generalis, quatenus arripiant iudiciũ* manus eius & cornu suo ventilet Syriam, intonet contra Edom, fulminet contra vitulos Bethel, contra idola AEgypti, contra pingues Samariæ, contra Sacerdotes Baal, contra pastores pascentes seipsos, contra iudices, qui condunt iniquas leges, contra canes mutos non valentes latrare, contra amphoram Zachariæ, contra vasa pastoris stulti, contra ambitionem Simonis Magi, contra tyrannidem seculi, & abusionem claustri, contra præuaricantes, contra arrogantes, contra oppressores pauperum, contra turbatores Ecclesiasticæ pacis, & fidei subuersores. Hæc Petrus Blesensis in quadam epistola sua. Et tu Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam filio regis, id est filio Serenissimi quondam Caroli, Romanorũ Regi, auge sibi virtutes. Nam cùm Elias Reg: 4. cap. dixit ad Elisæum: Postula quiduis, vt faciam tibi, antequam tollor à te, id est, Serenissimus quondam dominus noster, Imperator, dixit ad filium suum: Dixitq; Eliseus, id est, Serenissimus Romanorum Rex, filius suus: Obsecro, vt fiat duplex spiritus in me, qui resp[illegible]

VVenceslaus F. et successor.

Ad eundẽ accommodata Elisæi histo.

difficilem postulasti, attamen si me videris, quando tollar à te, id est, si feceris opera mea, & benè feceris, subsequenter erit, quod petisti. Si autem non videris me, id est, non feceris secundum opera mea, non erit. Cumq; pergerent & sermocinarentur incedentes, ecce currus igneus & equi ignei diuiserunt vtrumq;, & ascendit Elias per turbinem in cœlum, id est, Pater eius, Serenissimus Dominus noster Imperator, sæpius nominatus Elisæus, id est, Serenissimus Dominus noster, Rex VVenceslaus, videbat & clamabat: Pater mi, pater mi, currus igneus & auriga eius, & non vidit eum amplius, id est, quia mortuus fuit: apprehenditq; vestimenta sua, & scidit ea in duas partes, Reuersusq; stetit super ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt diuisæ, & dixit, vbi est Deus Eliæ, quasi diceret: tamen eundem Deum credo vt Elias, & tamen aquæ non diuiduntur. Nunc percussit aquas, & diuiserunt se huc atq; illuc, & transijt Elisæus: videlicet per bona opera, prout pater suus antè transierat. Vnde

Votum. omnipotens adijciat sibi virtutes, & augmentet, vt in locum illius beati aurigæ susceptus, verus Elisæus, duplicato beato spiritu, pallio virtutis & bonæ operationis accepto, vniuersum orbem in virga ferrea constringat, libraq; iustitiæ Reges & Principes, vniuersaq; climata orbis feliciter dirigat. Nam sibi dictum est: Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas & dissipes, ædifices & plantes. Ieremiæ 1. cap. & transsumtiuè 3. cap. Solite dema: & obe: Vnde de seipso dicere potest: Iuuenis & acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentium amabilis ero, & facies Principum mirabuntur me, tacentem me sustinebunt, & loquentē me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent, disponam populos, & nationes mihi erunt subiectæ. Sapient. 8. cap. Quia Dominus iudicabit orbem terræ, & dabit Imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui, vt per vitam & operationes bonas in fine talentū Domino duplicatum reportet. Lucæ 12. Vt paternis vestigijs insecutus, valeat in fine ad regnum prouchi

sempi-

ſempiternum, quod ſolum iuſtis ab initio præparatum eſt, vt ſint in virtute & potentia manus Domini: quia iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. Quæ verba fuerunt veſtræ pietati propoſita, in quibus verbis tria breuiter colligi poſſunt. Primò exordij electorum narratio, cùm dicitur: Iuſtorum animæ. Secundò, diuinæ poteſtatis retentio, cùm dicitur: In manu. Tertiò, in Deo æterna conſumatio, cùm dicitur: Dei ſunt. Dico primùm probantur beatarum animarum in Deo virtuoſa opera, cùm dicitur: Iuſtorum animæ. Secundò diuinæ maieſtatis grata earum apprehenſio, cùm dicitur: In manu. Tertiò ſempiterni gaudij cum Deo ſine fine manſio, cùm dicitur: Dei ſunt. Ad primum cùm dicitur: beatarum animarum in Deo virtuoſa operatio, videlicet cùm dicitur: Iuſtorum animæ, inde ſciendum eſt primò, quia homo eſt compoſitus ex corpore & anima, De ſumma Trinitate & fide † cap. 1. Nam eadem via qua coniunguntur, eadem & in fine diſiunguntur. Cùm coniunguntur, tunc anima infundendo creatur, & creando infunditur, prout *dicit Ariſtoteles libro de Anima*. Cùm diſſoluuntur, tunc vnumquodq; ad naturam ſuam primam reuertitur, corpus terræ tribuitur, de qua ſumtum eſt. Vnde Geneſ. 3. cap. dicitur: Donec reuerteris in terram, de qua ſumtus es Anima etiam redit ad ſuum principale, quia ſpiritus redijt ad Dominum, qui fecit illum. Eccleſ: vlt: cap. Vtrũq; in fine reſurrectionis ſimul iungetur. Vnde Iob 19. c. Et in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Vnde Magiſter Sentent: lib. 2. cap. 6. Quare homo ſit ita inſtitutus, vt anima ſit vnita corpori, ſic dicit: Sic ergo Deus condidit rationales ſpiritus varia ſorte, pro arbitrio voluntatis ſuæ diſponens illis, quos in ſua puritate reliquerat, ſurſum in cœlo manſionem. Illis verò, quos corporibus terrenis ſociauerat, deorſum in terra habitationem conſtituit, vtriſq; gloriam proponens obœdientiæ, quatenus & illi ab eo, vbi erant, non caderent, & iſti ab eo vbi erant, ad id, vbi non erant, aſcenderent. Et

Redit ad dictum in exordio poſitum.

† catholica.

Anima iustorum. hoc de animabus iustorum. Vnde sciendum, quòd multis modis animæ iustorum appellantur: aliqui virginali pudicitia insigniti, vt chorus virginum: Alij martyrio diuersimodè cruciati, vt Martyrum patet passio: Alij confessores Domino famulando, vt quàm plures Episcopi, Monachi: Alij in viduitate & aliâs continentes: Alij in coniugio castè viuentes: Alij in eremo pro Christo diuagantes, multiplaq; vita in hoc mundo feruentes, Domino seruientes, meruerunt habere præmia sempiterna: quia iusti in perpetuum viuent, & apud Deum est merces eorum. Sap. 5. Quòd si locus & tempus esset, de quolibet aliquid præfatus Dominus noster habuisset, & quia in vita sua multa passus est, & ideo non sufficiens his, etiam æterna videre voluit, inquiens: Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam & stellas, quæ tu fundasti. Dixi secundò, diuinæ maiestatis grata earum apprehensio, cùm dicitur: *Manus Domini.* In manu Domini. Quare sciendum, quòd manus Domini multipliciter agit. Nam iustus & iniustus manu Domini tanguntur, & tamen diuersimodè tanguntur. Iniusti autē manu Domini tanguntur, vt moriantur. Vnde Psal: Manus tua, Domine, percussit inimicum. Et alibi: Euaginabo gladium meum, & interficiet eos manus mea. Quare iniusti deijciuntur, interficiuntur, percutiuntur manu Domini. Secundò, Iustus etiam multipliciter tangitur. Primò ad correctionem & ad probationem. Secundò per gratiæ Dei largitionem. Tertiò ad coronæ æternæ sumtionem & beatitudinis largitionem. Primò tangit ad correctionem & probationem. Ad correctionem, vt Mariam, sororem Moysi, Num: 12. cap. quam demum sanauit, & Paulum, vas electionis. Ad probationem, vt de Iob fideli factum est, de quo dictum est Iob 2. cap. Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, nisi in faciem benedixerit tibi. Secundò per gratiæ Dei largitionem, prout Ierem: 1. cap. Misit Dominus manū suam, & tetigit os meum, & dixit mihi: Ecce dedi verba mea in ore tuo &c. Quia enim tetigit, ecce gratia cum quo loqui eum didicit per miraculi ostensionem.

Vnde

Vnde tetigit mortuos, vt Lazarum & infirmos, & sanati sunt. Tetigit leprosos, & mundati sunt. Vnde leprosus viuens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum Iesus dixit: Volo mundare, & confestim mundatus est à lepra eius. Tertiò ad coronæ æternæ sumtionem & miraculi ostensionem, cùm dicitur: Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Cant. 1. Manibus etiam quis trahitur, vt coronæ æternæ particeps efficiatur. De beatitudinis largitiõe dicitur: Aperis tu manum tuã, & imples omne animal benedictione. Vnde quos manus Domini tetigit, non nisi ad coronationis gratiam, & ad vitæ æternæ præmium habendum tetigit. Quapropter Serenissimus Dominus noster quondam Imperator, manu Domini tactus vt iustus ad correctionem & probationem. Secundò per gratiæ Dei largitionem & miraculi ostensionem. Tertiò & in fine ad coronæ æternæ sumtionem & beatitudinis largitionem. Quare de seipso ipse dicit: Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me totum. *Iob 15.* *Et iam manus tua, Domine,* tetigit me, videlicet ad mortem carnalem, vt eodem capitulo: quia ad te vado. Ideo in manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum, & hoc dicens expirauit. Lucæ 23. Dixi ad tertium, vbi dicitur, sempiterni gaudij cum Deo sine fine mansio, cùm dicitur: Dei sunt. Vnde dupliciter hoc fieri potest. Primò vt sint iusti. Secundò, vt vbi Deus inhabitat, ibi & inhabitent. Ad primum, vt sint iusti, Vnde notandum, quòd multipliciter iusti nominantur. Vnde iusti *Iusti.* aliquando nominantur serui. Vnde Esa: 41. Seruus meus es tu, quoniam ego elegi te. Aliquando vocat eos patrem, matrem, sororem, fratrem. Vnde: Quicunq; fecerit voluntatem patris mei, ille meus pater, mater, soror & frater est. Matth. 12. Aliquando eos vocat amicos. Vnde: iam non dicam vos seruos, sed amicos meos. Ioh. 15. Aliquando eos vocat paruulos. Vnde: Nisi efficiamini sicut paruulus iste. Matth. 18. Aliquando eos vocat filios. Vnde ad Hebr: 1. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.

Secundò

Habitaculum Dei. Secundò, vt vbi Deus inhabitat, & illi inhabitent. Vnde habitaculum illud multipliciter dicitur, vno modo dicitur cœlum. Vnde: Cœlum ſedes mea. Eſaiæ 46. Aliter tabernaculum. Vnde Apocal: vlt: cap. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Item dicitur Ieruſalem. Vnde ad Gal: 4. Quæ ſurſum eſt Ieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Aliquando dicitur mons Sion. Vnde mons Sion, in quo habitat, in eo aliquando ſimpliciter mons vel ciuitas dicitur. Vnde Apoc: 21. Suſtulit me in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem. Alibi dicitur Templum. Vnde Apoc: 4. Qui vicerit, faciam eum columnã in templo Dei. Aliquando dicitur domus. Vnde Geneſ: 28. O quàm terribilis eſt locus iſte, verè non eſt hîc aliud, niſi domus Dei &ç. Aliquando dicitur Paradiſus. Vnde Apoc: 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei noſtri. Quia illuc aſcenderunt tribus, tribus Domini, ad confitendũ nomini Domini. Et quidem Sereniſſimus Princeps & Dominus noſter ad prædicta loca tranſlatus eſt, cui dicitur cum alijs iuſtis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Matth. 25. Quod nobis præſtare dignetur, cuius regnum & imperium ſine fine permanet, in ſecula ſeculorum. Amen.

Finitus eſt ſermo, factus per Dominũ Iohannem, Archiepiſcopum Pragenſem, Apoſtolicæ ſedis legatum ſecundum, poſt mortem Imperat. Caroli feria 4. poſt Epiphaniam.

APPEN-

APPENDIX AD HISTORIAM DE HENRICO VII. ET CAROLO IIII. Impp.

VTraq; hæc historia desiderare familiæ Luceburgiæ, qua ambo Imperatores editi fuere, enucleationem videbatur. Primùm igitur id teneatur, de eadem familia alios aliter sentire. Et sanè de primordijs eius admodum aqua hæret: Cùm quidem Vecerius etiam de parentum & vxoris HENRICI VII. nominibus dubitari affirmet: vti patrem, ab alijs Henricum dictum, *Lazius* lib. 3. de migrationibus gentium pag. 131. Plundelum nominauit. Rectissimè autem res tota è diplomatis & alijs id genus monumentis definiri posset. Quæ cùm nondum mihi inspicere licuerit, placuit interea eorum sequi sententiam, qui à Lothario, LOTHARII I. Cæs. filio, Luceburgios Comites deriuârunt. Atq; expositum est à nonnullis inde vsq; ad Henricum VII. integrum familiæ stemma: quod in medio relinquo. Etsi de Conrado conuenit Chronicon Hierosol. conuenit Schafnaburgensis, qui & ipse circa ea tempora vixit. Lazius quoq; Conradi illius fratrem credi posse censet HERMANNVM, qui contra HENRICVM IIII. Cæsar designatus, pôst miserabiliter interijt. Nec causa vlla est, cur quæ de Henrici VII. patre tradidit Pontus Heuterus in dubium vocentur. Reliquam ab eodem Henrico VII. propaginem dare ipsimet certam conati sumus. Inuenias enim & hac in parte crassè nonnullos hallucinari. Nunc stemma persequor.

Imp. Cæs. LOTHARIVS Aug. Ludouici Pij F. Caroli Magni N. Vxor Hermingardis: vnde nati

Imp. Cæs. LVDOVICVS II. Aug.	*Carolus, rex Galliæ Narbonensis.*	*Ditberga — vxor.*	*Lotharius, rex Austrasiæ & Lotharingiæ.*	*Balerada concubina.*

II

Lotharius, rex Lotharingiæ. Vxor Bertha. — *Hugo, dux Lotharingiæ.*

Hugo, Comes Arelatensis, rex Italiæ. (son of Lotharius)

GISELBERTVS, Dux Lotharingiæ. — *Gerbirga, HENRICI Aucupis F.* (son of Hugo, dux)

Fridericus, Dux Lotharingiæ. — *Agnes, Conradi Comitis Palat. F.*

Henricus.

Fridericus, Dux Lotharingiæ.

CONRADVS, Comes Luceburg. De hoc Chronicon Hierosol. lib. 3. cap. 46. Schafnaburg. pag. 217.

Fridericus, Dominus Sarburgi.

Henricus, Comes Luceburg. — *Isabella Namurc.*

ADELBERO, Archidiaconus Metensis. Chronicon Hierosol. ibidem.

Agnes, nupsit Friderico, Duci Sueuiæ, patri FRIDERICI Barbarossæ.

Henricus.

Henricus. — *Isabella.*

VValramus.

Henricus. — *Margarita Barrensis.*

Henricus. — *Beatrix, Comes Hannoniæ, Balduini Baumontij F. vt P. Heuterus.*

Imp. Cæs. HENRICVS VII. Aug. — *Margarita, Henrici, Ducis Brabantiæ F.*

□

Balduinus, Archiepisc. Treuirensis.

VValramus. De huius posteritate vide infrà notam ☞

Philippa, nupsit Ioanni, Comiti Hollandiæ.

□

JOHANNES, rex Boiemiæ. Cui nati ex vxoribus ✱ — Beatrix, vxor CAROLI, regis Vngariæ. — Maria, vxor Caroli Pulcri, regis Francorum.

✱ 1.

ELIZABETHA, VVenceslai II. regis Boiemiæ F.

Imp. Cæs. CAROLVS IIII. Aug. Cui nati ex vxoribus ✱ — Ottogarus, moritur puer. — Margarita, prima vxor repudiata. — Iohannes, Marchio Moraniæ. — Margarita, è familia Oppauiēsi altera vxor. — Margarita, vxor Henrici, Ducis Bauar. — Guta, vxor IOHANNIS II. regis Francorū. — Anna, vxor Othonis, ducis Austriæ. — Elizabetha, nata eodē cū Anna partu, moritur an. æta. 2.

IODOCVS, cognomento Barbatus, designatus Rex Rom. — Procopius, Marchio Morauiæ. — Iohannes, Episcopus Olomucensis, pòst Patriarcha Aquileiensis.

Elizabetha, vxor Gulielmi, cognomento Coclitis, Marchionis Mysn. &c. vt Lupacij Ephemerides Boiem.

✱ 2.

Beatrice, Ludouici Burbonij F.

VVenceslaus, primus Dux Lucemburg. à Carolo IIII. creatus, Brabantiā matrimonio acquirit. — Iohanna, Iohannis III. Ducis Brabant. F.

Iohannes, cognomento Gallus, quòd in Gallia educatus esset. Episcopus Argentin. deinde Arciepisc. Mogunt. vt Lazius et Lupacius.

*** 1.** Margarita Blanca, Caroli Valesii F.

Margarita, collocatur à patre LVDOVICO, pòst regi Vngar.

*** 2.** Anna, Rudolfi Palatini F.

VVenceslaus, moritur altero ætatis anno, vt Ephemerides Boiemic. Lupacij.

¶ Cæteras Caroli IIII. filias, incertis, vt volunt, matribus editas, habet Chronicon Peuceri libr. 5. pag. 181.

*** 3.** Anna, Henrici, Ducis Iaurensis F. vt Curæus.

Imp. Cæs. VVENCESLAVS, qui è duabq vxoribus, Iohanna, Alberti, Ducis Bauar. Com. Holland. F. & Sophia, Iohann. Palat. F sobolē nullam sustulit.

Elizabetha, vxor Alberti senioris, Ducis Austriæ. Auctor Lupacius.

Maria, Ludouici, regis Vngar. F. prima vxor.

Imp. Cæs. SIGISMVNDVS Aug.

ELIZABETHA, collocatur à patre ALBERTO Austriaco, in imperio et regnis, Vngar. & Boiem. successori. Quo matrimonio nati.

LADISLAVS, Rex Boiemiæ & Vngariæ.

Anna, nupsit Gulielmo, Duci Brunouic. &c.

ELIZABETHA, nupsit Cazimiro, regi Polon.

*** 4.** Elizabetha, Boguslai, Ducis Pomeran. F.

Barbara, Hermanni, Com. Ciliæ F. altera vxor.

Iohannes, dux Gorlicēsis, Marchio Brandeburgen.

Elizabetha, nupsit Antonio, Duci Luceburg. & Brabant. Variat Lupacius, & Ioannis; germani Caroli IIII. filiam facit. Addit Heuterq, vēditum ab eo Luceburg. ducatum Philippo Bono, Duci Burgund.

☞ *VValramus, frater Henrici VII. Imp. Pontio Heutero VValleranus: deduxitq; idem hanc ab eo gentilitatem.*

- *VValleranus, Comes Lignij.*
- *Guida, hæres vrbis Insulensis.*
  - *Ioannes.*
    - *Guido, per matrimonium factus Comes Fani D. Pauli.*
      - *VValleranus.*
        - *Ioanna.*
      - *Robertus.*
      - *Ludouicus.*
      - *Ioannes.*
        - *Petrus.*
          - *Ludouicus, Comes Fani S. Pauli, & Galliæ Conestabilis, iussu LVDOVICI XI. capite truncatus. De hoc Cominæus.*
            - *Ioannes.*
            - *Petrus.*
              - *Maria.*
            - *Antonius.*
              - *Philiberta.*
            - *Carolus.*
            - *Ludouicus.*
          - *Tibaldus, Fiennæ regulus.*
            - *Iacobus.*
              - *Iacobus, Fiennæ regulus.*
                - *Iacobus.*
                - *Francisca, nupsit Ioanni Egmondano.*
              - *Ioannes.*
              - *Iacoba.*
              - *Maria.*
              - *Philippa.*
          - *Iacobus.*
            - *Iacobus, Richeburgi regulus.*
              - *Isabella.*
              - *Iola.*
              - *Ludouica.*
          - *Iacoba.*
          - *Isabella.*
          - *Anna.*
        - *Ludouicus.*
        - *Ioannes.*
      - *Filiæ quatuor.*
- *Elizabetha, nupsit Gulielmo Brederotio.*

THOMAE A KNESEBECK,
EQVITI MARCHICO, IVVENI
nobiliſs. & litteratiſs.
S. D.
REINERVS REINECCIVS.

LEgi litteras tuas, legi iiſdem incluſa car-mina. Quo animo, non debeo pro confirmata neceſſitudine noſtra apud te declamare. Macte igitur perſpectiſſima erga me beneuolentia, macte egregia & ſolita virtute tua. Videris autem de carminibus nobiliſs. & ſummi viri, IOACHIMI MYNSINGERI, Iuriſperitorum eloquentiſſimi, & eloquentium iuriſperitiſſimi, vt de Q. Scæuola ſcripſit Cicero, inſiſtere veſtigijs voluiſſe. Niſi quòd tibi vſu venit, quod in amoris abundantia vſu venire plerunq; conſueuit, hoc eſt, vt affectio illa te abduxerit longius, & amiciſſimum quendam errorem menti offuderit. Quando ſcilicet neq; nihil ſit, quod è diſciplina veſtra, fauores ampliandos non reſtringendos præcipiente, tibi patrocinetur. Ergo iſtud in te culpa carere, quis non videt? Siquidem homo ipſe candidiſſimus eum compellaſti, quem candidum ſemper iudicâris, candidoq; animo legi ab alijs velis. Nam inuidos nunquid curemus? quippe de qua viperina ſobole non inuenuſta, nec forſan etiam iniuſta inſectatione & execratione Poëta:

Rumpatur, quiſquis rumpitur inuidia.

Et nota æquè inſignis Flacci γνώμην:

Diram qui contudit Hydram,
Notaq; fatali portenta labore ſubegit.
Comperit inuidiam ſupremo fine domari.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, venit mihi in mentem, & tua & aliorum duorum amicorum poëmatia hîc ſubiungere, non quòd elogia iſta merear, ſed vt teſtatum publicè faciam, vt & antehac de alijs teſtatum feci, quàm tua, quàm tui ſimiliũ coniunctione & familiaritate delecter. Nec de te addenda plura duxi. Eſt etiam cũ Thoma Mite ea plurimis annis mihi amicitia conſtituta, vt nulla locorum intercapedine, nulla fortunæ, temporũ, hominũ iniuria labefactari potuerit. LAVRENTII RHODOMANI nuper demum acceſſit, eius inquam viri, quem hactenus vel è ſola nominis notitia coluiſſem. Atque omnino gratior illa mihi accidit, quo rerum mearum ſtatus tum perturbatior & afflictior eſſet. Etenim quod coniugij vinculum, quæ fides exiſtat, quia in eo vel viuimus vel naſcimur, obſcurum nemini eſſe poteſt. Nec mihi, quoties eius dulciſſimæ conſuetudinis interruptæ recordatio animum ſubit, non poteſt cordis oculus lacrymari, vt cum Iureconſulto veſtro loquar. Iccirco vel hac ſola de cauſa præteriri ἔπος Rhodomani non debebat; vtpote quo vxoris meæ manibus cumulatiſſimè parentetur. Cùm ſimul aurem velleret penè ſimilis argumenti de Carolo IIII. oratio funebris: modò tamen cum tanto faſtigio noſtræ ſortis humilitas componenda. Vt vt ſit, pietas quidem, ſcaturiens de ijs amoris fontibus, quos rectis animis ipſa natura ingenerauit, decet omnes. Quapropter & apud te & apud æquos omnes veniam inſtituto noſtro paratam confido. Quod reſtat, nos tui non dico amantes ſed obſeruantes redamare conſtanter perges, & quod hactenus abs te factum, in virtutis omniſq; politioris doctrinæ cultura nunquam defatigabere. Nam quæ tot ingenij tui auctoramenta bonorum omnium ſpem concitârint, te non præterit, nec præterire de-

rire de-

rire debet: Quandoquidem hæc ipſa res non poteſt non perpetuum tibi calcar addere: & à natura ipſa ita inſtitutus, ita ad ſumma omnia armatus es, vt nihil niſi præclarum proficiſci à te poſſit. Vale feliciſſimè, & ſecundum Faſtos noſtros ineuntem annum tranſige ſoſpes. Helmæſtadij ex acad. Iulia Cal. Ian.

CL. V. REINERO REINECCIO HISTORICO &c. S.

VIr digniſſime verſibus politis,
A nobis proficiſcitur quod omne
Indignum eſt, fateor, tuis libellis,
Doctis ac lepidiſſimis libellis.
Et laudem tua ſcripta quam merentur,
Laudati ſolidam viri ſonabunt.
Vt conſtet tamen omnibus probatis,
Quanti te faciam tuoſq; libros,
Qui ſector Themidos ſacrata caſtra,
Rectricem ſtudij Themin rogaui:
Qua mercede tuos graues labores
Ornandos meritiſſimè putaret?
Reſponſum Dea quod dedit petenti,
Paucis verſiculis & impolitis
(Nam quid ruſtica terra parturiret,
Aut neglecta, aliud politiuſue?)
Complecti placuit. Quod ergo noſtro
Deſit iudicio, reſarcit illa.
Tu verò placido iſta pauca vultu,
Vir doctiſſime, ſumere haud recuſes.

Sint

Sint indigna licet tuo fauore,
Tu dignissimus es tamen fauore.

T. Thomas à Knesebeck.

Epigramma
DE REINERO REINECCIO.

DIc Dea, quę meritis pœnas vel præmia reddis,
Dic age, Reinerum quid meruisse putes?
Scribit is Heroas claros, regumq; nepotes,
Et memorat laudans splẽdida facta Ducũ.
Regna canit, populosq; notat, quos viuida virtus
Extulit, & clarum nomen habere dedit.
Non patitur vita dignos vel morte perire,
Digna legi veterum vel monumenta tegi.
Totus in hoc studio est, lumen reddatur vt almis
Historijs, sua laus, qui meruere, viris.
Scilicet hic Regum *dignus, Themis inquit,* amore est,
Maxima cui Reges scribere cura fuit.
Quiq; Duces cecinit, Ducibus laudetur, oportet,
Munificasq; Ducum sentiat esse manus.
Viuere quiq; alios fecit, post fata superstes
Viuat, & æternum nomen ab arte ferat.
Scripta nec intereant, omni dignissima laude,
Dignaq; & à sera posteritate legi.
Spernat vt indoctus meritos benè, linquat egentes,
Laus tamen à doctis non peritura manet.
Hæc Themis: at, tibi qui tantum decus arte parasti,
Perge, nec inceptum sistat iniqua cohors.
Perge precor, tandem doctisq, bonisq; petitum,
Fac videat lucem, quod meditaris, opus.

O THO-

THOMAS MITIS LYMVSAEVS, V. CL. REINERO REINECCIO, amico veteri S.

QVi patriæ clarat pater, & clarabit in æuum,
Lucemburga, tuus nec morietur honos,
Qui sacri imperij nitor, & decus omne suorum
Clara lucerna flagrat, hinc foris inde domi,
Cœlituum ordinibus Cæsar sacer indigitatus,
Septimi is Henrici nomen in omen habet.
Septima lux operis diuini tota quieti
Debetur, quæ illi post fera fata datur.
Hæc properare facit Monachi manus impia: fratris
Scilicet horrendi, proh, facinus, sceleris,
Porrigere in sacro calice hausti pocla veneni:
Id simul ac hausit nescius, astra petit.
Nec tamen excedit terris inglorius istis:
Maior ab hostili fraude Monarcha cluit.
Parq; patri virtute sua & pietate, Ioannes,
Rex decimus Bœmi sceptra Leonis habet.
Cæsaris est idem Caroli cognomine Quarti
Et pater, & sobolis prolificantis auus:
Præmysli agricolæ concisa stirpe virili,
Hæredi iunctus, Elisabetha, tibi.
Ille quidem totos centum regnauerat annos,
Lustraq; sex Bœmis posteritate sua,
Quorum sceptra tenens, frenauit adepta Ioannes,
Finibus Insubrum iunctaq; & aucta magis.
Insignis victor dextra victrice, Borussos
Compulit ad Christi, mota per arma, fidem,
Paceq; composita, Latijs hinc inde sub oris
Aut domat, aut vrbes deditione capit.
Donec ad extremum Gallis sociatus in Anglos,
Martis vt incerta est alea, concideret.
Non omnis cecidit tamen, aut decessit inultus:
Magnanimo Regi fama perennis erit.
Atq; sui desiderium, quod dulce reliquit,
Lenijt auspicijs Carolus ipse bonis.

Carole

Carole Quarte pater patriæ, num mortuus ante
Sæcla tot, ingenij viuis & artis ope?
Seruat ab interitu viui manus æmula vultus:
At virtus factis cognita, morte caret.
Tu quoq; frenasti Tiberim, Rhenumq; bicornem:
Prodiit auspicijs Aurea Bulla tuis.
Iosaphatus Bœmis fueras, Augustus & alter
Pectore, consilio, relligione, manu.
Praga tuo celebris ductu, Praga aurea quondam
Pontificatu, opibus, milite, gymnasio:
Nunc decus antiquum nequicquam aspirat ademtum,
Te patre quod patriæ rem moderante tulit.
Diuini Heroes æternum viuite, partum est
Militia vobis & pietate decus.
Immortale decus, quod non delebitur vnquam,
Quod memori semper viuet in historia.
Quæ vestros ausus, & facta immania pandet,
Sæcula vix quantum posteriora ferant.
Pandet idem melius præsens opus, exit in oras
Quod Reinere tua sedulitate modò.
Hanc tibi posteritas penset, si ingrata sit ætas
Hæc: aut rumpatur protinus inuidia,
Aut tibi concedat palmam polyistoras inter
Aetatis nostræ, tum genealogicos.
Tu modò sis gratus ciuis nostratibus, vltrò
Quod facis, &, noui quomodo te, facies:
Illi nobiscum facient facienda vicissim,
Et commune bonum quæ benè promoueant.
Interea caput & calcem Chronici accipe regis
Vencesilai aulæ, confer opusq; operi.

ΦΙΛΙΚΟΝ ΕΠΟΣ.

AD REINERVM REINECCIVM, ACAdemiæ Iuliæ Professorem, πολυίστορα & Historicum Cl.

O 2 εὐπατάν-

Φήμη σοῦ ἀλόχου, δόμεν ἡμιτέλεστον ἐῶσης
ὀρφανίης ὑπ' ἄχεσσιν ἀμήτορος, ἤλυθε πρῶτον,
ἱστορίης Ῥετιῆρε σοφὸν κλέος, ἄχρι καὶ ἡμέων,
οἳ λογίοις ψεκάδεσσι διαινόμεθ' ἄστυ σελήνης.
ὡς δ' ἔμαθ', ὡς ἐτάραξεν ἐμὸν νόον, ἄμμιγα πάντων
οἷσι λόγων πινυτῶν θεὸς ἵμερον ἐν φρεσὶ πῆξεν.
ἐμπόδιον γὰρ σοῖσι πονήμασιν ἔμβαλε δαίμων,
οἷς νῦν Τευτονίη τηλαυγέα κόσμον ἀνάπτεις.
τίς γὰρ τραύματα μείζον' ἐνισκίμψειεν ἀνίη,
ἢ ὅτε τις κατὰ θυμὸν ἐπαυλιόωσαν ἄκοιτιν
ἐξαπίνης ὀλέσῃσι, νέον δ' ἐνὶ μητέρι καρπόν;
ὢ πάθος οὐ τλητὸν καὶ χάλκεον ἦτορ ἔχοντι!
ἀλλὰ μὲν οὐ κραδίης τόσσον ἅπτεται, εὖτε δ' ἀποσβῇ
εὐνέτις ἢ φίλα τέκνα, δίχ' ἀνέρι τέμνεται ἦτορ.
σπλάγχνων γὰρ μερίς ἐστι. Μάλιστα δέ τ' εἴ τις ἐχέφρων.
σεῖο δ' ὁμευνήτειραν ἀμύμονα φασὶ κεκάσθαι
παντοίης ἀρετῇσιν, ὅσαις στίλβουσι γυναῖκες.
λάμπε γὰρ εὐσεβίῃ· τῇ δ' ἄγλαος ἔσπετο κόσμος.
πίστις, ἐπὶ Χριστῷ ζωαρκέϊ θάρσος ἔχουσα,
σὺν δ' ἀγάπη, πάντεσσιν ἐοικότα μητίζουσα.
δοιὰ δὲ οἱ περίαλλ', οἷς καίνυτο φῦλα γυναικῶν,
οἰκουρὸν σπούδασμα, φιλοστοργόν τε νόημα.
ἣ γὰρ ἴσον φαέεσσιν ἑοῖς σὲ στέργεν ἀμοιβῇ,
καὶ ψυχῆς προβέβουλε, θεὸν μετὰ πρῶτα νέμουσα.
ὡς δὲ γάνος καὶ ψύξις ἐτήσιός ἐστιν ἀήτης
ἀμητὸν σπέρχοντι, θέρευς πολυκαγκέος ὥρῃ,
ὡς ἀνάπαυμα τεοῖσιν ὑπ' ἄχθεσι τερπνὸν ἐτύχθη.
ἔτραφε δ' ἀψέκτοισιν ἐν ἤθεσι σεῖο γενέθλην
μήτηρ καλλιτόκεια, καὶ ὡς μίμημα τοκῆος
ἐκβαίη πόνον ἔσχε. τεῷ δ' ἦν ἄρμενος οἴκῳ,
αἰὲν ὁμοφρονέουσα, καὶ ἐκ σέθεν ἀρτήσασα

ἡ δὲ

S. P. D.

FAma tui luctus, fidæ quo funera defles
Coniugis, orbataq; domus incommoda, nup,
Historiæ, Reinere, decus, quoq; venit ad vrbẽ
Phœbeam, sacræ cui rorem aspergimus artis.
Venit, & in luctus tecum coniecit, vt omnes,
Quîs Deus ingenuos studiorum infixit amores.
Nam tibi propositum sors rupit iniqua laborem:
Vnde sibi æternas sperat Germania laudes.
Qui dolor asperior? maius quod pectore vulnus?
Quàm si quis subitò studijs & moribus aptam
Vxorem amittat, cum fœtu in viscere clauso?
Hoc & eum frangat cordis cui saxea fibra.
Non ita discruciant animum mala cætera: sed si
Vxor obit, natiq; cadunt, auulsa marito
Viscera eunt, quorum pars nati, & commoda coniux.
Qualem fama tibi celebrat, virtute beatam
Omnigenâ, matrum qua nobile luceat agmen.
Fulsit in hac pietas, & quæ confidere soli
Vera fides Christo nouit, dilectio fulsit,
Quæ promtum cunctis gerit officiosa fauorem.
Præcipuè duo sunt, alias quibus enitet inter,
Sedula cura domus, pietasq; in pignora casti
Et lecti socium. Nam te redamauit ocellos
Vt proprios, anima potiorem, à numine primum.
Ac veluti mulcens recreat Borealibus auris
Iupiter æstiuo quem messis Sole fatigat,
Sic requies fuit illa tui iucunda laboris.
Addo, quòd eduxit sanctis in moribus ex se
Indole felici natos, similesq; parentis
Vt fierent, docuit: vigilans in commoda vestræ
Tota domus: concors: tibi dedita: dedita Christo,

ἢ δὲ θεοῦ πᾶν ἔργον ὁμοψύχου βιότοιο.
τοὔνεκεν οὐ νέμεσις, τοῖον δὴ χρῆμα γυναικὸς
κλαίοντι στενάχοντι, καὶ ἐν μακάρεσσιν ἐοῦσαν.
ἀλλὰ φίλων ἐπάκουε, τῶν χρηστὰ φρονεόντων.
κάτθανε καὶ Σάῤῥα, καί μιν στονάχησεν Ἄβραμος,
οὐδὲ γόοις ὑπόεικε. θεῷ δ' ἐνὶ παῦσε μερίμνην.
ἀλλ' ἀρετὰς ποθέεις; ποθέει καὶ χριστὸς ὕπερθεν
θηλυτερῶν ἀρετάς, σφετέραις δ' ἐπέλασσε χορείαις.
αἳ καί που μερόπεσσιν ἀώρια ταῦτα δοκήσῃ.
μήτηρ δ' οὐκ ἔτι παισὶν ἀτυζομένοισι κατ' οἶκον.
εὖ τόδ' ἔχει. μετὰ σεῖο θεὸς φίλα τέκνα κομήσει.
αὐτὸς ὁδηγὸς νεέων, πῶς καὶ δίχα μητρὸς ἀέξῃ.
οὐ γὰρ ἐφημερίης κεχρημένος ἐστὶν ἀρωγῆς,
εἰ μὴ ὅσον καὶ ἐθέλῃ. τρὶς δ' ὄλβιος ὃν θεὸς αὐτὸς
μητρῴοις θάλπησι μελήμασιν. ἀλλὰ σὺ κεδνὲ
πείθεο θεσπεσίῳ βουλήματι. φείδεο σαυτοῦ,
μὴ σμύχων ὀδύνῃσι βίου μένος, ἀλλὰ φυλάσσων
ἔμπεδον οἷσι τέκεσσι, καὶ ἄλλοις οἷσι ποθεῖται
σῆς πολυϊστορίης πόνος ἀγλαὸς, ᾧ τε σὺ πάντων
ἔργον ὑπερβάλλεις, τοὺς ποικίλος ἔγραφεν αἰών.
πολλοὶ μὲν σάφ' ἄεισαν ἀριζήλων κλέα φωτῶν,
Γραικοὶ, ῥωμαῖοι, καὶ τεύτονες (αἴθε δὲ πλείους
τεύτονες) ἀλλὰ σὺ πάντας, ἅτ' ἥλιος ἀστέρας ἄλλους
ἠμάτιον κατὰ φέγγος, ἑαῖς ἀκτῖσιν ἀμέρδεις.
ἱστορίης γὰρ ἔω παμφεγγέος οἷος ἀνοίγεις;
ἐξ ἀρχῆς ἐνέπων μέχρι σήμερον, ὅσσα τελέσθη
κοιρανίην ἀνὰ πᾶσαν, ἐν ἔθνεσι πᾶσι, κατ' αἶαν,
Εὐρώπην, Λιβύην τε καὶ Ἀσίδα πουλυβότειραν.
φόρτιν ἀειράμενος πολὺ φέρτερον, ἢ ὅτε γαῖαν
ἡρακλέης ἐκάθηρε, καὶ αὐχένι δέξατ' ἔλυμπον.
τοὔνεκα φαιδρὸς ἔοικας, καὶ ἐς τέλος ἔργον ἐπείγεις.
σοὶ δὲ θεὸς ζωήν τε καὶ ἄρτιον ἰσχὺν ὀπάζοι.

ὄφρα

Ad quos vnanimis vitæ benè retrulit actus.
Ergo quis hoc vitio vertat, tam nobile pectus
Si, licet ad diuos raptum, lugesq; dolesq;?
Scis tamen hic monitis præbere fidelibus aurem.
Sara etiam moritur, Saram quoq; deflet Abramus.
Sed non succumbens sancta spe tristia lenit.
Virtutes repetis? Christus quoq; gaudet ijsdem,
Et solet has reuocare prius, quàm fortè videtur.
Maturum nobis: & pulcra affectat olympus.
At soboles querulo matrem clamore reposcit.
Res benè habet. Dominus tecum complectitur orbos.
Ipse vias nouit, quibus & sine matre adolescant.
Non operas hominum quosuis deposcit ad vsus:
Est vbi solus agit. Quàm felix ergo benigno
Quem Deus ipse fouet studio! Quare, optime, morem
Diuinis gere consilijs: & parce tibi ipsi,
Ne luctu attenues vires: natisq; labora
Te seruare tuis, & votis quotquot anhelis
Historiæ sitiunt fructum, quam condis, & omnes
Multis exuperas gradibus, qui talia tractant.
Multi nobilium panxerunt gesta virorum,
Graij, Romaniq; & Teutones (ó modò plures
Teutones extiterint) sed Sol abscondit vt ignes
Cœliuagos oriens, sic obscurantur & illi,
HISTORIAE per te dum lucida panditur Eos.
Nam canis à primo quod gestum est hactenus ortu,
Omnibus in regnis, per gentes vndiq;, magnus
Quas sinus Europæ, Libyæq;, Asiæq; coërcet.
Et meliore grauas te pondere, quàm vagus olim
Alcides, dum monstra domat, dum sustinet Axem.
Aggredere ergo alacris tantum & pertexe laborem:
Ad quod IOVA tibi vitam cum robore donet.

Histo-

ὄφρα τεοῦς γραφίδεσσιν ἐπὶ κλέος ἄκρον ἀνέλθῃ
πατρὶς Γερμανῶν, ἡρώϊα πολλὰ καμοῦσα
ἔξοχα τῶν ἄλλων. ἀλλ' εἰσέτι νῦν χατέουσα
ἀνδρῶν, οἵ ἑ κατ' αἶσαν εὔφρονες ὑμνήσωσι.
τῇ δὲ σύ γ' ἱστορικὸς πάντων ἀντάξιος ἄλλων.
αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο, καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς
ὕστερον, εἰ ζώω καὶ μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.
χαῖρε θεῷ καὶ πᾶσι σοφοῖς φίλε, καὶ μ' ἀγαπάζοις.

ἐκ Σεληνοπόλεως, μεταγειτνιῶνι μηνί. θεοῦ
ἐνανθρωπήσαντος ἔτει ,α φ π δ.

Λαυρέντιος ὁ Ροδομάν.

Historico vt celebrata stylo tibi gloriæ in arcem
Teutonis ascendat, quæ heroica multa gerendo
Longè alias vincit terras: sed defuit eius
Qui res tam dignas digno laudauerit ore.
Hæc nunc Historicum supra te amplectitur omnes.
Sed mihi tempus erit, cùm te & tua texta diserto
Hinc memorem versu: modò sit vis integra vitæ.
Nunc vale amor Diuûm atq; virûm, meq; insere amicis.

Lunæburgi M. Iulio, Ann. ab incarnato Christo CIↃ. IↃ. XXCIV.

T. Laurentius Rhodoman Scholæ Rector.

P EMEN-

EMENDANDA ET ADIICIENDA.

Pag. 1. b. v. 7. l. cuiasue. v. 22. l. municip. pag. 2. b. v. 29. legi debebat Guelfæ fact. Nam Gibellinæ Bonifacium istum infensissimum fuisse, constat. pag. 4. v. 19. l. summ. pag. 6. b. v. 22. pro Gibel. videtur legendum Guelfis. pag. 15. v. 26. l. confirm. v. 29. l. suum. pag. 18. v. 31. l. quo capt. pag. 21. v. 13. l. p̄lium. pag. 24. b. v. 12. l. manere. pag. 29. v. penult. l. Bandophor. vocat. pag. 30. v. 20. l. intelligentiū. pag. 32. v. 25. l. statim. pag. 33. v. 6. l. inuenta. v. 30. l. diœcesʃ. pag. 36. v. penult. pro ille l. et. item seq. fac. l. ad marginem, Cazim. regis. pag. 40. v. 16. post vocem, torrentem, interpone, lacrymas. & fac. seq. v. 14. præpositioni, per, præpone verbum, lauabo, vel secundum alios,, natare faciam. Item pronomini, meo, subiunge comma: nomini, noctes, adiunge lectum meum, ad complendam cùm sententiam tum constructionem. pag. 41. b. v. 15. l. 5. v. seq. l. pulcerrimæ, Item voci, mulierum, appone? & nomini dilect9, adde tuus. v. 17. l. quæremus, Ibidem voci, Ecclesiæ, debebat assignatum esse cap. 6. Cantic. In huius enim capitis principio vox illa Ecclesiæ extat, quemadmodum interrogatio præcedens in fine 5. cap. pag. 41. v. 23. l. mœror. pag. 42. v. 6. l. 5. v. 11. l. Psal. 124. v. 32. l. Psal. 125. Et fac. seq v. 14. l. 25. v. 16. dictum Ecclesiastici cap. 2. sic se habet: Nullus sperauit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? &c. pag. 43. v. 8. l. Prouerb. 24. Et fac. seq. v. 19. præpone numero ternario. Prouerb. pag. 44. v. 6. pro Sapient. l. Prouerb. v. 15. l. Psal. 145. v. 20. l. 68. v. vlt. pro Sapient. l. Prouerb. pag. 45. v. 1. pro Luc. opinor legendum, Iosue. v. 23. l. Psal, 88. pag. 46. v. 33. l. 1. Reg. 4. Et seq. fac. v. 15. voci, Eliæ, subiunge? v. 28. l. admirabilis. v. 29. l. tacente. v. penult. l. Luc. 19. vel Matth. 25. pag. 47. v. 22. l. euertaris. v. 23. voci Anima, præmitte punctum. v. 24. l. Ecclesiastæ. cap. 12. & vlt. pag. 48. pro 15. l. 10. Et seq. fac. v. 3. l. 66. vel, Actor. 7. v. 4. l. penult. cap. v. 11. l. 3.

INDEX

INDEX
IN HISTORIAM LVCEBVRGICAM, DVPLICI NVMERO DEſcriptus, quorum prior paginam, poſterior verſum ſignificat.

A

P 2 *Auguſta-*

B

Calis

C

F

G

Hannia

H

I

Imperium

M

N

Valuarus

V

VV

Z

FINIS.

HISTORIA ORIENTALIS HAYTHONI ARMENII: ET HVIC SVBIECTVM MARCI PAVLI Veneti Itinerarium, item Fragmentum è Speculo historiali Vincentij Beluacensis eiusdem argumenti.

HELMAESTADII
M. D. LXXXV.

MAGNIFICIS VIRIS, DOCTRINA ERVDITA, VIRTVTE, RERVM VSV ET DIGNITATE AMpliss. Dn. HENRICO A LVHE, Episcopatus Halberstad. præfecto, FRANCISCO BEHR, LAEVINO A BORSTEL, Equitibus nobilissimis: DN. IODOCO A VVALTHAVSEN, IOHANNI FISCHERO, ANDREAE SPIEGELBERG, FRIDERICO A VVEIHE, Cancellarijs: DN. HENRICO GRVNEFELT, IOHANNI CONRADO VARNBVLER, IOACHIMO GOTZEN, CONRADO CRVELIO, BALTAZARI DROSINO, ANDREAE DAM, GVLIELMO DE CLEVE, Doct. Iureconsultis: reuerendiss. Antistitis Halberstad. Episcopatus Mindensis Administrat. illustriss. Ducum Brunouicensium & Luneburg. &c. Synedris & Consiliarijs, Patronis, fautoribus & amicis suis obseruand.

S. D.

REINERVS REINECCIVS Steinhemius.

Aßim CHRONICON HIEROSOLYMITAN. & SARRACENOS & TVRCOS inculcat: quia vtrosq; Argonautæ nostri hostes habuere. Meminit autem GVLIELMVS TYRIVS, qui & ipse belli sacri historiam post Chronici Hierosol. auctorem descripsit, se Orientales, id est Sarracenicos & Turcicos principes, eorumq; res gestas, peculiari volumine complexum esse, cùm hunc laborem planè regio animo

ipsi mandasset, & deinde libros ac sumtum subministrasset, ALMERICVS, rex Hierosolymorum. Verùm eo longè maximo thesauro hodie caremus. Pòst vtcunq; iacturam illam resarcijt HAYTHONVS Armenius, seu Antonius Curchinus, vt ab Abrahami Ortelij Synonymia Geographica appellatur, cùm fortè legati munere apud Pontificem Rom. fungeretur. Ac in primis quidem ei TARTARORVM primordia & gesta debemus. Hæc enim gens ab HAYTHONO, rege Armeniorum, euocata, reliquam Sarracenòrum in Asia potentiam penitus attriuit, CALIPHA Baldacensi siue sublato, siue in ordinẽ redacto (variant enim auctores: & patrũ nostrorum memoria primùm HISMAEL SOPHVS nouæ sectæ prætextu Persidis règnum suæ familiæ, quæ Sarracenica est, recuperauit) Turcorum verò vehementer debilitauit, Alapiensi & Damasceno Soldano è SYRACONI familia capto, & in Persidem deportato, Ægyptijs autem, & ipsis è Syraconi familia, à MAMALVCHIS Cumanis deletis: deniq; & Iconiensi è SOLYMANI posteritate, qui cæterorum omnium potentißimus extiterat, victo fugatoq;: sic vt ab hoc principio regnum Turcicum in nouam πολυαρχίαν dilaceratum fuerit, indeq; OTHOMANÆ domus fortuna se exeruerit, & huc vsq; conseruârit. Quapropter vt maior Chronico Hierosol. lux inferretur, Haythoni historiam ei subiungere, & rursus propter res Tartaricas Haythono MARCVM PAVLVM Venetum,

deniq;

deniq; eidem decerptum è Speculo historiali Vincentij Beluacensis fragmentum placuit. Etsi enim in auctoribus hisce Vincentius vetustissimus est, & hunc proximè Marcus Paulus, tertio verò loco Haythonus sequitur, tamen nos ad argumentũ, quod tractarent, quam ad ætatẽ illorum accõmodare nos maluimus. Nam primùm Sarraceni, deinde Turci efflоruere, & hos demum Tartari excepere: donec ijs rursus excussis, Turci præualuere. Binis autem vicibus, quantum quidem mihi constat, & ipsarum expreßionum exempla videre contigit, iam antè Haythonus prodijt. Primam editionem debemus cuidam Menardo Molthero, inciditq; ea in annum Christi 1529. Alteram cum plerisq; alijs non dißimilis argumenti commentarijs instituit Simon Grynæus. Quantum hac nostra profectum sit, alios scilicet æstimare, ac pronunciare satius fuerit. Certè cùm priores diligenter inter se contulissemus, alteram alterius amica ope, secundum Poëtam, vtranq; verò non rarò noua lima, imò alicubi ad manifestam nuditatem contegendam veste aliqua indigere, animaduertimus. Nam Moltheriana etsi deprauatißima, tamen plenior erat, appositis nimirum principio præfatiunculis, quibus Grynæana deficeretur: hæc verò licet nimis crassa σφάλματα emendaret, cætera tamen in medio relinquebat. Ergo vt maius operæprecium fieret, nos & scholia, & necessarias quasdam appendices apposuimus: præsertim cùm tam Sarracenicas, quàm Turcicas res Haythonus magis ἐν παρόδῳ attingere, quàm ex professo narrare voluisse videatur.

atur. Quod ad Paulum attinet, eodem modo egimus. Quāuis vt Chronicon Hierosol. ita & vtrunq; hunc auctorem è codicum manuscriptorum fide edere maluissemus. Qua in re tametsi ad summam diligentiam nihil reliquum fecerimus, & omnia mouerimus, nihil tamen promouimus, secundum Comicum: & fuerit, opinor, quod in conatu non improbari poßit. Speculi Vincentij exemplum, quo nos vsi sumus, annum habebat appositum 1473. Atq; ab eo tempore editionem non nisi semel iteratam, accepimus. Est enim Opus illud ingens, sed plura ferè πάρεργα quàm ἔργα persequens. Quanquam vt ne expositionum pars, quam nos adduximus, vocari in dubium poßit, ea vetant, quibus auctorem ipsum facere sibi fidem voluisse, apparet. Id quod mentione nostra indicari debebat, quòd à Matthia Mechouio lib. 1. Sarmat. cap. 5. notetur inclementius. Iam & hoc de Tartaricis seu Cathaynis Imperatoribus, qui ijdem & CANES & MAGNI CHAM vocantur, commonendum erat, aliter eos ab Haythono, aliter à Paulo, aliter à Vincentio referri. Sed de numero maiorem deberi fidem Paulo censemus: quippe qui non audita, sed coràm visa tradat, & rectius omnia præsens, quàm Haythonus absens explorare potuerit. Nominum variatio, nisi ea in interpretes reijcienda, fortè inde extitit, quòd Paulus & Vincentius popularem & crassam, Haythonus molliorem vel suæ vel Gallicæ gentis enunciationem sequeretur. Et accedere potuit, quòd quæ in alijs πρόσθεσις, in alijs ἀφαίρεσις, in nonnullis etiam μετάθεσις

ἐπίθεσις cognoscitur, certas, sed nobis incognitas, dignitates significârit. Certè de nomine Baiothnoy disertè Vincentius suffragatur. Verùm de his hactenus: & quam idem Vincentius de ipsa Changiana familia ἐποχὴν reliquit, de ea disseremus suo loco. Redeo ad Haythonum: qui qua occasione, quave fide historiam suam conscripserit, præfatione sua & iterum cap. 46. testatur. Videtur autem hanc non parum genus ipsius commendare. Habuit enim auunculum regem Armeniæ, cùm ipse esset Dominus Curchi (nam ita interpres reddidit) sed pòst gentis suæ more è voto Monachus factus. Ordo narrationum satis concinnus est: nam primùm quasi προλεγόμενα de diuersis Orientis populis & regnis præmittit, vt inde cætera planiora fiant. Tametsi optandum esset, Haythonum vel in tempora, vel in interpretem meliorem incidisse: procul dubio enim meliora ipse imò etiam plura dedisset. Interim nos reliquias, & de ingenti rerum disiectarum cumulo veluti ἐρείπια erepta, boni consulere, adeoq; omni diligentia custodire decet. Atq; vtinam, quæ pro eius ætatis conditione planè in loco Haythonus de bello sacro consuluit, non posthabita fuissent. Quò enim deinde res euaserit, & quibus hodie periculis Christiani nominis regna exposita sint, palàm atq; in medio est: cùm contrà Tartarorum potentia adhuc integra, & tam Armenijs quàm Georgianis sua regna retinentibus, tanquam è ruderibus renascens Turcicæ gentis Tyrannis concidi in herba potuisset. Sed infringi scilicet vim suam fata nolunt: & occasio, quam fronte capillatam,

pòst

pòst caluam esse, Mimus Publianus monuit, vbi semel auolauit, non redit. Quando nec ea orientalium Dynastarum tam Christiani quàm Mahometani nominis confœderatio, quam ab illis, Constantinopoli iam amissa, aduersus MAHOMETEM II. susceptam Æneas Syluius scripsit, excutere occidentalibus Christianis veternum potuit. Vnde quidem factum, vt Mahometes singulos inuadens propemodum vniuersos oppresserit, & potentia ipsius maximo cumulo adaucta fuerit, deniq; successores continentibus victorijs imperij pomœria promouerint. Quæ etiam ad Paulum, quæ ad Vincentium pertinent, in ijs ille quidem sua ipsemet passim perstringit, & plura de vtroq; suo loco dabimus. Estq; peregrinationis exemplum in Paulo propositum memorabile. Nam quod de Vlysse suo Homerus cecinit:

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, ϗ νόον ἔγνω, *id non minus rectè ad illum accommodauerimus. Sed finem faciamus. Quod igitur de vobis, magnifici, nobiliss. atq; ampliss. viri restat, planè ex officio ita agendum mihi statuebam, vt cùm Chronicon Hierosolymitan. illustriss. Ducum Brunouicensium & Luneburg. &c. Dominorum nostrorum clementiss. patrocinio dicatum esset, in id quasi auctarium ad vos mitterem: Quippe qui apud eosdem Principes eximia auctoritate, gratia, dignitate, emineretis: qui insigniter litteris exculti, plurimum litteris litteratisq; deferretis: qui Historiam, vitæ magistram, vt Cicero,* συμφερτὴν σοφίας, *vt in Oda quadam Nazianzenus,* κτῆμα ἐς ἀεὶ ξυγκείμενον, *vt Thucydides, ex-*

quisito

quisito studio excoleretis, & , quod ille ait, nocturna versare manu versare diurna haud intermitteretis. Quid enim hæc vita, in præteritarum rerum, personarum, temporum ignorantia? an non, nescire, quid ante te natum acciderit, id demum est, semper puerum esse, vt Cicero? Imò an non inter homines semper eadem humanorum euentorum effigies recurrit & obuersatur? Sic vt in hac mundi fabula tantùm personæ mutentur? At quàm dulce, quàm vtile alienis casibus suas actiones formare, seu, vt Comicus loquitur, periculum ex alijs facere, tibi quod ex usu sit? Nec Rempub. rectè geret, qui non & PRÆCEPTA & EXEMPLA rerumpub. seu earum FORMAS, STATVS, CONVERSIONES nôrit. Quando in artibus quoq; parum proficiat, qui cum regulis non simul exempla coniunxerit, quòd hæc illarum veluti animæ censeantur, & minus γενικὰ, quàm singularia doceant. Sed quorsum isthæc? eò inquam, vt quàm sponte voluntatem in isto studiorum genere fouendo, iuuando, ornando suscepissetis, me hortatore conseruaretis constantius. Nescio enim, quò plerosq; peruersitas, vel potius turpis ignauia & inscitia impulerit, vt floccipendere rerum memoriam occipiant: cum quibus equidem minimè contenderim. Nam quàm congruè in hos idem Comicus:

> *Homine imperito nunquam quicquam iniustius:*
> *Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.*

Nunc id singulos maiorem in modum rogo, imò obtestor

(b) & oro

& oro, vt, quod dixi, officium nostrum, hoc est δόσιν ὀλίγην, fauentibus animis suscipiatis. Quemadmodum enim plærique vestrûm iam antè beneuolentia sua, & necessitudine, me dignati fuere, nonnulli etiam vel tirocinij in puerilibus scholis, vel maturiorum studiorum in academijs socium recognoscere possunt, denique alij idem mecum natale solum habent: ita ipse hanc communem fortunam nostram duco, & vobis gratulor, mihi gaudeo, quòd eiusdem familiæ Principibus opera nostra obligata sit. Quam stationem cùm in clarissima reipub. luce vos egregia virtute tueamini, in me ornamentorum vestrorum radios ita resplendescere patiemini, vt laboribus nostris, commodo publico destinatis, benignè patrocinemini. Hoc vobis dignissimum feceritis: & quæ mihi contrà partes incumbunt, eas omni obseruantia, studio, fide sustinebo. Etiam atque etiam valete. Ex Academia Iulia Helmæstadij IIII. Cal. April. M.D.LXXXIII.

FRAN-

FRANCISCVS BALDVInus de institutione Historiæ vniuersæ.

GVlielmus ille nostras, qui postea Archiepiscopus Tyrius fuit, suorum principum admirabilem, quæ etiamnum publicè extat, historiam ab Gotifredo per annos LXXX. fidelissimè contexuit. Factum id est, cùm ad annum Christi millesimum ducentesimum Historia paulatim accederet. Et ecce centum pòst annis casu mirabili ex media Armenia in Galliam, atq; adeò in monasterium pertrahitur Haythonus, qui magis atq; magis sui Orientis statum, si non facundè, at certè fideliter (quod, qui supersunt, eius commentarij testantur) nostris exponeret: ac vbi minimè nostri putabant, ibi litteras tunc lucere narraret, in illo nempe extremæ Indiæ admirabili regno Cathayo: cuius iam ea erat gloria, vt Cathayni possent & auderent iactare, se duobus oculis, Latinos non nisi vno præditos esse: reliquas verò gentes esse cæcas. Certè vetus erat hoc Græcorum prouerbium, homines demum litteratos διπλοῖς ὄμμασιν ὁρᾶν: quod quidem de Historicis magis etiam dici potest &c.

¶ Quia prooemio nostro facta mentio, quantopere in eam curam incubuerimus, vt Haythoni historiam de codicis manuscripti fide ederemus, frustra tamen, visum fuit ea de re summi & præstantiss. Geographi, ABRAHAMI ORTELII, ad me epistolam hîc adijcere. Tametsi enimis

nim is eo animo, vt exiret, scripsisse nequaquam videatur, tamen veniam instituto nostro apud eum fore confidimus: vti itidem æquum candidumque lectorem rogatum volumus, ad eum quasi canonem legendam existimet, quem ad Trebonium Cicero habet epistol. famil. lib. 15. nempè aliter nos scribere, quod eos solos, quibus mittimus, aliter, quod multos lecturos putamus. Præterea cùm ab auctore nostro Orientalis historia pertractetur, venit mihi in mentem, expositionibus eius præmittere, quæ de eodẽ argumento sũmatim retulissent Brocardus Monachus & Bartholomæus à Salignia-co: quandoquidem illius testimonium de Christianis Palæstinæ ex Europæis regionibus iam antè Appendici ad Chronicon Hierosol. inseruimus, verùm ex ea auctoris istius editione petitum, quam Casparo Peucero debemus. Nam Veneta Iohannis Tacuini, quæ appositum habet annum Christi 1519. non parum variat, & tum auctorem ipsum tum nomen eius quasi natalibus restituit: Quippe quem Germanum fuisse doceat, & è Saxonico idiomate Borchardum vocet. Iccirco modò quidem eandem editionem sequemur, forsan etiam vtrunque auctorem aliquando sub prælum reuocaturi. Primùm autem Ortelianam epistolam dabimus: quæ eiusmodi est.

Litteras tuas, Cl. doctissimeq; V. quibus huius anni mensem Maium ascripseras, demum accepi circa Idus Octobris. Quæ causa moræ existat, aut vbi tam diu hæserint, ignoro. Ad manus autem meas peruenerunt per tabellarios Colonienses. Vidi etiam in ijsdem titulum libri

libri tui de bello sacro non sine voluptate, vt Reyneccij omnia. Vtinam tibi, vt cupis, prodesse potuissem. Nam de Haythoni volumine ita habeto. Manu exaratum hoc non est meum, neq; vnquam fuit, sed vidi illud, & vsus fui eo hîc Antuerpiæ, interea dum bibliotheca Principis Auraici (cuius pars hoc ipsum erat) hic ventum, ex Oriente flantem, exspectabat. Ab vrbe Breda enim huius Principis domicilio, hinc in Hispaniam captiua vehenda, ferebatur: latetq; modò ibidem in nouo recenter à rege Philippo exstructo monasterio, quod vernaculo nomine Escurial appellant. Aliâs mi Reynecci, pro viribus tuus sum, essemq;. Iuuare certè æquè ac iuuari, cupio. Atq; hoc ita esse experieris, modò tu posthac litteris tuis denuò ad me periculum feceris. Hubertus Goltzius diem suum extremum obijt hoc anno, mense Martio; magno rei antiquariæ damno. Plantinum tuo nomine salutaui, quod gratum sibi fuisse significabat, teq; resalutat officiosissimè, & omne suum studium tibi defert. Vale vir opt. Antuerpiæ Calend. Nouemb. 1583.

Hactenus epistola Orteliana. Sequitur locus Brocardi seu Borchardi Germani, qui terram sanctam per decennium se calcasse, pertransisse, & diligentissimè omnia notasse dicit.

Scire te volo, studiose lector, pro rei veritate, etsi nonnulli oppositum sentiant, asserere volentes, quæ nec sciunt, nec viderunt, quòd totus Oriens vltra mare, vsq; Indiam & Aethiopiam, nomen Iesu benedicti confitetur, prædicat & veneratur, præter Sarracenos & Turcos, habentes dominium in Arabia & in Aegypto, qui Mahumet obseruant & colunt. Sicq; pro certo assero, & testimonium de viso perhibeo, & ab alijs, quibus no-

tæ fuerunt regiones vltramarinæ, intellexi, quòd pro vno Sarraceno, vel Mahumetano, triginta inuenies Christianos. Verùm quia Christiani vltramarini, vt Syri, Armenij, Cappadoces, Chaldæi, Medi, Persæ, nationesq; reliquæ Orientales, bellicosi non sunt, nec armis dediti, cùm impugnantur à Sarracenis vel Tartaris, de facili subijciuntur eis, necesseq; est, vt tributis pacem & quietam vitam emant: Sarraceni autem vel alij qui eos deuicerunt, assumunt dominium, Baliuos & exactores terris suis præponunt, & inde prouenit, vt tale vel tale dominium dicatur Sarracenorum, cùm tamen habitantes omnes sint Christiani, præter solos Baliuos præpositos & exactores aliquos de familia eorundem. Sicut oculis meis vidi in Cilicia & Armenia minori. Apud regem Ciliciæ & Armeniæ, qui nunc Tartaris tributa persoluunt, decem hebdomadis moras pertraxi: erantq; apud ipsos Tartari paucissimi, vt quinq; vel sex, qui verè essent Tartari: residui omnes de curia Christiani, numero circiter quingenti. Hos vidi confluere, Missas audire, genua flectere, deuotissimè orare. Quotiens & vbicunq; eis occurri cum socio meo, vel in via vel in regia domo, nos maximè honorabant, deuotè se inclinantes, salutantes, & nobis transeuntibus assurgentes &c.

ALTER BARTHOLOMAEI A SAligniaco, qui è Palæstina in Galliam reditum suum collocat in annum Christi 1522.

HOc loco scire vos iubeo, boni lectores, longè aliter se rem habere, quàm pleriq; per Occidentem ignoti homines credunt. Credunt enim, nusplam esse Christianos, quàm in Eu-

in Europa & per Occidentem: cùm reuera per totum Orientem innumeri maneant Christiani, adeò vt ausim dicere, in Armenia, Aethiopia, Perside, Chaldæa, Aegypto, India & alijs regionibus reperiri triginta Christianos contra vnum Sarracenum. Sed hi, quoniam imbelles sunt, fortè secundum Euangelij Christi modestiam, ideò Turcæ dominantur eorum, quibus soluentes tributa, quietè viuunt in sua fide & religione. Soli enim præsides, iudices & magistratus sunt Turcæ. Qui absq; dubio maxima auxilia afferrent principibus Christianis, si in terram sanctam sub vexillo Crucis expeditionem pararent. Et nos ipsi peregrini Græciæ vrbes peragrantes, audiuimus optimates & plebem nil magis velle ac optare, quàm vt principes Occidentis conflato exercitu pro recuperatione terræ sanctæ & Orientalis Ecclesiæ mare transirent, dicentes, se maxima subsidia & commeatuum & militum præstituros &c.

PRAEFA-

PRAEFATIO OPVSCVLI.

HAE ſunt hiſtoriæ partium Orientis, à religioſo viro, Fratre Haythono, Domino Curchi, conſanguineo Regis Armeniæ, compilatæ. Quas ego Nicolaus Salconi ex mandato ſummi Pontificis, Domini Clementis Papæ quinti, in ciuitate Pictauẽſi, primò ſcripſi in Gallico Idiomate, ſicut idem Frater Haythonus mihi ore dictabat, abſq; nota, ſine aliquo exemplari. Et de Gallico tranſtuli in Latinũ, Anno M. CCC.VII. Menſe Auguſto.

INDEX CAPITVM.

XXX.

CLE-

CLEMENTISSIMO PATRI AC DOMINO, DOMINO Clementi, Pont. Max. Nicolaus Salconi sese humiliter commendat.

CORAM vobis, Clementiss. Pater, palàm fateor, me non esse scientiæ competentis ad consulendũ tanto negocio, sicut esse dignoscitur Passagiũ terræ sanctæ. Veruntamen ne pœnam filij inobœdientis incurram, parere me oportet Sanctitatis vestræ iussionibus & mandatis quibus contraire non licet alicui Christiano. Iuxta ergo meam paruam cognitionem, fideliter & deuotè, ea quæ sentio, reserabo. Nam suppliciter deprecor, insuper & exoro, vt V.S.P. suscipiat benignè ea, quæ deuotio nostra scribit super Passagio terræ sanctæ, & in superfluis vel omissis limam suæ correctionis adponat. Non enim habuissem audaciam cõsulendi super tam arduo negocio, nisi de

Papæ oportere omnes dicto audientes esse.

Bellum sacrum.

mandato V.S. processisset: Quæ postquã ascendit solium pastorale prouisione diuina, toto mentis affectu assiduè studuit procurare, qualiter illa sancta ciuitas Hierosolymitana, Christi cruore respersa, de seruitute infidelium eripi valeat, & reduci ad pristinam libertatem: & ob hanc causam, reges & principes Christianos, in statu pacifico reformatos per

Conciliũ Viennense 1311.

gratiam IESV Christi, ad suum concilium reuocauit, vt super his consilium fiat præcipuè, & adhortatio pro subsidio terræ sanctæ. Cumq; multis indicijs & veris demonstrationibus ostendatur, quòd omnipotens & misericors Deus velit ter-

Votum.

ram sanctam ab infidelium potentia S.P.V. temporibus liberare, ideo suppliciter exoramus, quatenus longitudinem dierum felicium illam repleat, qui potens est Deus in secula seculorum, Amen.

CAPVT

CAPVT I.
De Regno Cathay.

REGNVM CATHAY EST MAXIMVM, quod in orbe valeat inueniri, & est repletum gentibus, & diuitijs infinitis, & in Oceani littore habet situm. Tot etiam sunt ibidem maris insulæ, quòd numerus nullatenus potest sciri. Nam nullus penitus inuenitur, qui omnes illas insulas asserat se vidisse. Illæ verò quæ calcari possunt, reperiuntur innumerabilibus abundare diuitijs & thesauris. Et illud ferè quod in illis partibus carius emittitur & habetur, est oleum oliuarum, & reges & magnates illud quasi medicamen præcipuum cum magna diligentia faciunt custodiri. In ipso etiam regno Cathay plura sunt mirabilia, monstrosa, quæ dicere prætermitto. Homines illarũ partium sunt sagacissimi, & omni callíditate repleti, & ideo in omni arte & scientia vilipendunt omnes alias nationes. Et dicunt, quòd ipsi sunt soli, qui duobus luminibus respiciunt. Latini verò vno lumine tantùm videant, sed omnes alias nationes asserunt esse cœcas. Et per hoc certissimè demonstratur, quòd omnes alios reputant esse rudes. Et verè tot res mirabiles & diuersæ, ac ineffabilis subtilitatis & laboris manuum, ex illis partibus deferuntur, quòd non videtur esse aliquis, qui in talibus illis se valeat comparare. Omnes illi de illo regno Cathayni vocantur, & iuxta nationes suas multi, tam viri quàm fœminæ pulcherrimæ reperiuntur, tamen omnes communiter paruos habent oculos, & naturaliter barba carent. Isti verô Cathayni valde pulchras habent literas, quæ Latinis literis in pulchritudine quodãmodo similes sunt. Secta verô illius regni gentium vix posset aliquo modo enarrari. Quoniam aliqui sunt qui colunt idola de metallo; alij verô boues adorant, qa terrã laborant, ex qua crescunt frumenta & alia nutritiua. Alij colunt magnas arbores, alij naturalia, alij Astronomiã, alij Solem colunt, alij Lunã, alij verò nullam habent fidem.

Regni Cathayni amplitudo.

Insulæ.

Oleum oliuum.

Incolarũ ingenia.

Arrogans præsumtio.

Litteræ.

Religio.

fidem vel legem, sed sicut bruta animalia, ducunt bestialiter vitam suam. Et licet sint perspicacissimi ingenij ad omnia opera corporalia exercenda, nulla tamen inter eos spiritualium noticia inuenitur. Homines illius patriæ non sunt audaces, sed sunt mortis timidi plus satis quàm armigeros esse deceat, multum tamen sunt ingeniosi, & magis per mare quàm per terram de inimicis suis victoriã reportârunt. Multa habent armorũ genera, quæ non inueniuntur inter alias nationes. Moneta verò, quæ in illis partibus expenditur, fit de papyro in forma quadrata, & est regali signo signata, & secundum illud signum illa moneta est maioris precij, vel minoris, & si fortè illa moneta propter vetustatem incipiat deuastari, ille verò qui illam habuerit, ad regalem curiam deportabit, tunc pro illa dabitur sibi noua. De auro verò & alijs metallis faciunt vasa & alia ornamenta. De isto regno Cathay dicitur, quòd est in principio mundi, quia est in oriente ab vno capite, & in illa parte nulla est aliarum habitatio gentium, vt refertur. Ex parte occidentis suos habet confines cum regno Tarsæ. Ex parte Septentrionis cum deserto de Belgian. Ex parte verò meridiei sunt insulæ maris Oceani, de quibus superius est expressum.

Effœminata timiditas.

Moneta.

¶ Meminit Itinerarium Monteuillani Angli

CAPVT II.

De regno Tarsæ.

IN regno Tarsæ sunt tres prouinciæ, quarum dominatores se Reges faciunt appellari. Homines illius patriæ nominantur Iogour, semper idola coluerunt, & adhuc colunt omnes, præter decem cognationes illorum Regum, qui per demonstrationem stellæ venerunt adorare natiuitatem in Bethlehem Iudæ. Et adhuc multi magni & nobiles inueniuntur inter Tartaros de cognatione illa, qui tenent firmiter fidem Christi. Alij verò idololatræ de partibus illis, sunt homines nullius valoris in facto armorum. Perspicacissimi tamen sunt ingenij ad omnes artes & scientias addiscen-

Tarsæ prouinciæ.

Incolarũ religio.

Ingenia.

addiſcendas. Literas habent proprias, & ferè omnes illarum partium habitatores abſtinent à carnibus, & à vino, nec aliqua ratione occiderent quicquam viuens. Illorum ciuitates valde ſunt amænæ, & templa magna habent, in quibus idola venerantur, frumenta ibi creſcunt abundanter, & alia bona grana. Vino verò carent, & bibere vinum, reputant eſſe peccatum, ſicut faciunt Agareni. Iſtud regnum Tarſæ, ex parte orientis ſuos habet confines cum regno Cathay ſuprà dicto. Ex parte occidentis, cum regno Turqueſtan, ex parte Septentrionis, cum quodam deſerto. Ex parte verò meridiei, cum quadam ditiſsima prouincia, quæ vocatur Sym, quæ inter regnum Indiæ & regnum Cathay habet ſitum, & in illa prouincia inueniuntur lapides Adamantis. *Mores & ritus.*

CAPVT III.

De regno Turqueſtan.

Regnum Turqueſtan, ex parte orientis ſuos habet confines cum regno Tarſæ, ex parte occidentis, cum regno Perſarum, ex parte ſeptentrionis, cum regno Coraſmæ, ex parte verò meridiei, protenditur vſq; ad deſertum Indiæ. *Turqueſtani regni fines.* In iſto regno paucæ ſunt bonæ ciuitates: planicies habet latas, & bona pabula pro armentis, & ideo habitatores illius patriæ vt plurimum ſunt paſtores, habitantes in tentorijs, & in talibus domibus, quæ de loco ad locum poſſunt faciliter deportari. *Incolæ paſtores & ſcenitæ.* Maior ciuitas illius regni vocatur Ocerra. *Ocerra.* Parum ibi colligitur de ordeo vel frumento. Vino totaliter carent, bibunt Curſiam, & alia poculenta quæ conficiunt, & lac. Riſum & milium comedunt atq; carnes, & vocantur Turcæ. *Turcæ.* Et ferè omnes tenent dogma peſsimi Mahometi. Aliqui verò ſunt inter eos, qui nullam penitus fidem habent vel legem. Literas non habent proprias, ſed vtuntur literis Arabicis in ciuitatibus ſiue caſtris.

CAPVT IIII.

De Regno Corasminorum.

Regnum Corasminorum est benè munitum bonis ciuitatibus atq; villis, & multi sunt ibidem habitatores, quia terra illa est fertilis & amœna, frumenta & alia bona grana colliguntur ibi in maxima quantitate, tamen modicum habent vini. Istud regnum suos habet confines cum quodam deserto, cuius per centum dietas extenditur longitudo. Ex parte Occidentis vsq; ad mare Caspium protenditur. Ex parte Septentrionis confines habet cum regno Cumaniæ. Ex parte meridiei cum regno Turquestan, superius nominato. Maior ciuitas illius regni vocatur Corasme, & Corasmi homines nominantur. Pagani sunt, non habentes literas siue legem. In armis sunt ferocissimi qui vocantur Soldini, & habent propriam linguam, literas atq; ritum Græcorũ. Et modo Græcorum conficiunt corpus Christi, & sunt obœdientes Patriarchæ Antiocheno.

Corasme.

Soldini.

CAPVT V.

De Regno Cumaniæ.

Regnum Cumaniæ est valde magnum, sed propter aëris intemperiem malè ab hominibus habitatur. Fit enim in locis aliquibus hyemali tempore tantum frigus, quòd homines siue animalia non possunt viuere vllo modo. In aliquibus verò locis fit tantus calor in æstate, quòd nemo potest ibi esse per æstum, & etiam propter muscas. Regnum istud Cumaniæ est quasi totum planum, & in illa planicie non reperiuntur arbores, siue ligna, nisi fortè iuxta aliquas ciuitates, quæ pomeria quædam habent. In campis & tentorijs habitant illæ gentes, stercora comburunt animalium loco ligni. Regnum Cumaniæ ex parte Orientis confines habet cum regno Corasme, & cum quodam deserto. Ex parte Occidentis est mare * maius, & mare detenue. Ex parte septentrionis confines cum regno Cassiæ. Ex parte meri-

Cumaniæ intemperies.

Planicies.

Stercora ligni vsum præbentia

*Pontus Euxinus

meridiei protenditur vsq; ad quoddam flumen magnum, quod reperitur in vrbe, quæ vocatur Etill. Anno quolibet congelatur, & quandoq; per totum annum permanet ita firmiter congelatum, quòd glacies calcatur ab hominibus & animalibus, sicut terra. In littore illius fluminis inueniuntur quædam arbores satis paruæ. Vltra verò & ex alia parte illius fluminis sunt gentes habitantes variæ & diuersæ, quæ non computantur de regno Cumaniæ, obœdiunt tamen regi. Et quidā sunt, qui habitant circa montem * Cocas, qui mirabiliter est magnus & altus. Astures & aliæ aues rapaces albæ sunt, quæ in illis montibus oriuntur. Et iste mons residet inter duo maria, quia ex parte Occidentis est maius, ex parte Orientis mare Caspium, & istud mare Caspium nullum habet introitum cum mari Oceano, sed est sicut lacus, mare tamen propter ipsius magnitudinem appellatur. Est enim maior lacus, quàm reperiatur in orbe, quia protenditur à dicto monte Caspio, vsq; ad caput regni Persarum, & diuidit totam terram Asiæ in duas partes: & illa pars, quæ est in parte Orientis, dicitur Asia profunda, & illa quæ est in Occidente, dicitur Asia maior, & multos retinet bonos pisces. Circa illum montem Caspium inueniuntur Bubali, & alia multa animalia syluestria. Sunt etiam in illis partibus multæ insulæ, in quibus aues nidificant, & præcipuè Falcones, quæ Pegrim vulgariter appellantur, & Esmerliones, & Bonsacci, & multæ aliæ aues nascuntur ibidem, quarum nusquam origo nisi in illis insulis inuenitur. Maior ciuitas regni Cumaniæ vocatur Sara, quæ fuit antiquitus nobilis & famosa, fuit tamen prostrata, & quasi totaliter destructa per Tartaros, qui illam violenter ceperunt, sicut inferius exprimetur.

Etil.

*Caucasum, qui Iouio li. 33. montium pater.

Mare Caspium.

¶ *Vide infrà cap. 47.*

Bubali.

Falcones.

Sara.

CAPVT VI.
De Regno Indiæ.

REgnum Indiæ est valde longum, & est situm super mare Oceanū, quod in illis partibus dicitur mare Indiæ.

¶ Istud regnum incipit à confinibus regni Persarum, & extenditur per Orientem vsq; ad vnam prouinciam, quæ vocatur Balarem, & in illa prouincia reperiuntur lapides preciosi, qui Balais appellantur. Ex parte septentrionis perlongum est & magnum desertum Indiæ, vbi tot serpentes, & animalium diuersitates habitantes, Imperator Alexander dicitur inuenisse. In ipso regno prædicauit B. Thomas Apostolus fidem Christi, & multas conuertit prouincias atq; gentes: sed quia distant multum ab illis terris & locis, in quibus fides colitur Christiana, ibi fides nostra est multum diminuta, nec est ibi nisi quædam ciuitas, in qua habitant Christiani, omnes verò alij fidem Christi totaliter reliquerunt. Ex parte verò meridiei perlongum est mare Oceanum, in quo sunt multæ Insulæ, sed homines degentes in illis sunt nigri, & nudi incedunt totaliter, propter æstum, & colunt idola velut stulti. In illis insulis inueniuntur lapides preciosi, margaritæ & aurum, & multa genera specierum & rerum medicinalium, quæ conferunt sæpè hominibus huius mundi. Ibi etiam est quædam insula, quæ vocatur * Celan, & in illa reperiuntur lapides qui vocantur Rubini & Saphiri, & Rex illius Insulæ habet maiorem Rubinum, & meliorem quàm valeat reperiri. Et quando Rex illius insulæ debet coronari, lapidem illum manibus suis tenet, & sedens super equo, circuit ciuitatem, & extunc omnes sibi obœdiunt tanquam regi. Terra Indiæ est quasi insula à deserto superius nominato, & mari Oceano circundata, ita quòd vix posset aliquis introire illam terram, nisi ab vno latere tantùm, videlicet ex parte regni Persarum. Et mercatores, qui ad illam terram volunt accedere, primò vadunt ad quandam ciuitatem, quæ vocatur Hermes, quam Hermes Philosophus fundauit artificialiter, vt fertur, & exinde transeunt per quoddam brachium maris, quousq; veniunt ad quandam ciuitatem, quæ † Combaëch nominatur, & ibi inueniuntur aues, quæ vocantur * Papagai, quæ sunt viridis coloris, & tanta est in illis partibus illarum auium multitudo, quanta passerum in hac terra.

Alexãder Magnus.

Thomas Apostolus

Insulæ Oceãni Indici.

* Garciæ ab Horto lib. 1. cap. 15. Ceilan siue Zeilan, veteribus Taprobana.

Hermes.

† Paulo Veneto Cãbaëth

* Psittaci.

terra. In illo portu inueniunt quæcunq; volunt venalia mercatores. Et si vltrà vellent procedere, absq; molestia possent ire. In illa prouincia non habent abundantiam hordei, vel frumenti: Comedunt tamen illarum partium habitatores risum, milium, lac, butyrum & fructus, qui multi crescunt ibidem.

¶ *Vide Paulum Venetum, Cadamustum, Vartomanũ, Petrum Martyrem Mediolan. & alios rerum Indicarum scriptores.*

CAPVT VII
De Regno Persarum.

Regnum Persarum diuiditur in duas partes, quæ dicuntur solummodo vnum regnum, eò præcipuè, quòd vnus solus dominus illarum terrarũ semper obtinuit principatum. Prima pars Persarum incipit in Oriente à confinibus regni Turquestan, & protenditur per occidentem, vsq; ad magnum flumen (a) Phison, quod est primum inter quatuor flumina, quæ fluunt de paradiso terrestri. Et ex parte septentrionis extenditur vsq; ad mare Caspium. Ex parte meridiei, vsq; ad desertum Indiæ. Prouincia illa est quodammodo tota plana: in medio illius duæ sunt sitæ magnæ & opulentissimæ ciuitates: quarum altera vocatur * Boctara, altera Seonorgant. Habitatores illarum partium dicuntur Persæ, & habent propriam linguam, de mercationibus & terrarum laboribus viuunt, verùm de armis se non ingerunt, nec de guerra. Antiquitus colebant idola, & ignem tanquam Deum præcipuum adorabant. Postquam verò secta Mahumeti illarum partium dominium occupauit, effecti sunt vniuersaliter Sarraceni, Mahumeti credentes falsissimis documentis. Alia verò pars incipit à Phison flumine supradicto, & extenditur per occidentem vsq; ad confines regni Mediæ, & partim maioris Armeniæ. Ex parte verò septentrionis extenditur vsq; ad mare Caspium. Ex parte verò meridiei habet confines cum quadam prouincia regni Mediæ. In illa prouincia sunt duæ maximæ

¶ Vide Paulum Venetum li.1.ca.19.

Persarum religio.

* Sorsano Buchara, Andreæ Alpago]. Bochara patria Auicenæ Medici.

maximæ ciuitates, quarum vna vocatur Nesabor, & alia (b) Spachen, & tamen in secta moribusq; sunt similes alijs supradictis.

(a) Gangem, quæ peruulgata doctorum est opinio. Sonus tamen propius accedit ad nomen Phasis, qui Colchidis fl. est

(b) Speculo Vincentij lib. 50, cap. 82. & 89. Saphan, Iouio li. 14. Spaha: Et illud quidem centum portas, eam habere, ait, hic Parthorum regiam facit. Vide Persicam historiam Bizari lib 12.

CAPVT VIII.

De Regno Medorum.

REgnum Mediæ est valde longum & strictum: ex parte enim orientis incipit à regno Persarum, & partim cum regno Indiæ maioris, & extenditur per occidentem vsq; ad regnum Chaldæorum. Ex parte septentrionis incipit à regno Armeniæ maioris, & extenditur per meridiem vsq; ad ciuitatem Aquisam, quæ est sita supra mare Oceanum, & ibi reperiuntur Margaritæ grossiores, quæ portantur per orbem. In regno Mediæ sunt montes magni & paruæ planicies, & duæ sunt ibi regiones: & gentes, quæ in vna ipsarum habitant, dicuntur Saraceni, & alij vocantur Cordini. Duas etiam habent ciuitates magnas, vna vocatur Soracet, alia Queremon. Legem & sectam tenent perfidi Mahumeti. Literas habent Arabicas, & ad arma sunt boni sagittarij, pedites & valentes.

Margarita.

Cordini.

CAPVT IX.

De Regno Armeniæ.

Armeniæ quatuor regna.

IN terra Armeniæ sunt quatuor regna, tamen vnus solus Rex dominium semper occupauit. Longitudo terræ Armeniæ incipit à regno Persarum, & extenditur per occidentem vsq; ad regnum Turquiæ. Latitudo terræ Armeniæ

incipit

incipit à Mirali ciuitate, quæ dicitur porta ferri, quam Rex Alexander firmauit, propter nationes gentium varias & diuersas, in profundo Asiæ habitantes, quas nolebat posse habere ingressum in Asiam maiorem absq; suo mandato: & est illa ciuitas sita in quodam districto maris Caspij, & tangit magnum montem Cocas. Latitudo Armeniæ extenditur vsq; ad regnum Mediæ. In regno Armeniæ sunt plures magnæ & ditissimæ ciuitates, & ciuitas Taurisij est famosior, & plus alijs opulenta. In Armenia sunt magni montes, latæ planicies, & flumina magna, & lacus aquarum dulcium & salsarum, in quibus piscium magna copia inuenitur. Gentes in terra Armeniæ habitantes diuersis nominibus nuncupantur, secundum terras & regiones, in quibus degunt, & sunt equites & pedites strenui bellatores: in armis, equis & vestibus mores sequuntur & habitum Tartarorum, qui sub eorum dominio longo tempore sunt detenti. Literas habēt Armenicas, & alias etiam, quæ dicuntur * Haloën. In Armenia est altior mons, quàm sit in toto orbe terrarum, qui * Arath vulgariter nuncupatur, & in cacumine illius montis arca Nohæ post diluuium primò sedit. Et licet propter abundantiam niuium, quæ semper in illo monte reperiuntur tàm hyeme quàm æstate, nemo valet ascendere montem illum, semper tamen apparet in eius cacumine quoddam nigrum, quod ab hominibus dicitur esse arca.

Miralis quæ & porta ferri.

¶ Vide infrà ca. 47 & in idem appēdicē.

Taurisium.

Litteræ Armeniæ.

Arca Nohæ.

* Vide infrà ca. 15

* Ararat

CAPVT X.

De Regno Georgiæ.

REgnum Georgiæ ex parte Orientis incipit à quodam magno monte, qui vocatur * Alboris: ibi multæ habitant gentium nationes, & ideò vocatur illa prouincia * Alania: exinde extenditur regnum Georgiæ per Occidentem versus Septentrionem, vsq; ad aliquas terras regni Turquiæ. Longitudo ipsius regni Georgiæ extenditur supra mare maius. Ex parte meridiei, confines habet cum

* Nigro.

Albsor, id est Caucasus.

* alijs Albania.

regno Armeniæ maioris. Et istud regnum diuiditur in duo regna, vnum vocatur Georgia, aliud verò * Abcas nominatur, & semper ibi duo Reges fuerunt: Quorum alter est subiectus Imperatori Asiæ, scilicet Rex Georgiæ: Sed Rex Abcas est potens gentibus, & fortissimus munimentis, nec per Imperatorem Asiæ, nec per Tartaros potuit subiugari. In isto regno Georgiæ apparet quoddam stupendum miraculum & monstrosum, quod dicere non auderem, neq; credidissem, nisi proprijs oculis perspexissem. Sed quia personaliter ibi fui, & vidi, dico, quòd in illis partibus est quædam prouincia, quæ vocatur Hamsem, quæ in circuitu benè habet tres dietas, & quantum extenditur illa prouincia tota, quadam caliginosa & tenebricosa caligine locus ille taliter obfuscatur, quòd nullus est, qui aspicere possit quicquam: nec est aliquis, qui audeat ingredi terram illam quoniam ad redeundum tramitem ignorat. Habitatores illarum partium asserunt, se sæpius audiuisse voces hominum vociferantium, cantum galli, hinnitus equorum in sylua. Et per meatum cuiusdam fluminis, quod de loco illo egreditur, apparent signa certa, quòd sit gentium habitatio in eodem. Verum est, quod legendo inuenitur in historijs regni Armeniæ & Georgiæ, quòd quidam pessimus fuit Imperator & dominator Persarum, qui nuncupabatur proprio nomine * Sauoreus: idola colebat iste, & persequebatur crudelissimè Christianos. Quadam verò die præcepit, vt omnes habitatores Asiæ venirent, & sua idola adorarent, & quicunq; eius dictis imperialibus contrairet, pœnam succendij pateretur. Vnde accidit, quòd quidam fideles Christiani potius, quàm idola colerent, martyrium elegerunt. Aliqui verò adorauerunt idola præ timore, & ne bonis temporalibus priuarentur. Alij verò petierunt montes & monumenta, & in illis tutârunt se viriliter contrà permuniti. Quidam verò boni Christiani tunc temporis in quadam planicie habitabant, quæ Mogon dicebatur, & dum nollent modo aliquo idolis immolare, cogitauerunt de fuga, bonis temporalibus derelictis omnibus. Et dum ad par-

Georgia duo regna

* Vide infrà ca. 15. & 47. Videtur autem legendũ Abasc. Plura in appendice.

Hamsem regio Cimmeriys tenebris obsita.

¶ * Cabades: ad huius enim & Gurgenis regis Iberiæ, historiã alludere expositionẽ istã suspicor Vide Procopiũ li. 1. de bello Persi.

Mogon.

ad partes Græciæ crederent se transferre, ipse pessimus Imperator obuiauit fugientibus Christianis in illa videlicet planicie Hamsem, superius nominata. Cumq; iussu Imperatoris deberent Christiani frustatim omnes vniuersaliter detruncari, clamauerunt ad dominum Iesum Christum, & continuò tenebrositas illa per syderum lumina obfuscauit, & Christiani per gentes recto tramite euaserunt, iniqui verò in illa tenebrositatis valle vsq; nunc resident, & residere debent vsq; ad finem seculi, vt ab omnibus creditur & enarratur.

¶ *Refer huc, quæ habet Synonymia Geographica Ortelij in voce, Cimmerij. Variat de nomine Itinerarium Monteuillani.*

CAPVT XI.

De Regno Chaldæorum.

Regnum Chaldæorum ex parte Orientis à montibus Mediæ incipit, & ꝓtenditur vsq; ad Niniue, maximam & vetustissimam ciuitatem prope flumen Tigris, & illa est ciuitas Niniue, de qua sancta scriptura loquitur. Ista ciuitas ad præsens est totaliter deuastata. Sed per ea, quæ adhuc sunt apparentia in eadem, firmiter credi potest, quòd fuerit vna ex maioribus ciuitatibus huius mundi. Latitudo regni Chaldæorum ex parte septentrionis incipit à quadam ciuitate, quæ vocatur Maraga, & extenditur per Meridiem vsq; ad mare Oceanum. Maior ciuitas Chaldæorum vulgariter nominatur Babylonia, & sic antiquitus dicta fuit, in qua Nabuchodonosor filios Israël captiuos abduxit de Hierusalem, sanctissima ciuitate. In regno Chaldæorū multæ sunt planicies, pauci montes, & modicæ aquæ, quæ per regnum discurrunt. Illi qui in Chaldæa habitant, Nestoriani vocantur, quia sunt in errore Nestorij, & literas habent Chaldæas. Alij verò sunt ibi, qui literis vtuntur Arabicis, & sectam tenent falsissimam Mahumeti.

Niniue. *Babylon.* *Nestoriani.* ¶

¶ *Vide Itineraria Brocardi Monachi & Bartholomæi à Saligniaco. Vt etiam Chosroes, rex Persarum, in odium Heraclij*

Imp. Christianos in suis finibus ad Nestorianismum adegerit, sicq; sectam illam roborarit, traditur à Paul. Diac. histor. Miscell. lib. 18. pag. 568. & 585. Demum hac nostra tempestate, id est ann. Christi 1562. Nestorianos Pontificis Rom. primatum agnoscere cœpisse, legimus in Itinerario Hierosol. Alberti, Com. Leonsteinij.

CAPVT XII.

De Regno Mesopotamiæ.

* Veteribus Seleucia. *Eufrates.* * Edessa. † Carræ ciuit. *Genes. 11.*

REgnum Mesopotamiæ ex parte Orientis habet initium à magna ciuitate * Mosel, quæ sita est prope flumen Tigris, & per Occidentem dilatatur vsq; ad flumen Eufrates, & ciuitatem * Rohais, quæ fuit ciuitas regni Abagari, ad quam fuit transmissa Veronica, quæ hodie Romæ inuenitur. Et prope Rohais est terra * Haran, in qua Abraham antiquitus habitabat, quam terram Dominus præcepit relinquere, & se ad terram promissionis vltra flumen Eufrates transferre, secundum quod in Biblia plenius continetur. Istud regnum Mesopotamiæ Græco idiomate nominatur, eò quòd inter ista duo paradisi flumina, Tigris & Eufrates, habeat situm. Latitudo istius regni habet initium ab vno monte Armeniæ, qui vocatur Sanson, & dilatatur per meridiem vsq; ad desertum Arabiæ minoris. Istud regnum multas habet planicies fertiles & amænas, duos habet montes valde longos, & fructibus copiosos. Mons ille, qui est ex parte Orientis, vocatur * Siniar. Alius mons vocatur * Lisson. Modicæ labuntur aquæ per illam terrã. Sed habitatores bibunt aquam de puteis & cisternis, & ipsorum sunt aliqui Christiani, Syriani videlicet & Armeni. Alij verò sunt Sarraceni, & illorũ tenentes legem & sectam. Christiani Armeni sunt in facto equites & pedites valde boni. Sarraceni verò & Syriani non ingerunt se de armis, sed sunt artifices, & cultores agrorum, & aliqui sunt pastores ouium, veruntamen in loco quodam, qui dicitur

* Ptol. Syngaras. * Masius

Merdin,

Mercdin, sunt aliqui Sarraceni sagittarij valde boni, qui eorum idiomate (a) Cordini appellantur. *Mercdin.*

(a) Cap. 8. Cordinos à Sarracenis distinxit, idq; rectius. Consule appendicem nostram ibidem.

CAPVT XIII.

De Regno Turquiæ.

Regnum Turquiæ est valde magnum, & diuitijs opulentum. Venas habet argenti, ferri, æris & aluminis in maxima quantitate. Ibi etiam omnium frugum & fructuum atq; vini copia inuenitur, & multa sunt ibidem animalia, & præcipuè boni equi. Confines habet ex parte Orientis cum Armenia maiori, & partim cum regno Georgiæ. Ex parte Occidentis dilatatur vsq; ad ciuitatem * Nataliæ, quæ supra mare Græciæ situm habet. Ex parte septentrionis nullos habet cum aliqua terra confines, sed de longo in longum extenditur supra littora maris maioris. Ex parte meridiei partim habet confines cum secunda Armenia, & partim cum Cilicia, & partim vsq; ad mare Græciæ dilatatur, & respicit insulam Cypri. Istud regnum à diuersis nationibus partium orientis, * Græcia apellatur, quia antiquitus Imperator Græcorum terram istam Turquiæ quasi pro suo ꝓprio seruabat, & per Duces atq; Officiales Imperatoris tunc temporis regebatur. Postquam verò Turchi occupauerunt terrã illam, & habitauerunt ibidem, elegerunt Dominum super eos, & illum vocauerunt Soldan, quod idem est quod Rex in idiomate Latinorum, & ex tunc terra illa fuit vocata Turquia, præcipuè à Latinis. In regno Turquiæ sunt plures prouinciæ, quæ magnas & principales obtinent ciuitates. In prouinciã * Lygoniæ famosa ciuitas (a) Coni inuenitur, quæ est maior ciuitas totius regni Turquiæ In secunda prouincia, quæ dicitur Cappadocia, est ciuitas (b) Cæsaræa Græciæ. Tertia prouincia dicitur Sauria, & ibi est ciuitas antiqua Seleucia. Quarta est Briquia nominata, & ibi est ciuitas Zichiæ Græciæ.

* Nacoliæ. Vide Ptol. li. 5 Geogr. ca. 2. Meminit etiã Paul. Diac. histor. miscell. pa. 375.

* Arnoldo Lubec. Romania, cognomento deserta.

Soldã Lat. Rex.

Turciæ octo prouinciæ.

* Lycaonia.

 Quinta

Quinta dicitur Quisitan, & ibi est ciuitas Epheson. Sexta Bithynia, & ibi est ciuitas Nichor. Septima, Paphlagonia, & ibi est ciuitas Ginapolis. Octaua dicitur Genech, & in ista est ciuitas Trapezonda. Et ista sola prouincia à paucis temporibus effecta est regnum, per hunc modum. Quando Turchi occupauerunt dominium regni Turquiæ, non potuerunt ciuitatem Trapezondæ, nec eius pertinentias occupare, propter castra fortissima, & alia munimenta, & sic permansit in potentia Imperatoris Constantinopolitani ad terram illam regendam. Vnum verò gubernatorem annuatim consueuerat transmittere Imperator, qui Dux dicebatur, vnde accidit, quòd quidam ex illis Rectoribus, seu Ducibus, rebellis effectus, tenuit terræ dominium pro seipso, & fecit se Regem, & ille qui tenet nunc terram Trapezontis, fecit se Imperatorem vocari. Habitatores illarum partium sunt Græci, & ritum Græcorum sequuntur, & literas Græcas habent: nos verò posuimus Trapezondam in numero prouinciarum, & non in numero regnorũ, secundam quod nos instruunt historiæ partium Orientis. In regno Turquiæ habitant quatuor gentium nationes, videlicet, Græci, Armeni & † Iacobini, isti Christiani sunt, & viuunt de mercationibus & laboribus terræ, & Turqui; qui sunt Sarraceni, & illius terræ dominium de Græcorum manibus abstulerunt, & aliqui sunt qui viuunt de mercationibus & laboribus terræ, & habitant in ciuitatibus & in villis: alij verò semper petunt memora, & stant in campis hyeme & æstate, qui ouium sunt pastores, & sunt sagittarij valde boni.

Imperij Trapezuntij primordia.

Gentes Turciæ.

† al. Iacobitæ.

(*a*) Iconium. Vide Zonaram in Romano Diogene.

(*b*) Eusebio magna Cæsarea, antea Mazaca

CAPVT XIIII.

De Regno Syriæ.

REgnum Syriæ ex parte Orientis incipit à flumine Euphrates, & extenditur per occidentem vsq; ad ciuitatẽ

Samaræ,

Samaræ, quæ est sita supra mare Græciæ, in capite deserti AEgypti. Latitudo regni Syriæ ex parte septentrionis incipit à ciuitate Berytensi, & dilatatur vsq; ad Craccum montis regalis. Ex parte Orientis confines habet cum Mesopotamia, ex parte septentrionis cum secunda Armenia, & in parte cum regno Turquiæ. Ex parte meridiei versus occidentem nullos habet cum aliquo regno confines, quia mare Græciæ & desertum Arabiæ sunt sibi à duabus partibus circum circà. Regnũ Syriæ diuiditur in quatuor partes, siue prouincias, quæ propter ipsarum magnitudinem consueuerunt regna apellari antiquitus, & Reges fuerunt retroactis temporibus in ijsdem. Sed in historijs partium Orientis prouinciæ non regna dicuntur. Prima prouincia, quæ est caput regni Syriæ, vocatur *Sem, & in medio istius prouinciæ sita est nobilis ciuitas Damascena. Secunda prouincia dicitur Palæstina, in qua sancta Hyerosolymitana ciuitas habet situm. Tertia dicitur Antiochia, & in illa sunt duæ maximæ ciuitates, videlicet †Halay & Antiochia maior. Quarta prouincia Cilicia appellatur, ibiq; est sita inexpugnabilis ciuitas Tarsensis, in qua B. Apostolus Paulus fuit natus, & ista Cilicia hodie Armenia nuncupatur. Nam postquam Christianæ fidei inimici terram illam de Græcorum manibus abstulerunt, & illam longo tempore tenuerunt, Armeni conati sunt tantum, quòd terram illam Ciliciæ eruerunt de populo Paganorum, cuius quidem dominium rex Armeniæ per gratiam Dei tenet. In regno Syriæ habitant diuersæ gentium nationes, videlicet Græci, Armeni, Iacobini, Nestorini & Sarraceni: ibi sunt etiam aliæ Christianorum nationes, videlicet Syriani & †Maronini. Syriani ritum tenent *Græcorum*, & fuerunt longo tempore obœdientes sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ. Linguam loquuntur Arabicam. Sed officium Ecclesiæ dicunt in literis Græcis. Maronini verò tenent ritum Iacobitarum, & linguam & literas Arabicas habent. Circa montem Libani, & in partibus Hierosolymitanis, habitant istæ gentes, & sunt sagittarij boni, de culturis viuunt. Syriani sunt

¶ *Vide Brocardũ Monachũ.*

Syriæ prouinciæ.

* Plinio Damascena.

† Chalybon.

Cilicia unde Armenia dicta.

¶ *Vide infrà cap. 15.*

† al. Maronitæ. Vide Itinerariũ Brocar. Monachi, Bartholo: à Saligniaco & regens Rauvvolfij.

sunt multi, Maronini verò in modica quantitate. Longitudo regni Syriæ viginti dierum spacio terminatur, latitudo uerò dierum quinq;, & in aliquo loco minus, secundum quod desertum Arabiæ, & mare Græciæ longius vel propinquius adhæret.

CAPVT XV.

De Imperio Sarracenorum.

Augustus Cæs. Sicut in Euangelio inuenitur, tempore natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Imperator Romanus Augustus Cæsar totius orbis Monarchiæ imperium obtinebat. Post modum quidam rex Persarum, nomine * Cossorassath, fuit primus ausus Romano imperio rebellare, qui fecit se Imperatorem Asiæ nominari, iste occupauit dominium Persarum, Medorum, Armeniæ & Chaldæorum, & ipsius potentia tantum creuit, quôd violenter terras illas gentibus Imperatoris Romani totaliter vacuauit. Et durauit dominium regni Persarum CCC. XXIX. annis. Postea verò Sarraceni ab eis Asiæ imperium abstulerunt, sicut inferius clarius exprimetur. *Primordia regni Sarracenici.* Anno Domini DC. XXXII. maledictum semen perfidi Mahumeti regnum Syriæ introiuit, & Sarraceni expugnantes Damasci opulentissimam ciuitatem, de manibus Græcorum, qui illam longo tempore tenuerant, abstulerunt, & postea in breui tempore totum regnum Syriæ occupauerunt. Postea verò obsederunt magnam Antiochiæ ciuitatem, in qua Græci illo tempore morabantur. *Heraclius Cæs.* Imperator Heraclius Augustus, Romanum administrans imperium, hoc audiens, misit subsidium magnum Græcis, vt ciuitatem tuerentur à perfidis Sarracenis, & dum gentes Imperatoris Heraclij ad quandam planiciem peruenissent, quam Possene nominant, Sarraceni ex opposito

* Forsan alludit ad historiam Artaxerxis, qui temporibus Alexandri Mammeæ Cæs. regnum Parthis ereptum transtulit ad Persas.

ſito venientes, cum eis bellum crudeliſsimum inierunt: magna fuit quidem altercatio inter eos, ſed obtinuerunt finaliter Agareni, & in illo conflictu bellatorum innumerabilis cecidit multitudo, & vſq; nunc apparent ibi oſſa cadauerum in maxima quantitate. Vnde accidit, quòd Græci, qui in ciuitate degebant, nimio pauore perterriti, ipſam ciuitatem Antiochiæ Sarracenis, cum certis pactis & conuentionibus, reddiderunt. Exinde præfati perfidiæ filij ingreſsi fuerunt Ciliciã, Cappadociam, * Liquoniam, opulentiſsimas regiones, quas in paucis diebus eorum dominio ſubdiderunt; non enim erat, qui eorum potentiæ poſſet contraire, & ideo in magnam fuerunt ſuperbiam elati: vnde parauerunt * Galeas, & alia nauigia multa, & verſus Conſtantinopolin carbaſa direxerunt: ſed primò deſcenderunt in Cyprum, & ceperunt maiorem ciuitatem illius regni, quæ Conſtantia vocabatur, vbi erat B. Barnabæ Apoſtoli ſepultura. Expoliata igitur infinitis diuitijs ciuitate, & innumerabilibus populis captis, funditus ipſam totaliter diruerunt, quòd nunquam fuit vlterius habitata. Exinde pergentes quoq; fuerunt in inſulam Rhodi, & plures alias Romanas inſulas deprædati, multos inde abduxerunt captiuos, finaliter verò Conſtantinopolin applicuerunt, & tam per terram quàm per mare illam ciuitatem magnificam obſederunt. Chriſtiani quidem tantam inimicorum copiam intuentes, terrore valido ſunt percuſsi, & Dei miſericordiam humiliter implorârunt: vnde accidit nutu DEI, quòd licet tunc tempus eſſet æſtiuum, & mare à fluctibus quaſi immobile permaneret, ſubitò ſurrexit tempeſtas valida, quæ perfidorum Galeas & alia ligna ferè omnia ſubmerſit in mari, & inimicorum, qui erant in illis, nemo euaſit. Alij verò hoc videntes, continuò receſſerunt. Chriſtiani quidem videntes, per Chriſti miſericordiam ſe ereptos, cum magna exultatione ordinauerunt diem annuum ad honorem Saluatoris perpetuò ſolenniter celebrandum, & vſq; hodie ab omnibus Chriſtianis illarum partium deuotiſsimè obſeruatur. Præfati verò iniquitatis filij

Sarracenorum de Romanis victoria.

Succeſſus.

* Lycaoniam.

Claſsis.

* Tyrius lib. 10. cap. 28. naues roſtratas interpretatur.

Naufragium.

filij Agareni, per aliquod tempus dederunt se quieti: postea verò copioso exercitu congregato, regnum Persarum inuadere cogitârunt. Et primò fuerunt ingressi regnum Mesopotamiæ, deinde perrexerunt ad regnum Chaldæorum, quod erat sub dominio Persarum regis, qui non poterat resistere Sarracenis, vnde de terra illa fecerunt omnia vota sua. Rex verò Persarum, * Ascaiorth nomine, timens Sarracenorum potestati subiugari, nuncios suos misit ad terras & regna, quæ erant circa flumen Phison, & ab eis subsidium implorauit, promittendo venientibus magna stipendia & honores. De regno igitur Turquestan, quod propinquius erat regno Persarum, congregauerunt se circa sex millia virorum, qui nominabantur tunc temporis Turquimani, & iter arripientes, Regi Persarum dare subsidium intendebant. Transierunt quoq; flumen Phison: sed ex eo, quòd eorum consuetudo est talis, quòd quocunq; vadant, secum ducant filios & vxores, non poterant ire celeriter, sed per dietas paruulas incedebant. Sarraceni verò qui erant in regno Chaldæorum, quod subiugauerant, vt est dictum, timentes, quòd si exercitus Turcorum & Persarum congregarentur in vnum, non possent eorum vota de facili adimplere, accepto consilio saniori, Regem Persarum inuadere properant, antequam ei subsidium præberetur. Rex verò Persarum, dum non posset prælium euitare, cum gente sua se opposuit Sarracenis, & inito bello iuxta quandam ciuitatem, quæ * Marga appellatur, magna fuit altercatio inter eos, & ab vtraq; parte bellatores innumerabiles ceciderunt. Demum verò Persæ terga verterunt, & Sarraceni viriliter persequêtes, Regem Persarum inter alios (a) occiderunt, & victoriā reportârunt. Actum anno DC. XXXII. Persarum itaq; Rege taliter interempto, & tam regno Persarum, quàm pluribus alijs subiugatis, præfati iniquitatis filij Agareni sibi Imperatorem elegerunt, quendam videlicet de progenie Mahumeti, ipsum vocauerunt Caliph, & ordi-

Expeditio in Persas.

* Hormisda.

Turquimani qui & Turci.

* Ptol: Geogr. lib. 5. cap. 20. Thelben cane.

Pugna Margēsis.

Excidium regni Persarum.

Caliphus.

(a) Variat Cedrenus pag. 345. 353. Paul. Diac: hist: miscell. pag. 585.

& ordinauerunt, quòd sedem teneret in Baldach opulentissima ciuitate. In quolibet verò aliorum regnorum, quæ subiugauerant Agareni, constituerunt vnum Dominum, quem vocauerunt Soldan, deinde ceperunt ciuitates & villas, & totam maiorem Asiam tenuerunt, præter regnum Abcas, quod est in Georgia, & præter quandam aliam regionem regni Armeniæ, quæ Haloën vulgariter appellatur. Istæ duæ regiones tenuerunt se contra Sarracenos, nec voluerunt eis modo aliquo obœdire: & sic sumserunt refugium & tutelam omnibus Christianis, quos Sarraceni persequebantur, illos compellentes obœdire Mahumeti falsissimis documentis. *Soldani.* ¶ *Haloë.*

¶ *Fallitur autem de nominis istius vsu auctor. Vide Appendicem.*

De Turquimanis verò, superius nominatis, qui Regi Persarum dare subsidium intendebant, breuiter sumus aliqua locuturi, vt eorum historia, quæ inferius exprimetur, clariorem habeat intellectum. Isti verò Turquimani, superius nominati, peruenerunt vsq; ad quandam terram, quæ Corasen nuncupatur, ibiq; intellexerunt, qualiter Rex Persarũ in cõflictu fuerat interemptus, & ideo vlterius procedere noluerunt, sed ad detentionem illius terræ Corasen potius aspirantes, ipsam contra Sarracenos crediderunt defendere & tenere. Hoc quoq; Sarraceni videntes, copiosum exercitum congregauerunt, vt Turquimanos prædictos modis omnibus subiugarent. Sed Turquimani videntes Sarracenorum innumerabilem quantitatem, de prælio dubitantes, suos ad Caliphum nuncios destinârunt, offerentes se obœdire suis beneplacitis & mandatis, & rogauerunt, vt eos sub suo dominio conseruaret. Hoc quidem gratum extitit Sarracenis, & sic receperunt eosdem, & in alia terra illos habitare fecerunt, vbi rebellionis audaciam non timerent. Et imposuerunt eis certum annuum censum domino persoluendum, & plures alias seruitutes: & sic Turquimani subiugo Sarracenorum longo tempore extiterunt, quousq; regna Persarum, Medorum & Chal- *Turcorum primordia. Prima sedes Corrozan.*

d daorum

dæorum redacta fuerunt ad falsam fidem pessimi Mahumeti. Et post hæc Caliphus seniores Turquimanorum fecit ante suam præsentiam conuocari, & suasit eisdem, vt legem & sectam acciperent Mahumeti, & procurarent, quòd illud idem facerent omnes alij Turquimani, promittens eis facere gratias & honores, si in hoc casu suis beneplacitis obœdirent. Turquimani autem, qui nullam legem penitus sequebantur, mandatis Caliphi faciliter consenserunt, & effecti sunt omnes perfidi Sarraceni. Et tantùm in processu temporis procurârunt, quòd sectæ Mahumeti adhæserunt Turquimanorum sexaginta quatuor nationes, & fuerunt omnes Turquimani conuersi ad fidem Sarracenorum, præter duas tantummodo nationes, quæ fuerunt ab alijs segregatæ, quæ noluerunt se conuertere. Ex tunc Sarraceni cœperunt diligere Turquimanos, & eis gratias & beneficia impendebant: vnde multiplicati fuerunt in diuitijs & personis. Sciuerunt enim sub dominio Sarracenorum sagaciter pertransire, quousq; rebellionis locum & materiam inuenerunt, quibus captatis, dominium abstulerunt à Sarracenis, sicut in sequentibus describetur. Annis verò centum XCVIII. regnauerunt in Asia Sarraceni, antequàm dominium amiserunt. Sed exorta fuit quædam magna discordia inter eos, ita quòd Soldani & alij Principes terrarum, qui tenebantur obœdire Calipho, cœperunt rebelles fieri contra ipsum. Ob hanc causam Sarracenorū potestas fuit plurimum diminuta. In Constantinopoli verò erat tunc temporis quidam valentissimus Imperator, qui Diogenes vocabatur: iste viriliter & potenter cœpit inuadere Sarracenos, & recuperauit plures ciuitates & castra, quæ redacta fuerant sub potentiam inimicorum tempore Imperatoris Heraclij, & inter alias liberauit Antiochiæ ciuitatem, & fortes ciuitates Ciliciæ, quæ hodie Armenia appellatur, & partem regni Mesopotamiæ. Idem dominium Christianorum reduxit. Alia verò regna Asiæ sub Sarracenorum

Religio Mahumetana. *Nationes.* *Simulatū obsequium* *Regni Sarraceni duratio.* ¶ *Vide appendic. nostras.* *Labefactio.* *Romanus Diogenes Cæs.* ☿ *Antiochia redit ad Græcos.* ¶ *Cilicia hodie Armenia.*

☿ *Variant Cedrenus & Zonaras, qui hæc Nicephoro Phocæ attribuunt.*

cenorum dominio remanserunt, & illa tenuerunt, quousq; Turquimani eisdem terris & dominio præualuerunt, sicut inferius clarius exprimetur. Anno M. LI. Turquimani cœperunt primò in Asia dominari, hoc modo videlicet, quòd quando Turquimani fuerunt repleti diuitijs, & multiplicati plurimum in personis, videntes discordiam, quæ inter Sarracenos vigebat, cogitauerunt, de facili posse imperium occupare. Vnde super eos regem & dominum elegerunt: nec vnquam prius de natione eorum habuerunt dominum generalem. Primus quidem eorum dominus vocatus fuit Sadock. Assumpto domino, Sarracenos viriliter inuaserunt, & in breui tempore acquisiuerunt majoris Asiæ totam terram. Calipho verò nullam intulerunt molestiam vel grauamen. Et Turquimani postquam dominium terræ Asiæ occupârunt, Caliphus timore potius, quàm amore; volens eis in omnibus complacere, prædictum Sadock, eorum dominum, Imperatorem totius Asiæ ordinauit. Sed post modicum temporis spacium Sadock sæpe dictus diem clausit extremum: huic verò succeßit quidam eius filius, qui vocatus fuit Dogrissa, & iste cœpit pugnare contra Imperatorem Græcorum, & plures ipsorum occupauit terras & castra, & misit quendam suum consanguineum, qui vocabatur Artot, ad inuadendum regnum Mesopotamiæ, & conceßit sibi quicquid posset acquirere contra Græcos. Vnde idem Artot iuit cum magna gentium comitiua, & obsedit ciuitatem Rohais, quam sine moræ dispendio occupauit: deinde inuasit alias terras & loca, & totum regnum Mesopotamiæ dominio suo subdidit. In ciuitate verò * Mercdin tenuit sedem suam, & fecit se Soldanum ab omnibus appellari. Eo verò tempore obijt Dogrissa, Imperator Asiæ, & quidam eius filius, Aspasalem nomine, sibi succeßit. Iste Aspasalem quendam nepotem habebat, qui vocabatur Soliman, qui erat perstrenuus in armis, & diu seruierat patri suo, & istu cum magno exercitu in Cappadociam misit, & conceßit sibi omnia quæ posset acquirere contra Græcos. Soliman itaq; pergens, cœpit

Initiũ regni Turcici.

I. SADOCUS primus Turcorum Imp.

Caliphus.

II. DOGRISSA.

Artot Soldanus.

* Vide suprà cap. 12.

III. ASPASALEM.

Solymanus Soldanus. quàm plures ciuitates regni Turquiæ, & dominium ipsius regni totum suo subiugauit dominio, & fecit se nominari Soldanum, & mutato suo proprio nomine, vocari se fecit Solimansa: & de isto Solimansa faciunt mentionem historiæ Passagij Godefridi de Bulliono: quia ille fuit primus, qui se belliger opposuit Christianis. Postea verò obijt Aspasalem, Imperator Turquorum, & successit sibi quidam *IIII. MELECLA.* eius filius, vocatus Melecla. Iste misit Soldanum Mesopotamiæ Artot, & Solimansa, Soldanum Turquiæ, ad obsidendam *Antiochia occupatur à Turcis.* ciuitatem Antiochiæ, qui post paucos dies ceperunt eandem. Erat enim illa ciuitas valdè magna, & pauci erant in ea defensores, qui se opponerent Sarracenis, & hoc modo fuerunt Græci de tota terra Asiæ pulsi per potentiam inimicorum fidei Christianæ. Post hæc verò Melecla, Imperator Turquorum, decessit, & duos filios reliquit, primogenitus verò successit in imperio patri suo, qui *V. BELCHIAROCVS.* vocatus fuit Belchiarock: sed frater suus, quia audacior eo erat, occupauit imperij magnam partem, & eo tempore, quo Passagium Godefridi de Bulliono transiuit per Tur*Bellum sacrum duce Godefrido.*quiam, Belchiarock erat Imperator Persarum, & Solimansa erat Soldanus Turquiæ, qui multas inuasiones intulit Christianis, antequam transirent ad regnum Turquiæ. Postquam verò Christiani regnum Turquiæ transiuerunt, ciuitatem Antiochiæ obsederunt: quo audito, Imperator Turquorum misit ad subsidium ipsius ciuitatis quendam *Cerbagat.* suum ducem, nomine Cerbagat, cum innumerabili multitudine bellatorum. Sed antequam illud subsidium perueniret, Christiani iam occupauerunt ciuitatem, vnde obsederunt illam vndiq;, & sic Christiani, qui prius obsederunt, sunt obsessi. Demum verò Christiani egressi fuerunt de ciuitate, per turmas & acies ordinati, & contra infideles prælium inierunt, & ipsos contriuerunt omnes, velut stipulam, nutu Dei. Illi verò qui euaserunt per fugæ remedium, ad regnum Persarum fuerunt reuersi, & inuenerunt, quòd Belchiarock, eorum dominus, finem clauserat vitæ suæ. Frater verò suus voluit succedere sibi, & imperium occupa-

occupare: sed certi eius aduersarij irruerunt in eum, & ipsum in frusta dissecuerunt: quia nec postea potuerunt esse concordes ad eligendum Imperatorem, vel generalem dominum super eos, imò diuisi inter se inuicem præliantes. Georgiani verò & Armeni, maioris Armeniæ, hoc videntes, inuaserunt prædictos Turquos viriliter & poteter, & ipsos de toto Persarum imperio fugauerunt: vnde iuerunt cum vxoribus & filijs habitare in regno Turquiæ: & per hoc multum creuit potentia Soldani Turquiæ, ita quòd potentior omnibus est effectus, & vsq; ad Tartarorum aduentum tenuit pacificè regnum suum, à quibus postmodum fuit debellatus, sicut inferius exprimetur. In regno Corasminorum erant quidam populi, ad arma strenui, qui semper habitabant in tentorijs & campis, armentorum greges pascentes: isti audientes de regno Persarum, quòd esset absq; Rectore & domino derelictum, ac defensoribus vacuatum, cogitauerunt illud posse faciliter occupari. Accepto itaq; consilio, inter eos sibi Ducem & dominum elegerunt quendam, qui vocabatur Ialaladinus, & in facto vnanimiter pergentes, ingressi fuerunt regnum Persarum, & iuerunt vsq; ad ciuitatem Corosij absq; contradictione cuiusquam, & ibidem residentiam facientes, præfatum eorum dominum Ialaladinum, Imperatorem Asiæ coronauerunt. Crediderunt enim alia regna Asiæ ita faciliter subiugare, sicut fecerant in regno Persarum, quod inierunt regnum, totum defensoribus vacuatum. Dicti Corasmini itaq; dederunt se solatio & quieti, & diuitijs regni Persarum repleti, in magna sunt superbia eleuati: vnde procedentes, iuerunt ad regnum Turquiæ, illud inuadere cogitantes. Sed Soldanus Turquiæ, nomine Aladinus, suum exercitum congregauit, & obuiauit Corasminis in introitu regni sui. Inter eos quidem fuit ingens prælium inchoatum, demum verò Corasmini terga verterunt, & amiserunt eorum Imperatorem & dominum, qui fuit in prælio interfectus. Illi

Discordia Turcis exitialis.

Georgiani Armenij.

¶

Soldanus Turciæ.

Expeditio Corasminorum.

Ialaladinus.

Aladinus Soldanus Turciæ.

¶ *Tempus huius historiæ à nonnullis indicatur an. Chr. 1106.*

verò qui potueruut fugere, congregauerunt se in planiciebus Rohais, quid facturi essent, de cœtero cogitantes. Vnde ingressi fuerunt regnum Syriæ, quod per vnam Dominam tunc temporis regebatur, & crediderunt illud regnum faciliter occupare. Sed illa nobilis domina in ciuitate Halap fecit suum exercitum congregari, & se opposuit Corasminis, & iuxta flumen Euphrates prælium inierunt, ibiq; fuerunt iterum victi Corasmini, & fugā arripuerunt versus desertum Arabiæ. Postmodum verò transiuerunt flumen Euphrates propè castrum Cacabe, & ingressi fuerunt terras Assyriorum, & iuerunt vsq; ad prouinciam Palæstinæ, videlicet in regno Hierosolymitanorum: ibi quædam damna intulerunt non modica Christianis, sicut in historijs Godefridi Passagij plenius inuenitur. Finaliter verò ista Corasminorum progenies ad nihilum est redacta, & tempore satis breui. Quia dum prædicti Corasmini nollent suis maioribus obœdire, separabant se per societates & turmas, & ibant alij ad Soldanum Damasci, alij ad Soldanum Ames, alij ad Soldanum Haman, alij verò ad alios Soldanos regni Assyriorū, qui tunc temporis erant quinq;, & sicut stipendiarij seruiebant. Dux verò Corasminorum, qui vocabatur Bartat, præuidens se à gente sua taliter derelinqui, iuit ad Soldanum * Babyloniæ, & obtulit se & suos ad eius beneplacita & mandata. Vnde Soldanus benignè suscepit Corasminos, & eos per exercitum suum diuisit, quoniam nolebat, quòd in simul morarentur, & Ducem Corasminorum plurimùm honorauit, & eidem dedit magnos reditus & prouentus, & vsq; hodiè hæredes illius Ducis in Babylonia honorantur. Per prædictos verò Corasminos potentia Soldani Babyloniæ multum creuit, quæ ante ipsorum aduentum erat modica & exilis. Corasmini quoq; modo prælibato diuisi, demum ad nihilū redierunt. Et sic Corasminorum destructa natione, post modicū temporis spacium cœperunt postea Tartari in Asia dominari, sicut inferius plenius exprimetur.

Regina Syriæ. ¶

Contumacia exitij causa.

Soldani diuersorū locorum.

Bartat.

* AEgypti.

¶ *Vide an NORADINI eius viduam dicat, qui SALADINO*

patro

patre natus fuit. Forsan enim hæc pro MELECNASERE F. tum regnum administrauit: Cùm quidem à MELAHADINO Corasminos contra eandem attractos, appareat.

CAPVT XVI.

De Regione vbi prius Tartari habitabant.

Regio illa, in qua Tartari primitus habitabant, est sita vltra magnum montem de * Belgian, de quo monte fit mentio in historijs Alexandri. In illa verò regione habitabant Tartari tanquam homines bestiales, non habentes literas neq; fidem: greges pascebant animalium, & de loco ad locum incedebant, quærentes pascua armentorum. Ad armorum exercitium non valebant, sed erant ab omnibus vilipensi, reddentes vectigal vniuersis. ¶ Plures Tartarorum fuerunt antiquitus nationes, quæ Moglos comuni nomine dicebantur: & creuerunt tantum, quod in septem principales nationes sunt diuisi, & illæ nationes magis nobiles fuerunt habitæ inter eos. Prima istarum nationum Tartarorum nominatur Tatar, quæ à prouincia, in qua degebant primitus, nomen sumsit. Secunda appellabatur Tangot. Tertia Cunath. Quarta Ialair. Quinta Sonich. Sexta Monghi. Septima Tebeth. Cumq; istæ septem Tartarorum nationes starent sub obœdientia vicinorum, vt superius est expressum, accidit, quòd quidam homo senex, pauper, faber ferrarius, visionem vidit in somno, militem videlicet, totum album, armatum, & super albo equo sedentem, qui ipsum nomine proprio appellauit, & dixit: Changi, voluntas Dei immortalis est, quòd tu Tartarorum sis Rector & dominus super illas nationes Moglorum, & quòd per te à seruitute vicinorum, in qua steterunt diutius, liberen-

* Is est Imaus, Paul. Veneto li. 1 cap. 54.

Althai. *Tartarorũ primordia*

¶ *Prisca appellatio.*

Nationes septem.

CHANGIVS è fabro ferrario designatur R. somnio. ☿

¶ *Vide Nicephorum Gregoram lib. 2. & Monteuillani Angli Itinerarium.*

☿ *Notetur exemplum simile de MARIO, qui Galieni temporibus inter 30. Tyrannos claruit.*

liberentur: & dominabuntur vicinis eorum, & vectigalia, quæ præstare consueuerant, recipient ab eisdem. Changius fuit magna iocunditate repletus, audiens verbum Dei, & narrauit visionem, quam viderat, vniuersis. Sed Duces & maiores istorum noluerunt credere visioni, imò senem quodammodo deridebant. Nocte verò sequenti, prædicti Duces viderunt militem album, & visionem, sicut senex Changius omnibus reserauerat: & præceptum fuit eis ex parte Dei imortalis, quòd obœdirent Changio, & sua mandata facerent ab omnibus obseruari. Vnde prædicti Duces & maiores septem nationum Tartarorum congregatis populis, fecerunt fieri obœdientiam & reuerentiam Changio, superius nominato, tanquã eorum domino naturali. Post hæc verò sedem suam statuerunt in medio ipsorum, & extendentes quoddam *filtrum nigerrimum super terram, desuper sedere fecerunt Changium, & septem maiores Duces eleuantes illum, posuerunt in sedem cum magno tripudio & clamore, & vocauerunt eum Can, primum Imperatorem, solennem reuerentiam cum genu flexionibus eidem, tanquam Imperatori & domino, facientes. De tali verò solennitate, quam Tartari fecerunt, qui eorum primum Imperatorem & dominum posuerunt, & de filtro nemo debeat admirari, quoniam fortè pulchriorẽ pannum, super quo ipsum ponerent, non habebant, aut erant forsitan ita rudes, quòd melius vel pulchrius facere ignorabãt. Sed de hoc an non posset aliquis admirari? quòd cùm prædicti Tartari adquisiuerunt multa regna, & diuitias infinitas (quoniam dominium Asiæ tenent & opes, & vsq; ad confines Hungariæ dominantur) nec propter hoc voluerunt antiquam consuetudinem relinquere, siue modum; imò oportet, quòd confirmatione Imperatoris Tartarorum ille modus totaliter teneatur, quem eorum veteres ab initio tenuerunt. Et ego in confirmatione Imperatoris Tartarorum personaliter fui præsens. Sed ad propositum redeamus. Changius Can, qui factus fuit Imperator de communi voluntate & consensu omnium Tartarorum, antequam

Inauguratur ab optimatibus & populo.

* Fortè gausape dicit, ein Filtz oder Kotze.

quàm procederet ad alia, tentare voluit, an Tartari omnes sibi fideliter obœdirent: vnde præcepta fecit, quæ iussit ab omnibus obseruari. Primum præceptum fuit, quòd Tartari omnes crederent, & obœdirent Deo immortali, cuius nutu adeptus fuerat imperatoriam dignitatẽ: & hoc mandatum Tartari tenuerunt, & ex tunc cœperunt nomen Dei immortalis inuocare, & vsq; hodiè in omnibus eorum operibus Tartari inuocant nomen Domini. Secundò præcepit, quòd computarentur omnes viri, qui poterant arma ferre: & facta computatione, præcepit, quòd sub quolibet denariorum præponeretur vnus, & super decem millia præponeretur vnus, & super mille præponeretur vnus, & vocauit aciem decem millium armatorum Turmam. Præcepit etiam VII. Ducibus qui præerant septem nationibus Tartarorum, quòd priores omnes dimitterent dignitates, & continuò hoc fecerunt. Aliud verò præceptum, quod fecit, fuit valde stupendum: præcepit enim septem maioribus Ducibus prælibatis, quòd vnusquisq; primo genitum suum adduceret, & sibi caput manu propria amputaret. Et licet tale mandatum videretur esse crudelissimum & iniquum, nullus tamen fuit ausus in aliquo contraire, eò quòd sciebant, eum esse Dominum prouisione diuina, imò sicut præceperat Imperator, continuò adimplerent. Postquam verò Changius Can vota suorum cognouit, & vidit, quòd vsq; ad mortem erant obœdire parati, certùm diem omnibus assignauit, in quo essent parati ad pugnam. Equitauerunt itaq; Tartari contra illos, qui magis erant vicini, & subiugauerunt eosdẽ, & redacti fuerunt, qui prius erant eorum domini, in maximam seruitutem. Et inde ꝓcessit Changius Can contra plures alias nationes, quas suo subdidit imperio, absq; nimia tarditate. Nam omnia Changius Can faciebat cum modica quantitate, & prosperè succedebat ei. Quadam verò die accidit, quòd Changius Can equitabat cum modica quantitate suorum, & obuiauit inimicis, qui erant numero satis plures. Inito quoq; bello, dum Imperator Changius Can se viriliter tueretur, ac-

Dat iura.

Cogit proceres in ordinem.

Belligerat feliciter cum finitimis.

Venit in graue discrimen.

 cidit,

cidit, quòd equus, super quo sedebat, cecidit, interfectus in pugna. Tartaris verò, quùm viderent eorum dominum prostratum inter acies bellatorum, nulla fuit spes vlterius salutis, vnde terga vertentes, inimicos per fugæ remedium euaserunt. Cumq; omnes simul intenderent ad persequendum celeriter fugitiuos, & de rege prostrato notitiam non haberent, Changius Can cucurrit, & se inter quasdam arbustulas occultauit, vt mortis periculum euitaret. Cumq; de pugna redeuntes campum expoliarent, & quærerent occultatos, accidit quòd quædam auis, quæ Bubo à pluribus nominatur, veniens super arbustulas illas sedit, quibus maiestas Imperatoria tegebatur. Quærentes verò viderunt auem illam sedentem super illis arbustulis, & propterea crediderunt, neminem ibi esse, & absq; eo quod quærerent, recesserunt, dicentes intra se: Si esset hîc aliquis occultatus, auis illa nullatenus hîc sederet. In silentio verò noctis Changius Can, propter metum inimicorum, per deuia incedẽdo peruenit ad suos, & narrauit eis omnia quæ sibi acciderant seriatim. Tartari quidẽm immortali Deo gratias reddiderunt: & auis illa, per quam post Deum Changius Can creditur euasisse, in tanta reuerentia postmodum fuit habita inter eos, quod quicunq; potest habere de pluma illius auis, reputat se felicem, & portant illam plumam Tartari in maiorem reuerentiam super capitibus reuerenter. Ego verò feci mentionem de ista materia in hoc libro, vt sciatur causa, quare Tartari super capitibus plumas portant. Changius Can, Imperator Tartarorum, de eo, quòd à tanto discrimine euaserat, gratias egit Deo, & post hæc exercitus suos congregauit, & præfatos inimicos strenuè inuadendo, omnes sub iugo suo posuit seruitutis, & sic fuit Changius Can Imperator omniũ regionum, quæ erant citra montem Belgian, & illas possedit absq; inquietatione cuiusquam, quo vsq; aliam vidit iterum visionem, sicut in sequentibus describetur: & non est mirandum, si in istis historijs non posui tempus certum, quoniã licet à multis scire quæsiuerim veritatem, non tamen potui inuenire,

Euadit bubonis auspicio.

Redit ad suos.

Bubo vnde Tartaris auspicata habita.

Noua Chãgij victoria.

Auctor se purgat.

inuenire, qui super talibus plenariè me doceret: & credo, quòd talis sit ratio, quare tempus certum istarum historiarum penitus ignoratur, quia ab initio Tartari literas non habebant, & sic tempora & rerum gesta transibant absq; eo, quod ab aliquo notaretur, & per hunc modum obliuioni postea tradebantur. *Absq; literis rerū memoriā perire.*

¶ Tzinciscanis (sic enim vocat) leges retulit ad hunc modum summatim Pachymerius lib. 5. Tzinciscanis, inquit, legislator Scytharum, homo vilis & faber ærarius, auctor suis fuit, vt delicias fugerent, obuijs contenti essent, inter se diligerent, priuata emolumenta spernerent, reipubl. consulerent, nihil in vita festinanter agerent, omnibus cibis vterentur, plurimas vxores ducerent, nullos fundos possiderent, migrarent, quò commoditas inuitaret, pannos quoslibet tollerent, ac vestibus etiam integris assuerent: quod cùm nulla necessitate coacti facerent, sine verecundia facturos, cùm esset opus, aliena occuparent, veritatem in verbis colerent, iustitiam in factis: quorum alterum ingenui animi, alterum rectæ voluntatis esset, vt nemo alterius oratione falleretur, nec in agendo vllis insidijs circumueniretur &c.

☿ Refer huc, quæ habet Paulus Venetus lib. 1. Speculum Vincentij lib. 30. qui quidem ambo de hac historia explicant planius.

♃ Contrà Suidas in voce βύας: Δίων ἐν ῥωμαϊκοῖς ἐν τέρατος λόγῳ τοῖς ῥωμαίοις ταῦτα ἐπιφαίνεσθαι πολλάκις λέγει. σημαίνει δὲ συμφοράς. Et Virgil. Infelix bubo, dirum mortalibus omen. Iosephus tamen simile quid de AGRIPPA Magno inculcat lib. 18. cap. 8. & augurij interpretem facit militem Germanum.

CAPVT XVII.

De Changio Can, primo Imperatore Tartarorum.

POstquam verò Changius Can omnia regna & terras, quæ citra montem Belgian erant, suo dominio subiu-

gauit, quadam nocte vidit aliam visionem. Vidit enim iterum militem album, qui ait: Changi Can, voluntas immortalis Dei est, quòd tu transeas montem Belgian, & versus occidentem dirigas gressus tuos, & occupabis regna, regiones & terras, & imperio tuo subijcies multas gentes: & vt certus sis, quoniam ea, quæ tibi dico, sunt ex parte immortalis Dei, surge & vade cum gente tua ad montem de Belgian, ad locum vbi mare iungitur cum eodem, ibiq; descendes, & versus orientem cum nouem genuflexionibus nouies immortalem Deum adorabis; & ipse qui est omnipotens, tibi viam ostendet, per quam montem poteris commodè pertransire. Visa itaq; visione, Changius Can gaudens surrexit, nec in aliquo hæsitauit. Nam prima visio velut vera, de alijs certitudinem sibi dabat: vnde festinanter suos vndiq; congregauit, & præcepit, quod sequerentur eum cum vxorib. & filijs, & omnibus quæ habebant. Perrexerunt itaq; quousq; peruenerunt ad locum, vbi mare magnum & profundum montibus adhærebat, nec ibi via siue transitus aliquis apparebat. Statim verò Changius Can, sicut præceptum sibi fuerat ab immortali Deo, de equo descendit: illud idem omnes sui vniuersaliter facientes, versus Orientem flexis genubus nouies adorabant, ab omnipotenti & immortali Deo misericordiam & gratiam implorantes, vt transitum & viam eis ostenderet abeundi. Steterunt quidem in orationibus nocte illa. Manè verò surgentes, viderunt, quòd mare per nouem pedes retrocesserat à montibus, & dimiserat viam latam. Stupefacti fuerunt omnes Tartari, hoc videntes, & Deo immortali gratias deuotissimè reddentes, per viam, quam patentem viderant, transierunt, & versus Occidentem eorum vestigia direxerunt. Sed sicut inuenitur in historijs Tartarorum, postquam Changius Can & Tartari montes transiuerunt prædictos, passi fuerunt famis & sitis penuriam aliquibus diebus, quoniam terram inuenerunt desertam, & aquas amaras & salsas, quæ gustari non poterant quoquo modo, quousq; peruenerunt eis omnia necessaria affluenter. Per

Changij iteratum somnium.

Expeditio fatalis.

Supplicationes.

Via miraculosa.

plures

plures verò dies traxit moram Changius Can in illa regione. Sed accidit nutu Dei, quòd quædam valida infirmitas inuasit eundem, de cuius conualescentia Medici desperabant. Vnde Changius Can, Imperator Tartarorum, conuocauit ante se duodecim filios quos habebat, & monuit eos, vt semper essent vnanimes & concordes, & dedit eis tale exemplum. Præcepit enim, quòd vnus quisq; filiorum portaret vnam sagittam, & cùm simul adessent omnes, præcepit maiori, vt omnes simul frangeret, si valeret. Ipse verò accipiens sagittas duodecim, conatus est illas frangere, sed non potuit vllo modo: deinde tradidit sagittas secundo filio, & tertio, & sic de singulis, sed nullus fuit, qui frangere posset illas. Hoc facto, præcepit, quòd diuiderentur sagittæ, & iussit minori filio, quòd diuisim sagittas acciperet, & frangeret vnamquanq;, & ille faciliter omnes fregit. Tunc Changius Can vertit se ad filios suos, & ait: Quare filij mei non potuistis frangere sagittas, quas vobis dedi frangendas? At illi dixerunt: Domine, quia erant plures simul. Et quare fregit illas iste minimus frater vester? Domine, quia singulariter & diuisim. Ita erit de vobis, ait Changius Can, quàm diu eritis vnanimes & concordes, durabit imperium vestrum semper: Sed quàm citò eritis diuisi, dominia vestra ad nihilum reducentur. Multa alia bona exempla dedit Changius Can, quæ fuerunt à Tartaris obseruata, & dicuntur in lingua eorum, Iasack Changij Can, id est, constitutiones Changij Can. Post hæc antequam decederet, sapientiorem & meliorem filium, quem habebat, fecit recipi in dominum & imperij successorem, & vocabatur ille filius suus Hoccota Can. His finitis, Changius Can requieuit in pace, & filius suus, Hoccota Can, fuit positus in sede Imperatoria patris sui. Sed antequam finem huic historiæ imponamus, dicemus, qualiter nonus numerus inter Tartaros plurimum veneratur. In memoriam enim nouem genuflexionum, quas fecerunt in monte Belgian immortali Deo, sicut eis præceperat miles albus, & latitudines viæ nouem pedum, per quam transierunt,

Morbus.

Cohortatio allegorica de cōcordia ad filios. ¶ B

Testamentum de successore.

Mors.

Nouenarius numerus vnde Tartaris sacer.

numerum reputant esse felicem. Vnde, quicunq; vult domino Tartarorum aliqua præsentare, oportet, quòd offerat nouem res, si vult, quòd donum suum recipiatur gratiosè, & dummodò sint nouem res, quæ præsentantur, sic donum illud reputatur pro felici & bono, & talis consuetudo vsq; hodie inter Tartaros obseruatur.

¶ Similem habet de Sciluro historiam Stobæus Serm. 82.
b Sic Iornandes de Attilæ filijs discordantibus, indeq; à Gepidis deuictis: Adeò dissidium perniciosa res est, vt diuisi corruerint, qui adunati viribus territabant.

CAPVT XVIII.

De Hoccota Can, secundo Imperatore Tartarorum.

HOCCATA Can aspirat ad imperium Asiæ. HOccata Can, q in Imperio patri suo successit, fuit homo strenuus atq; prudens, dilexerunt eum Tartari, & fidem & obœdientiam erga ipsum fideliter seruauerunt. Cogitauit itaq; Hoccota Can, qualiter posset totam Asiam subiugare, & primò voluit experiri potentiam regis Asiæ, quàm personaliter se moueret, & voluit cognoscere Principem fortiorem. Decem itaq; millia equitum bellatorum transmisit, & dedit eis Capitaneum strenuum & sagacem, *Agit rem per duces.* qui vocabatur *. Iste verò procedens cum Turcis ad pugnam, debellatus fuit ab eisdem, vnde Tartari per fugæ subsidium se defendebant. His itaq; peractis, Hoccota Can elegit quendam Ducem strenuum & prudentem, qui voca- *Baydo.* batur Baydo, & dedit sibi triginta millia militum Tartarorum, qui dicebantur Tamachi, vel conquisitores, & præcepit eis, quòd per illam viam rectè incederent, quam iuerant decem millia Tartarorum, superius nominatorum, nec deberent in loco aliquo diutius commorari, quousq; ** Aladino.* peruenissent ad regnum Turquiæ, & tentarent, si possent * Soldano Turquiæ resistere, qui inter omnes Principes *Soldanus Turciæ.* Asiæ potentior dicebatur: & si fortè tantæ esset potentiæ, quòd

quòd eidem resistere non valerent, non properarent ad pugnam, sed in aliqua terra bona darent se quieti, & significarent alicui ex filijs suis, qui propinquior esset eis, vt ipsis subsidium delegaret, & postmodum bellum possent securius inchoare. Baydo igitur cum comitiua triginta millium Tartarorum per dietas suas incedens, peruenit ad regnum Turquiæ, ibiq; audiuit, quòd Soldanus ille, qui priores fugauerat Tartaros, decesserat, & sibi successerat quidam eius filius nomine † Guiatadin. Iste verò de aduentu Tartarorum rumoribus intellectis, timuit valdè sibi, vnde ad sua stipendia conuocauit, quoscunq; habere potuit, tam Barbaros, quàm Latinos, & inter alios habuit ad sua seruitia duo millia Latinorum, qui duos Duces siue Capitaneos habuerunt, alter quoq; habebat nomen, Iohannes de Liminada, qui fuit in insula Cypri, alius verò vocabatur Bonifacius de Castro, qui fuit de * Ianua oriundus. Misit etiam ad vicinos Soldanus, promittens venientibus gratias atq; dona: vnde congregata magna multitudine bellatorũ, gressus suos direxit ad locum, in quo Tartari morabantur. Tartari verò non fuerunt vllatenus stupefacti, imò prælium viriliter susceperunt, in quodam loco vocato Consedrack. Demum verò obtinuerunt Tartari, & Turqui fuerunt viriliter debellati, & sic occupauerunt Tartari regnum Turquiæ, Anno M. CC. XLIIII.

† al. Gaiazadin seu Azatines.

Iohannes de Liminada.

* Genua.

Turci debellati à Tartaris.

¶ *Vide Nicephorum Gregoram lib. 3. pag. 9. & lib. 4. pag. 12. qui vtrobiq; aliquantum variat.*

¶

CAPVT XIX.

De Gino Can, tertio Imperatore Tartarorum.

POst modicum verò temporis spacium, Hoccota Can diem clausit extremum: successit autem sibi in imperio quidam eius filius, qui vocatus fuit Gino Can, cuius vita breuis fuit, & sibi successit quidam consanguineus suus, qui vocabatur Mango Can, qui fuit valentissimus, atq; multas

GINVS Can.

MANGO Can.

multas prouincias suo imperio subiugauit. Demum verò tanquam magnanimus, per mare Cathay se transtulit ad quandam Insulā capiendam: & dum in obsidione illius insulæ permaneret, homines illarum partium, qui sunt valdè sagaces, & ingeniosi, miserunt homines, qui se occultè merserunt in aqua, & sub naui, in qua erat Mango, consteterunt tam diu, quo ad nauem illam in locis pluribus perforârunt. Aqua quidem diu noctuq; paulatim per foramina ingrediebatur in nauem, nec aliquis perpendebat, quousq; lignum funditus est demersum, & Mango Can fuit continuò suffocatus. Tartari verò qui cum eo venerant, redeuntes, fratrem suum, Cobila Can, in dominum elegerunt, & iste Cobila Can XLII. annis tenuit imperium Tartarorum, Christianus fuit, & fundauit quandam ciuitatem quæ vocatur Ions, in Regno Cathay, quæ maior est Roma, vt dicitur. Et in illa ciuitate moram traxit Cobila Can, Imperator Tartarorum, vsq; ad vltimum diem vitæ suæ. Sed dimisso Imperatore Tartarorum, de tribus filijs Hoccata Can, & de Hoalono, & de suis hæredibus sumus aliqua narraturi.

Vrinatores. *COBILA Can.* *Ions regia* ¶ *Paulo Veneto est Ciandu, IouioCanta.*

CAPVT XX.

De Iochi, primogenito Hoccata Can.

IOchi, primogenitus Hoccata Can, equitauit versus Occidentem, cum tota gente illa, quam sibi dederat pater suus: inuenit quasdam regiones illas & terras fertiles & amænas, & in omnibus diuitijs opulentas, vnde ibi tentoria sua fixit. Acquisiuit igitur Regnum Turquestan, & minorem Persiam, vsq; ad flumen Phison suum dominum se extendit: cum gente sua traxit ibi moram semper quæ multiplicatæ sunt in diuitijs & personis, & hæredes ipsius Iochi, vsq; nunc successiuè illarum partium dominium tenuerunt. Et illi, qui nunc tenent terras illas, sunt duo fratres, quorum vnus vocatur Chapar, alter Doax, & illi inter se diuiserunt terras & gentes, & illas possident pacificè & quietè.

¶ *Adde his Nicephori Gregoræ expositiones li. 2. pag. 7. 6* *Iochi regnum Turquestan.* *Posteri.*

CAPVT

CAPVT XXI.

De Baydo, secundo filio Hoccata Can.

BAydo, secundus filius Hoccata Can, cum Tartaris, quos sibi dederat pater suus, equitauit versus partes septentrionales, quousq; peruenit ad regnum Cumaniæ. Cumani verò, qui magnam habebant copiam armatorum, opposuerunt se Tartaris, credentes posse defendere terram suam. Sed demum fuerunt debellati, & fugerunt vsq; ad regnum Vngariæ, & adhuc sunt multi Cumani ibidem habitantes. Postquam verò Baydo extra regnum Cumaniæ omnes fugauit Cumanos, ad regnum Cassiæ se transtulit, & illud etiam subiugauit, & occupauit terram (a) Gazariæ & regnum Bulgariæ, & per viam, qua Cumani fugerant, peruenit vsq; ad regnum Vngariæ. Posthæc iuerunt Tartari versus partes Alemaniæ, quousq; peruenerũt ad quodam flumen, quod labitur per Ducatum Austriacum. Tartari verò cogitauerunt transire per quendam pontem ibi factum. Sed * Dux Austriæ, & alij conuicini, munierunt pontem, vnde Tartaris fuit transitus denegatus. Baydo quidem furore accensus, præcepit quòd omnes transirent, & ipse fuit primus ingressus, exponens mortis periculo se & suos. Nam antequam possent ad aliam ripam fluminis peruenire, equi fuerant fessi, propter latitudinem fluminis, & fortitudinem aquæ: vnde Baydo submersus & suffocatus fuit cum magna quantitate suorum. Illi verò, qui nondum ingressi fuerant aquas, hoc videntes, magno dolore confusi, redierunt ad regnum Cassiæ & Cumaniæ, quæ occupauerant, vt est dictum. Deinde verò Tartari Alemaniam minimè petierunt. Hæredes quidam prædicti Baydo successiuè terras, quas acquisiuerat, postmodum tenuerunt. Et ille, qui dominium nunc tenet, vocatur (b) Hochtay, & viuit pacificè & quietè.

Baydonis expeditio septentrionalis. ¶ *Victoria de Cumanis.* *Irruptio in Germaniam.* * Fridericus. *Interitus in Austria* ¶ *Variat Speculum Vincentij.* *Posteri.* ¶ *Consule Baronem Herberstein. pag. 53 & seq. duab.*

¶ *Vide rerum German. Vngaric. & Polon. scriptores. Item epistolã Friderici II. Cæs. ad regem Vngariæ lib. I. epistol. Petri de Vineis cap. 29.*

(a) Gazaria septentrionalis Tauricæ pars est: nam meridionalis Gothia appellatur.

(b) De hoc infrà cap. 47. Suspicor autem eundem esse, quem Pachymerius lib. 9. Ctain vocat: Ctais Scytha, inquit, Mariam, Andronici notham filiam, socero, remittit, ne Venere bello gerendo occupatus, eneruaretur, eandemq;, deletis Nogæ reliquijs, repetit.

CAPVT XXII.

De Gohagaday, tertio filio Hoccota Can.

Gohagadais irrita expeditio.

GOhagaday, tertius filius Hoccota Can, cum Tartaris, quos sibi pater suus concesserat, equitauit versus meridiem, vsq; ad partes Indiæ minoris. Multa quidem inuenit deserta, montes & terras aridas, & totaliter derelictas, quòd illas regiones non potuit pertransire, imò amisit gentium & animalium maximam quantitatem. Tunc verò se vertit ad partes occidentis, & post multos labores peruenit ad fratrem suum Iochi, & quæ sibi in via acciderant, enarrauit. Iochi verò compatiens fratri suo, de terris, quas acquisiuerat, sibi & genti suæ partem benignam concesit, & illi duo fratres semper simul postea habitauerunt, & vsq; nunc eorum hæredes in illis partibus commorantur, ita tamen, quòd hæredes minoris fratris reuerentiam portant hæredibus maioris, & contenti portionibus suis, simul viuunt pacificè & quietè: & successor * Iochi, qui nunc viuit, vocatur Barachi.

Consortio cum fratre.

Posteri.

* Forsan Gohagaday: nam Iochi successores nominauit suprà cap. 20.

CAPVT XXIII.

De Mango Can, quarto Imperatore Tartarorum.

Haythonus R. Armeniæ.

ANno Domini M. CC. LIII. Rex Armeniæ, Dominus Haythonus, videns, quòd Tartari ferè subiugauerant omnia

omnia regna, regiones & terras, vsq; ad regnum Turquiæ, accepto consilio sapientum, cogitauit ad Imperatorem Tartarorum personaliter se transferre, vt facilius captare posset eius beneuolentiam & amorem, & secum inire pacis fœdus. Sed primò transmisit dominum Sinibaldum, Conestabilem regni Armeniæ, fidelem suum, vt accepta ab Imperatore Tartarorum licentia, securius posset ire. Vnde prædictus frater Regis, dominus Sinibaldus, cum Xenijs multis & pulcra gentium comitiua, iuit ad dominum Tartarorum, & negocia, pro quibus transmissus fuerat, optimè adimpleuit. Veruntamen per spacium annorum quatuor traxit moram, antequam Armeniam remearet. Postquam verò redijt, Regi ea, quæ viderat & fecerat, seriosius enarrauit. Absq; igitur tarditate Rex Armeniæ recessit occultè; dubitabat enim cognosci in terra Turquiæ, per quam ipsum transire modis omnibus oportebat: & sicut Deo placuit, Soldanus Turquiæ tunc fuit viriliter debellatus per quendam Ducem Tartarorum, quem Rex Armeniæ inuenit, & sui notitiam sibi dedit. Cumq; Capitaneus ille intellexit de rege Armeniæ, quòd ad Imperatorem iret, suscepit illum honorificè & benignè, & fecit illum securè conduci vsq; ad regnum Cumaniæ, & vltra etiam portam ferri. Postea verò inuenit Rex alios Duces Tartarorum, qui fecerunt illum conduci per omnes terras & loca, quo vsq; peruenit ad Almalech, vbi Mango Can, Tartarorum Imperator & dominus, residebat. Gauisus fuit Mango Can de aduentu Regis Armeniæ, eò præcipuè, quòd postquam Changius Can montem Belgian transiuit, nullus magnus

¶ Vide Itinerarium Rudolfi Suchēsis, vbi Haythõus appellatur Ayco.

Sinibaldq Conestabilis. ☿

Profectio regis ad Tartaros.

¶ Vide supra cap. 18

Almalech Tartarorũ regia.

MANGO Can.

f 2

☿ *Retinuit hoc Gallicæ dignitatis & linguæ vocabulum interpres Gallus, retinuit quoq; Vincentius, speculi auctor, & ipse Gallus. Habet tamen idem de Michaële Palæologo, qui post imperauit, & Michaële Glaba Nicephorus Gregoras, Græcus auctor, sed modicè variatum. Cæterum hæc Sinibaldi ad Tartaros legatio videri altera possit: nam de prima, quæ patris mandato ab eo suscepta fuit, puto loqui Vincentium lib. 32. cap. 29.*

Excipit et tractat hospitem comiter & cumulatè. gnus Princeps ei venerat in occursum, & ideo cum magna beneuolentia & honore suscepit eundem, deditq; sibi de maioribus domus suæ, qui eum associarent, & in omnibus honorarent. Et ipse Imperator multas gratias fecit Armeniæ regi. Rex autem Armeniæ postquam per dies aliquos requieuit, supplicauit Imperatori, quatenus super expeditione negociorum, pro quibus ad eum venerat, intendere dignaretur, & daret sibi licentiam redeundi. Imperator verò benignè respondit, quòd omnia sua vota libentissimè adimpleret, & quòd valdè gratū erat sibi, quòd ad imperium suum venerat sua spontanea voluntate. Rex itaq; septem petitiones cum deliberatione formauit. Primò enim rogauit, vt Imperator cum gente sua conuerteretur ad fidem Christi, sectis alijs omnibus derelictis, & se facerent baptizari. *Postulata regis Armeniæ.* Secundò petijt, quòd pax & amicitia perpetua inter Christianos & Tartaros firmaretur. Tertiò requisiuit, quòd in omnibus terris, quas Tartari acquisiuerant, & quæ acquirerent, omnes Ecclesiæ Christianorū, & clerici illarum, siue laici, siue religiosi, ab omni seruitute & datia essent liberi & exempti. Quartò requisiuit, vt terram sanctam, & sanctum sepulchrum Domini de manibus Sarracenorum auferret, & restitueret Christianis. Quintò, vt intenderent ad destructionem Caliphi de Baldach, qui erat caput & doctor sectæ perfidi Mahumeti. Sextò requisiuit, vt sibi concederetur priuilegium speciale, quòd à quibuscunq; Tartaris, præcipuè regni Armeniæ propinquioribus, auxilium imploraret, sibi dare, omni mora postposita, tenerentur. Septimò requisiuit, quòd omnes terræ Iurisdictiones regni Armeniæ, quas Sarraceni occupauerant, & in manus Tartarorum postmodum redierant, regi Armeniæ restituerentur: illas omnes, quas Rex acquirere posset contra Sarracenos, illas haberet & teneret pacificè & quietè. Mango Can ergo petitionibus regis Armeniæ intellectis, suos fecit proceres & consiliarios cōuocari, & regi Armeniæ in sua præsentia constituto, coram omnibus astantibus sic respondit: *Respōsum Tartari.* Quoniam Rex Armeniæ

Armeniæ de longinquis partibus ad imperium nostrum venit, non compulsus, sed sua propria voluntate, decet imperatoriam maiestatem suis supplicationibus annuere, in his præcipuè, quæ sunt licita & honesta. Vobis itaq; regi Armeniæ, taliter responsurus sum, quòd preces vestras acceptamus, & omnes faciemus cum Dei beneplacito adimpleri. Primò quidem ego Imperator & dominus Tartarorum me faciam baptizari, tenebo fidem, quam tenent hodie Christiani, & omnibus alijs, sub meo imperio constitutis, consulam, quòd faciant illud idem, non tamen intendendo violentiam facere alicui. Ad secundam requisitionē vestram taliter respondemus: Quia volumus, quòd pax perpetua vigeat inter Tartaros & Christianos, ita tamen, quòd vos principalem fideiussorem constituere debeatis, quòd Christiani pacem & concordiam erga nos, sicut nos erga ipsos, inuiolabiliter obseruabunt. Volumus etiam, quòd omnes Christianorum Ecclesiæ & clerici Christiani, cuiuscunq; conditionis existant, seculares siue religiosi, gaudeant in omnibus terris nostri imperij priuilegio libertatis. Nec liceat alicui ex eis inferre molestiam quoquo modo. Super facto terræ sanctæ dicimus, quoniam si possemus commodè, personaliter veniremus, ob reuerentiam Domini nostri IESV Christi. Sed quia multùm habemus in istis partibus expedire, fratri nostro, Haolono, dabimus in mandatis, quòd negocium istud, sicut decet, ducat per omnia ad effectum. Eruet enim ciuitatem Hierusalem, & totam sanctam terram, de manibus Paganorum, & illam restituet Christianis. Super facto Caliphi de Baldach nos dabimus in mandatis Baydo, Capitaneo Tartarorum, qui sunt in regno Turquiæ, & alijs, quæ circa illas regiones inueniuntur, quòd omnes obœdire debeant fratri nostro, & volumus, quòd ipse destruat Caliphum, tanquam nostrum capitalem & pessimum inimicum. De priuilegio verò illo, quod quærit habere rex Armeniæ super habendo subsidio Tartarorum, volumus, quòd illud dictetur iuxta suam plenariam voluntatem, & illud facie-

¶ Ad fidē nemo nec debet nec potest cogi Augustinus. Item Tertullianus ad Scapulā: Nihil alij prodest aut obest alterius religio &c.

Haolonus

¶ Meminit Pachymerius li. 9. vbi Chalcā vocat.

Baydo. Vide suprà cap. 18. & infrà 24.

mus libentissimè confirmari. Vltimò verò de eo, quod Rex Armeniæ requirit, quatenus terras regni sui per Sarracenos ablatas, & postmodum per Tartaros occupatas, sibi restitui faciamus, hoc etiam concedimus liberaliter & libenter, & volumus, quòd frater noster Haolonus omnes dictas terras restituat sine mora, & vlterius volumus & mandamus, quòd de terris, quas acquisiuimus, plana castra dicto Regi in augmentum & tutelam regni sui de speciali gratia concedantur.

CAPVT XXIIII.

De Mango Can, qualiter baptizatur in Christo.

Mango Cancũ suis baptissatur.

POstquam igitur Mango Can petitiones regis Armeniæ liberaliter adimpleuit, & confirmauit per priuilegia mihi facta, continuò voluit Baptismatis recipere sacramentum, vnde baptissatus fuit per manus cuiusdam Episcopi, qui erat Cancellarius regni Armeniæ, & omnes illi de domo sua fuerunt etiam baptissati, & multi alij vtriusq; sexus nobiles & magnates, & ordinauit de illis, qui sequi debebant Haolonum, fratrem suum, pro subsidio terræ sanctæ. Equitârunt ergo Haolonus & Rex Armeniæ ambo simul, quousq; transierunt magnum flumen Phison. Haolonus quidem cum suo exercitu copioso inuasit regiones & terras vndiq;, & antequam sex mensium spacium laberetur, totum regnum Persarum, quia carebat domino & rectore, fuit faciliter subiugatum, cepitq; Haolonus absq; resistentia omnes terras vsq; ad terram Assasinorum. Isti verò Assasini sunt homines infideles, nullam habentes legem, vel fidem, nisi sicut eorum Princeps & dominus instruebat, qui Sexmontius vulgariter dicebatur, ad cuius beneplacitum & mandatum morti se sponte & faciliter offerebant. Habebant enim præfati Assasini quoddam inexpugnabile castrum, quod Tigado dicebatur. Erat autem illud castrum omnibus necessarijs præmunitũ, & ita forte, quòd à nulla parte timebat insultum. Præcepit itaq; Haolonus

Haoloni & Haythoni R. expeditio.

Persia venit in Tartarorũ potestatem.

Assaßini. ¶

Tigado.

lonus cuidam Duci, vt assumeret decem millia Tartarorũ, quæ dimisit in custodia regni Persarum, quod subiugauerat, vt est dictum, quibus castrum illud obsideret, & quo vsq; illud caperet, non discederet vllo modo. Vnde prædicti Tartari in obsidione illius castri steterunt per viginti septem annorum spacium, tam hyeme quàm æstate: finaliter verò Assassini reddiderunt castrum propter defectum vestium, & non propter penuriam victualium, vel alia ratione. Eo verò tempore, quo Haolonus vacabat circa custodiam regni Persarum, & obsidionem castri Assasinorũ, Rex Armeniæ ab eo accepit licentiam redeundi, quia longo tempore steterat extra regnum. Haolonus itaq; licentiam dedit Regi, & eidem contulit magna dona, & insuper mandauit præcipiendo Baydo, qui in regno Turquiæ, quod occupauerat, residebat, vt Regem Armeniæ conduci faceret securè vsq; ad introitum regni sui. Cuius mandatum fuit per omnia adimpletum, & sic post spacium trium annorum & dimidium, reuersus fuit Rex Armeniæ sospes & hilaris per gratiam IESV CHRISTI.

Obsidio 27 annorum.

¶ Vide Paulũ Venetum qui variat.

Haythonus Rex fide publica domum redit.

¶ *Similis est de Sicarijs apud Iosephum hist. Antiquit. li. 20. cap. 7. & alibi apud Zonaram Tom. 1.*

CAPVT XXV.

De Haolono, fratre Mango, qui destruxit Asyrios, & introiuit in regnum Persarum pro fide CHRISTI.

POstquam verò Haolonus de custodia regni Persarum, sicut erat decens & rectum, ordinauit, transtulit se ad quandam Armeniæ prouinciam, quæ vocabatur Sorloch: ibi tota æstate dedit se solatio & quieti, & ipse quoq; hyeme veniente, obsedit ciuitatem Baldach, in qua erat Caliphus, qui Magister erat & Doctor sectæ perfidi Mahumeti, fecitq; Haolonus ad exercitum conuocari triginta millia Tartarorum, qui erant in regno Turquiæ: & postquam congregauit vndiq; gentem suam, insultari fecit ante littus ciuitatis, quæ velociter, absq; nimio moræ dispendio, fuit

Haolonus petit Armeniam.

¶ Meminit Pachymerius li. 2. Plenius de hac historia Itinera: Rud. Suchensis.

Potitur Baldaco et Calipho. fuit capta. Caliphus quidem captus, viuus adductus fuit ante præsentiam Haoloni, & inuenti fuerunt in Baldach tantæ diuitiæ, quòd vix credendum esset, esse totidem in residuo huius mundi. Capta autem fuit ciuitas Baldach Anno Domini M. CC. * LVIII.

* Variat Paulus Venetus li. 1. cap. 16. item Suchensis, qui nominauit LXVIII.

CAPVT XXVI.

De Haolono, qualiter cepit ciuitatem Baldach, & destruxit Caliphum, summum Pontificem Sarracenorum.

¶ POstquã verò Haolonus de ciuitate Baldach fecit omnia quæ volebat, iussit Caliphum ante se adduci, & præcepit, quòd ante se totum eius thesaurum poneret. Tunc verò Haolonus interrogauit Caliphum, dicens: cognoscisne totum fuisse tuum, quod vides? vtiq;, ait ille. Haolonus dixit: Quare tu tanto thesauro non conuocabas stipendiarios & vicinos, vt te & terram tuam tuerentur à potentia Tartarorum? At ille respondit: quoniam credebam, satis sufficere gentem meam. Tunc dixit Haolonus Calipho: Tu diceris doctor omnium credentium in falsa secta Mahumeti, & à tuis munerabaris; talis ergo Magister, & tantus, alijs cibis cibari non debet: vnde tibi damus in cibum ista omnia preciosa, quæ tantum dilexisti, & cum magna auiditate custodisti: & præcepit ponere Caliphum in vna camera, & ante ipsum proijci margaritas & aurum, vt de illis comederet, quantum vellet: & præcepit, ne aliquis cibus daretur, aut potus alius propinaretur eidem: & sic morte pessima miser ille & auarus miserabilem vitam finiuit, nec vnquam Caliphus postea extitit in Baldach.

Præpostera Caliphi parsimonia.

Nex inter gazam. ☿

¶ *Addatur hic de Noga locus apud Pachymerium lib. 5. Nogas Scytha (Tartarus) inquit, ornamenta missa à Michaële Palæologo aspernatus, rogauit, Nunquid calamitates, morbos*

aut

aut mortem depellere poſſent? Neq; enim margaritis, ſed vtilitate mouebatur.

☿ Simili fermè modo necatur CHOSROES, rex Perſarum à Syroe F. apud Paul. Diac. hiſtor. miſcell. lib. 18. pag. 582. Amplius conſule Symbola heroica Cl. Paradini pag. 103.

CAPVT XXVII.

De perſecutione ſacerdotum in lege Mahumeti.

POſtquam verò Haolonus ſubiugauit Baldach, & terras alias circum circa, prouincias diuiſit per Duces & Rectores, ſicut ſuæ placuit voluntati, & præcepit, quòd vbiq; Chriſtiani tractarentur benignè, & quòd eis caſtrorum & ciuitatum cuſtodiæ traderentur. Sarracenos quidem iuſſit ponere in maxima ſeruitute. Haolono quidem erat vxor Chriſtiana, nomine Doucoſcaron, & fuit de progenie illorum regum, qui venerunt ab Oriente viſa ſtella natiuitatis Domini, & iſta domina deuotiſsima Chriſtiana in perpetuum licentiā diruendi templa Sarracenorum petebat, & inhibendi, ne ſolennitas fieret in nomine Mahumeti, & fecit Sarracenorum templa funditus deuaſtari, & in tantam ſeruitutem poſuit Sarracenos, quòd non erant auſi vlterius apparere.

Haoloni ſtudiū erga Chriſtianos.

Doucoſcaron vxor.

CAPVT XXVIII.

De Haolono, qualiter cepit ciuitatem Halappi.

POſtquam verò Haolonus requieuit per ſpacium vnius anni, tunc miſit ad regem Armeniæ, quòd veniret cum gente ſua ad ciuitatem Rohais, in regno Meſopotamiæ: quoniam intendebat ire ad terram ſanctam, vt illam redderet Chriſtianis. Vnde Rex Haythonus, bonæ memoriæ, iter ſuum arripuit cum magna proborum armatorum virorum, equitum & peditum comitiua: quia tunc tempo-

Haythonus R. adducit Haolono auxilia.

ris regnum Armeniæ in tam prospero statu erat, quòd facere poterat duodecim millia equitum,&quadraginta millia peditum armatorum,& ego, qui hoc tempore meo vidi, possum perhibere testimonium veritati. Cumq; Rex Armeniæ venisset, sicut mandauerat Haolonus, & super negocio terræ sanctæ simul colloquium habuisset, ait Rex Armeniæ Haolono: Domine, Soldanus Halappi tenet totius regni Syriæ principatum, in quo quidem regno sancta Hierosolymitana ciuitas inuenitur: Et postquam intenditis, terram sanctam acquirere, sicut mihi videtur, primitus est Halappi ciuitas obsidenda, quæ totius regni Syriæ est caput & magistra: Nam si ciuitas Halappi vestro subditur dominio, alias terras omnes poteritis faciliter obtinere. Consilium itaq; regis Armeniæ placuit Haolono: vnde fecit obsidere ciuitatem Halappi, quæ erat fortissima ciuitas, muris circummunita, habitata, plena populis, & diuitijs opulenta. Haolonus quoq; cum meatibus subterraneis, cum onagris, arcubus & balistis, & alijs generibus armorũ varijs & diuersis, inuadi fecit vndiq; sic viriliter ciuitatem, quòd licet inexpugnabilis videretur, ipsam tamen violenter nouem dierum termino occupauit. In ipsa quidem ciuitate Halappi tantam diuitiarum incredibilem multitudinem inuenerunt, quòd vix esset credendum. Erat autem quoddam castrum in medio ciuitatis, quod se tenuit per vndecim dies, postquam ciuitas iam extiterat occupata: demum verò per meatus subterraneos fuit captum: & capta fuit ciuitas Halappi, & deinde regnum Syriæ per Haolonum, Anno Domini M.CC.LX.

Agit prouidũ consultorem.

Halepum per vim expugnatum.

CAPVT XXIX.

De Haolono, qualiter cepit Soldanum Halappi, & acquisiuit terram sanctam vsq; ad desertum AEgypti.

QVando verò Soldanus Halappi, qui vocabatur Melecknaser, qui tunc erat in ciuitate Damasci, intellexit

quòd

quòd ciuitas Halappi capta fuerat cùm filijs & vxore, qui erant ibidem, nesciuit ad consilium ponere seipsum, nisi quòd ad pedes Haoloni venit, misericordiam implorando: Sperabat enim per hoc, quòd sibi vxor & filij redderentur, & pars aliqua ad suum dominium tenendum. Sed Soldanus fuit in sua opinione deceptus: quoniam Haolonus ad regnum Persarum destinauit ipsum cum filijs & vxore, vt absq; inquietatione dominium Syriæ obtineret. His itaq; sic peractis, de spolijs acquisitis in captione ciuitatis Halappi, regi Armeniæ Haolonus contulit magnam partem, & de terris etiã, quas occupauerat, Regi quàm plures concessit. Vnde Rex Armeniæ accepit plura castra regno suo vicina, & illa fecit muniri ad suam liberam voluntatem. Posthæc Haolonus misit ad principem Antiochiæ, qui regis Armeniæ gener erat, dona, & ipsum principem plurimum honorauit, & dedit sibi priuilegia gratiosa, & omnes terras suæ iurisdictionis, quas occupauerant Sarraceni, & quæ ad suum dominium redierant, iussit quod principi redderentur liberè & quietè. Et postquam Haolonus ordinauit ea, quæ fuerant ordinanda, circa negotia ciuitatũ & terrarum, quas occupauerat, dum intenderet se transferre ad regnum Hierosolymitanum, vt terram sanctam liberaret de manibus Paganorum, & illã restitueret Christianis: ecce nuncius venit tertia die, noua ferens de obitu fratris sui, & narrauit, qualiter post obitum Mango Can vacauerat imperium Tartarorum, quòd eius quotidiè præstolabatur aduentus, vt ipsum in sede ponerent fratris sui. Haolonus quidem intellectis rumoribus de obitu fratris sui, fuit ineffabili tristitia circumuentus, vnde vlterius non processit, sed ordinauit quendam suum Ducem, nomine Guiboga, & dimisit ipsum cum decem millibus Tartarorum in custodiam regni Syriæ, & præcepit, quòd terram sanctam acquireret & restitueret Christianis. Quo facto, Haolonus festinanter recessit, versus partes Orientis dirigens suos gressus, & dimittens in Taurisio natum suum, per dietas suas processit.

Melecnaser Soldanus dedit se hosti.

Deportatur in Persidem.

Haolonii Armeniũ & Antiochenũ munificentia.

Interrupta Hierosolymitana expeditio.

Guiboga.

Taurisiũ.

CAPVT XXX.

De Cobila Can, quinto Imperatore Tartarorum.

SEd antequàm ad regnum Persarum peruenisset, ecce sibi nuncij quidam occurrerunt, qui narrauerunt, qualiter omnes proceres & maiores fratrem suum, Cobila Can, posuerant in sede Imperatoria Tartarorū: quo audito, Haolonus dum in Taurisio moraretur, ecce nuncij venerunt ad eum, qui retulerunt sibi, quòd Barcat cum maximo apparatu incedens, intenderet hæreditare, si posset. His quoq; rumoribus intellectis, Haolonus continuò gentem suam congregauit, & obuiauit inimicis suis super quodam flumine congelato, ibiq; fuit ingens prælium inchoatum. Propter multitudinem gentium & equorum glacies rupta est, & submersi fuerunt tam ab vna parte quàm ab alia triginta millia Tartarorum. Exercitus verò vtriusq; partis absq; alio processu redierunt tristes, propter amissionem suorum. Guiboga verò, quem Haolonus dimiserat in regno Syriæ, & in prouincia Palæstinæ, terras illas tenuit pacificè, & diligebat multum Christianos. Nam ipse fuerat de progenie trium Regum, qui venerunt natiuitatem Domini adorare. Cumq; dictus Guiboga solicitè laboraret, vt terram sanctam reduceret in potentiam Christianorum, ecce Diabolus inter ipsum & Christianos illarum partium semen scandali & discordiæ seminauit, & hoc accidit tali modo. In terra enim de Belfortis, quæ est de dominio ciuitatis Sidonensis, erant plures villæ, in quibus Sarraceni certum censum Tartaris exhibebant, vnde accidit, quòd certi homines Sidonis & de Belfortis congregati in vnum iuerunt ad villas Sarracenorum & Casalia, & deprædauerunt eos, plures interfecerunt Sarracenos, alios verò cum magna multitudine bestiarum ducebant cum præda. Quidam verò nepos Guibogæ, qui ibi propè morabatur, cum parua equitum comitiua secutus fuit celeriter Christianos, qui talia fuerant operati, vt diceret ex parte auunculi sui,

COBILA Can.

Barcati et Haoloni bellum ciuile.

¶ *Vide Paulum Venet. lib. 1. cap. 1.*

Prælium in glacie.

Guiboga ἀπόγονος Magorum

Alienatur à Christianis.

ſui, quòd dimitterent prædam. Quidam ex ipſis Chriſtianis irruerunt in eum, & occiderunt eum, & quoſdam alios Tartaros cum eodem., & noluerunt reſtituere prædam. Quando Guiboga intellexit, quòd Chriſtiani interfecerant nepotem ſuum tali modo, confeſtim equitauit & cepit ciuitatem Sidonienſem, & deſtruxit magnam partem murorum, paucos perdidit Chriſtianos, qui ad Inſulam fugerant, nunquam tamen poſtea de Chriſtianis Syriæ Tartari fiduciam habuerunt, neq; Chriſtiani de Tartaris ſunt confiſi: poſtea verò Tartari pulſi fuerunt de regno Syriæ per potentiam Sarracenorum, ſicut inferius exprimetur. *Excindit Sidonem.*

CAPVT XXXI.

De morte Haoloni, & qualiter Soldanus recuperauit terram Syriæ & AEgypti.

INterea quoq;, dum Haolonus haberet guerram cum Barcat, ſicut ſuperius eſt expreſſum, * Soldanus AEgypti ſuo exercitu congregato, egreſſus eſt de AEgypto, & venit ad prouinciam Palæſtinæ, & in quodam loco, vocato Henyaleck, prælium cum Guiboga, Capitaneo Tartarorum, commiſit, & idem Guiboga fuit debellatus & occiſus in bello. Tartari verò, qui de prælio illo euadere potuerunt, iuerunt in Armeniam, & extunc regnum Syriæ ſub poteſtate Sarracenorum fuit totum redactum, præter aliquas ciuitates Chriſtianorum, poſitas prope mare. Quando verò Haolonus intellexit de Soldano AEgypti, qui regnum Syriæ inuaſerat, & fugauerat gentem ſuam, continuò ſuum exercitum congregauit, & miſit ad regem Armeniæ, & ad regem Georgiæ, & ad alios Chriſtianos partium Orientis, vt venirent parati contra Soldanum AEgypti & alios Sarracenos. Cumq; Haolonus iam ſuum exercitum congregaſſet, inuaſit eum quædam infirmitas, quæ eum detinuit per ſpacium quindecim dierum, & ex illa infirmitate obijt Haolonus: cuius rei cauſa, terræ ſanctæ negocium iam in-

Bendecar, vt infrà.

Soldani AEgyptij in Guibogam expeditio.

Succeſſus per Syriã.

Haolonus bellum redintegrãs moritur.

cœptum, fuit totaliter perturbatum post obitum Haoloni. Abagâ, filius eius, tenuit dominium patris sui, & rogauit Cobila Can, Imperatorem, auunculum suum, vt ipsum in dominio suo confirmaret, & hoc fecit libenter: vnde vocatus fuit Abaga Can, & cœpit dominari, Anno Domini M. CC. LXIIII.

Abaga F. & succes-sor.

¶ Pachymerio li. 9. Agapa di-citur.

CAPVT XXXII.

De Abaga, filio Haoloni, qui patri in imperio successit.

ABaga fuit prudens, & dominium suum prosperè gubernauit, & fuit in omnibus fortunatus, præter in duobus, vnum videlicet, quia noluit effici Christianus, sicut extiterat pater suus, imò colebat idola, & fidem dabat presbyteris idololatriæ. Aliud, quia semper guerram habuit cum vicinis: & ꝓpter hoc Soldanus fuit longo tempore in quiete, & ex hoc Sarracenorum potentia multum creuit. * Tartari verò qui euadere poterant de terris Tartarorum, fugiebant ad Soldanum, vt euitarent grauia onera, quæ eis Tartari imponebant: propterea Soldanus fecit quandã magnam sagacitatem, quia misit nuncios suos per mare ad Tartaros in regno Cumaniæ, & regno Russiæ, & fecit cum illis Tartaris compositionem & pactum, videlicet, quòd quandocunq; Abaga moueret guerram contra terram AEgypti, quòd ipsi inuaderent terram suam, & promisit dare magna dona eis: & hoc modo Abaga non poterat inuadere terram AEgypti, & Soldanus sine contradictione cuiusquam potuit inuadere Christianos, & terras Syriæ faciliter occupare: vnde Christiani amiserunt ciuitatem Antiochiæ, & alia plura castra, quæ in regno Syriæ possidebant.

Impeditũ Abagæ regnum.

** Turci.*

Soldanus callidus bellator.

¶ Vide cap. 52.

Antiochia amissa.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

De Soldano AEgypti, qualiter debellauit regem Armeniæ, & vnum de filijs eius cepit, alterum occidit.

PRæterea Bendecar, Soldanus AEgypti, ita extitit fortunatus, quòd postea regnum Armeniæ conquassauit. Nam accidit, quòd Rex Armeniæ cum magna gente ierat ad Tartaros, & Soldanus hoc sciens, cogitauit inuadere regnum Armeniæ, vnde misit quendam Capitaneum suum loco sui, cui tradidit gentem suam. Filij autem regis Armeniæ, scientes Sarracenorum aduentum, congregatis omnibus, qui poterant arma ferre, in confinibus regni obuiauerunt AEgyptijs, cum quibus viriliter pugnam inierunt: finaliter tamen fuit Armeniorum exercitus debellatus: ex duobus filijs regis alter fuit captus, alius verò occisus in bello. Sarraceni itaq; per regnum Armeniæ discurrentes, ferro totam planiciem deuastârunt, & bona infinita inde asportârunt in Christianorum maximum detrimentum. Exinde verò inimicorum potentia multum creuit, & regis Armeniæ posse fuit mirabiliter diminutum. Rex verò Armeniæ, qui semper solicitè conabatur ad destructionem infidelium toto posse, intellectis infelicissimis rumoribus regni sui, fuit animo mirabiliter perturbatus, & die noctuq; cogitabat, qualiter Sarracenis posset inferre grauamen, vnde multotiens inducebat Abagan, & Tartaros, ad destructionem sectæ perfidi Mahumeti, & Christianorum subsidium & iuuamen: sed Abaga propter guerrã, quam habebat quotidie cum vicinis, se sæpius excusabat. Rex Armeniæ verò perpendens, quòd non poterat ad præsens habere subsidium Tartarorum, misit suos nuncios ad Soldanum AEgypti, & treugas cum ipso iniuit & firmauit, hoc faciens, vt de Sarracenorum carceribus posset redimere natum suum. Vnde Soldanus promisit Regi, quòd si sibi redderet quendã suum socium, nomine Sangolascar, qui captiuus penes Tartaros tenebatur, & sibi restitueret

Bendecar Soldanus AEgypti.

Vexat per legatum Armeniã.

Haythong R. frustra implorat opem Abagæ.

Transigit cum Soldano.

castra

castra ciuitatis Halappi, quæ occupauerat tempore Haoloni, ipse filium restitueret pristinæ libertati. Soldanus itaq; restituit filium Regis, & recepit socium suum, & Rex restituit Soldano castrum de Tempesack, & alia duo castra fecit dirui, ad requisitionem Soldani, & hoc modo filius Armeniæ Regis fuit de carceribus liberatus. Post hæc verò Rex Haythonus, bonæ memoriæ, qui XLV. annis regnũ tenuerat,& multa bona fecerat Christianis, regnum & dominium suum contulit & concessit filio suo, Dn. Tiuono, de AEgypti carceribus liberato, & ipse renuncians pompis huius seculi, est religionem ingressus, & vocatus fuit * Macarius, mutato proprio nomine, secundum cõsuetudinem Armenorum, qui quando ingrediuntur religionem, mutari faciunt sibi nomen, & post modicum temporis spacium, Rex Haythonus requieuit in pace, Anno Domini M. CC. LXX.

Permittit regnũ Tiuono F.

Monasterium ingressus moritur.

* Etiam Græcos Monachos nomina mutasse, patet de exemplo Alexij Cõneni apud Nicetam pag. 48. b. Andronici Imp. apud Gregoram lib. 9. pag. 47. Cantacuzeni Imp. apud Chalcocondyl. lib. 1. Nec obscurum, vnde eadem consuetudo apud Pontifices Rom. inoleuerit, item vt AEthiopiæ reges (vulgò Presbyterum Ioann. vocant) cum imperio simul nomen nouum suscipiant.

CAPVT XXXIIII.

De Abaga, qualiter introiuit AEgyptum, & destruxit Turquiam.

Ille autem Rex Armeniæ suprà nominatus, fuit sapiens atq; prudens, & suum regnum prouidè gubernauit: dilectus fuit valde tam à sua gente, quàm à Tartaris, & ex toto animo studuit destruere Sarracenos, vnde suo tempore accidit, quòd Abaga pacem composuit cum vicinis suis, qui longo tempore sibi fuerant inimici. Tunc verò temporis Soldanus AEgypti ingressus fuit regnum Turquiæ, & ibi

Soldanus infestat Tartaros Turciæ.

& ibi multos Tartaros interfecit, & de pluribus villis fugauit eosdem. Nam quidam Sarracenus, qui Paruana vocabatur, erat in regno Turquiæ Capitaneus Tartarorum, & iste rebellis effectus contra Abagam, conabatur Tartaros omnes perdere & fugare. Abaga verò hoc audiens, equitauit ita properè, quòd XL dietas in quindecim dierum spacio peregerit. Soldanus AEgypti audiens aduentum Tartarorum, subitò de regno Turquiæ recessit, nec fuit ausus vlterius expectare, non tamen potuit ita celeriter arripere iter suum, quin Tartari, qui velociter sequebantur, attingerent exercitus sui finem in introitu regni AEgypti in quodam loco, vocato Basblanck. Irruentes itaq; Tartari in posteriori custodia exercitus, ceperunt duo millia equitum Sarracenorum, & diuitias multas acquisiuerunt, & ceperunt etiam quinq; millia Cordinorum, qui in illa regione degebant. Perueniente verò Abaga vsq; ad confines terræ AEgypti, consultum erat sibi, ne vltrà progrederetur propter æstum: terra enim illa est calida vltra modum, & Tartari & eorum animalia, quæ à longè venerant festinanter, non potuissent pondus ferre laboris & æstus; vnde Abaga rediit in Turquiam, & fecit dissipari ac destrui omnes terras, quæ rebelles extiterant, & reddiderant se Soldano. Paruanam verò proditorem cum suis sequacibus, iuxta morem Tartarorum, per medium fecit scindi, & iussit quòd in omnibus cibis, quos erat comestu-rus, poneretur de carne illa Paruanæ proditoris, de qua comedit Abaga, & dedit suis proceribus comedendum, & talem vltionem sumsit de Paruana proditore Rex Abago.

Paruana.

Abaga occurrit hosti.

Gerit rem feliciter.

Mulctat rebelles.

Punit supplicio Paruanam.

CAPVT XXXV.

De Soldano AEgypti, mortuo per venenum.

POstquam ergo Abaga de regno Turquiæ sua vota compleuit, & Tartari fuerunt repleti prædis & diuitijs,

quas acquisiuerant contra rebelles Sarracenos, vocauit ad se regem Armeniæ, & sibi obtulit regnū Turquiæ, eò quòd pater suus, & ipse, semper se gesserant fideliter erga dominium Tartarorum. Rex verò Armeniæ, tanquam sapiens & discretus, de tanto dono obtulit Abagæ multas grates, & à retentione regni Turquiæ se curialiter excusauit, asserens se non posse sufficere ad duo regna commodè gubernanda. Nam Soldanus AEgypti erat in integro posse suo, & ad grauamen regni Armeniæ toto conamine intendebat: quare satis sibi facere videbatur, si ad defensionem regni Armeniæ poterat consilium adhibere. Consuluit tamen rex Armeniæ, vt Abaga de regno Turquiæ totaliter ordinaret, antequam recederet, quòd de rebellione nullatenus dubitaret, & nulli Sarraceno daret dominium in Turquia. Abaga quidem acceptauit Regis consilium, & nunquam postea voluit, quòd Sarraceni in illis terris dominium obtinerent. His itaq; completis, rex Armeniæ requisiuit & rogauit, quòd Abaga vellet intendere ad liberationem terræ sanctæ, & ipsam eruendam de manibus paganorum. Hoc Abaga promisit facere toto posse, & consuluit, quòd Rex nuncios suos mitteret ad Papam, & ad alios dominos & principes Christianorum, pro subsidio terræ sanctæ, Abaga verò in regno Turquiæ ordinatis, quæ fuerant ordinanda, ad regnum * Corasen, vbi familiam suam dimiserat, est reuersus. Bendecar verò Soldanus AEgypti, cùm Tartari damnum sibi intulerunt, fuit veneno potatus, & subitò obijt in Damasco: de quo Christiani partium Orientis fuerunt valde gauisi, & Sarraceni cœperunt multipliciter contristari. Nam post mortem Soldani, non habuerunt tam bonum Soldanum, vt Sarraceni cōmuniter asserebant. Quidam verò filius suus, Meleckſait nomine, successit in dominio, sed post modicum temporis spacium de dominio fuit expulsus per quendam, qui vocatus fuit Elsi, qui violenter dominium vsurpauit, & constituit se Soldanum.

Tiuonus R. oblatū regnum Turciæ repudiat.

Consulit prudēter.

Inflat de expeditione Hierosolym.

Abaga replicat.

*Corrozan.

Mors Soldani.

Meleckſait F. & successor.

Elsi Soldanus.

CAPVT.

CAPVT XXXVI.

De Mangodanior, Duce Tartarorum, qualiter aufugit de pugna propter timorem.

TErmino itaq; veniente, in quo Abaga debuit & potuit guerram mouere contra Soldanum AEgypti, ordinauit, quòd Mangodanior, frater suus, ad regnum Syriæ cum triginta millibus Tartarorum se transferret, & si fortè Soldanus veniret belliger contra eum, ipsum violenter debellaret, & si Soldanus vitaret prælium, occuparet terras & castra, & custodiendas traderet Christianis. Quando Mangodanior itaq; per dietas suas processisset, quo vsq; Armeniæ appropinquauit, tunc misit pro rege Armeniæ, qui continuò venit cum pulcra equitum comitiua, & ingressi fuerunt regnum Syriæ, & iuerunt totam prouinciã deuastando, vsq; ad ciuitatem Hames, quæ Camella hodie appellatur à pluribus, & est sita in medio regni Syriæ, vt fertur. In facie verò illius ciuitatis est quædam planicies valde pulcra, ibiq; Soldanus AEgypti congregabat posse suum, intendens cum Tartaris præliari. Sarraceni itaq; ex vna parte, & Christiani cum Tartaris ex aduerso, ingens prælium iniuerunt. Rex itaq; Armeniæ cum Christianis ducebat & regebat exercitus dextrum cornu, vnde inuasit ipse sinistrum cornu exercitus Soldani, & fugauit inimicos vsq; ad ciuitatem Hames per tres dietas longas, & vltra viriliter. Almach etiam quidam Tartarorum, aliam partem exercitus Soldani viriliter debellauit, & per tres dietas Sarracenos fugauit, quousq; peruenit ad quandam ciuitatem, quæ vocatur Tara. Cumq; crederent Soldani potentiam fuisse contritam, ecce Mangodanior, qui nunquã viderat discrimina præliorum, de quibusdam Sarracenis, Beduinis lingua Arabica nominatis, absq; rationali causa timens, retrocessit, campum victoriæ derelinquens, dimisitq; regem Armeniæ, & alium Ducem suum, qui inimicos fuerant persecuti. Quando verò Soldanus, qui omnia

Mangodanior, Abagæ legatus.

Euocat regem Armeniæ ad belli societatem.

Confligit cum Soldano.

Corrũpit fuga sua victoriam.

crediderat amisisse, vidit campum belli vacuum, & totaliter derelictum, ascendit quendam monticulum cum quatuor armatis, firmiter ibi stando. Rex verò Armeniæ rediens de conflictu, cùm non inuenisset in campo Mangodanior, fuit plurimum stupefactus, & cogitans viam quam gradiebatur, post ipsum tenuit gressus suos. Almach verò prædictus, qui persecutus fuerat Sarracenos, quos fugauerat, per biduum expectauit, sperans dominum suum, Mangodanior, post ipsum, sicut debuit, equitasse, vt inimicos & prouinciam subiugaret, de quibus fuerant victoriam consecuti. Cognita verò veritate de recessu Mangodanior, post ipsum ire festinauit, victoriam derelinquens, & inuenerunt Mangodanior super littore fluminis Eufrates expectantem. Post hæc Tartari ad eorum prouinciam sunt reuersi. Rex verò Armeniæ cum gente sua in illo itinere passus fuit multa incommoda, & labores. Nam propter viarum longitudinem & penuriam pabulorum, equi Christianorum regni Armeniæ fuerunt totaliter fatigati, quòd incedere non valebant: & sic separatim Christiani per deuia incedentes, à Sarracenis, qui degebant in illis partibus, sæpius inueniebantur, & absq; misericordia cædebantur, vnde maior pars totius exercitus regni Armeniæ amissa fuerat, & proceres quasi omnes. Et hoc infortunium Mangodanior accidit, Anno Dñi M. CC. LXXXII.

Almach.

Regis Armeniæ calamitosus reditus.

Postquam verò Abaga Can hæc omnia intellexit, congregauit vndiq; gentem suam, & cùm iam esset paratus contra Sarracenos procedere toto posse, ecce quidam filius Diaboli, Sarracenus, venit ad regnum Persarum, & quibusdã, qui Abagæ familiariter seruiebant, contulit multa dona, & cum eis taliter ordinauit, quòd vna die Albagæ & fratri suo, Mangodanior, venenum mortiferum propinatur, ex quo ambo, proh dolor, excesserunt è vita in octo dierum spacio: per illos eosdem, qui scelus istud perpetrauerant, fuit primò comperta veritas huius rei, & sic obijt Abaga Can, Anno Domini M. CC. LXXXII.

Tempus acceptæ cladis.

Abaga cõparat se ad vindictam

Necatur cũ fratre veneno.

CAPVT XXXVII.

De Tangodor, ſecundo filio Haoloni, qui ſucceſsit Abagæ in regno.

POſt obitum Abagæ Can congregauerunt ſe Tartari, & conſtituerunt dominum ſuper eos quendam fratrem Abagæ, qui Tangodor vocatur, & alios fratres ſuos præceſſerat. In diebus quidem iuuentutis ſuæ datum fuit ſibi Baptiſmatis ſacramentum, & vocatus fuit in baptiſmate Nicolaus. Sed poſtquam fuit ætate perfectus, propter ſocietatem Sarracenorum, quam dilexerat, effectus fuit peſſimus Sarracenus, & renuncians fidei Chriſtianæ, Mahumeth Can voluit ſe appellari, & toto conamine ſtuduit facere, quòd omnes Tartari conuerterentur ad ſectam iniquitatis filij Mahumeti, & quibus violentiam inferre forſitan non audebat, dona, gratias & honores conferebat. Tempore iſtius igitur Mahumeti Can conuerſi fuerunt ad fidem Sarracenorum Tartari infiniti, ſicut hodie euidenter apparet. Præcepit itaq; iſte filius diaboli Mahumeth, omnes Eccleſias Chriſtianorum dirui, & ne Chriſtiani auderent amplius celebrare legem & dogmata Chriſti. Faciebat publicè prædicari Mahumetum, & Chriſtianos exules fecit ire, & in ciuitate Tauriſij fecit Chriſtianorum Eccleſias totaliter deuaſtari. Miſit etiam ſuos nuncios ad Soldanum AEgypti, & firmauit pacis & concordiæ ſecum fœdus, & promiſit, quòd omnes Chriſtianos, qui in terris dominij ſui erant, compellerentur ad Sarracenos, aut capitibus priuarentur: vnde Sarraceni fuerunt magna exultatione repleti, Chriſtiani verò triſtes & timidi incedebant, nec eis aliud reſidebat, niſi Dei miſericordiam inuocare: videbant enim perſecutionem Chriſtianorum maiorem quàm vnquam fuerat temporibus retroactis. Transmiſit etiam prædictus Diabolus Mahumeth ad regem Armeniæ, & ad regem Georgiæ, & ad alios Chriſtianos, vt ad ipſum accederent ſine mora: ſed Chriſtiani cogitauerunt potius mori in prælio, quàm ſuis placere mandatis, quia neſciebant

Tangodor frater & ſucceſſor Abagæ.

E Chriſtiano fit Sarracenus.

Sociatur Soldano Aegypti.

Inſidiatur regibus Armen. & Georg.

bant aliud remedium inuenire. Cumq; fideles Christiani in tanta essent cordis amaritudine positi, quòd mori potius quàm viuere affectabant, ecce Deus, qui sperantes in se nullatenus derelinquit, consolamen transmisit Christianis omnibus. Nam quidam frater istius Mahumeti, & quidam eius nepos, nomine Argonus, fuerunt isti Mahumeto, propter mala opera sua, contrarij & rebelles, & significauerunt Cobila Can, maiori Imperatori Tartarorum, qualiter iste Mahumetus, antecessorum suorum vestigijs derelictis, effectus fuerat pessimus Sarracenus, Tartaros omnes quos poterat inducendo, vt efficerentur etiam Sarraceni. Quo audito, Cobila Can Imperator fuit plurimum perturbatus, vnde Mahumeto præcipiendo mandauit, quatenus corrigere se deberet, & à malis operibus abstinere, alioquin procederet contra ipsum. Ipse quidem Mahumetus, mandato Imperatoris intellecto, ira & indignatione fuit repletus: & quia nullus erat, qui auderet suis voluntatibus contraire, præter fratrem suum, & prædictum nepotem suum, Argonum, laborauit tantum diabolicus ille Mahumetus, quòd fecit interfici fratrem suum, & de nepote suo, Argono, intendens facere illud idem, iuit cum exercitu copioso, vt ipsum caperet & teneret. Argon verò, qui contra potentiam inimici non poterat belliger apparere, montes petijt, & in quoddam castrum fortissimum introiuit. Idem verò iniquitatis filius Mahumetus dictum castrum obsedit, stans circum circa cum suo exercitu infelici. Finaliter verò Argonus se reddidit Mahumeto, cum pacis interiectis conditionibus, videlicet, quòd sibi suum dominium seruaret. Postquam Mahumetus Can tenuit Argonum, tradidit eum Conestabulo suo & pluribus alijs magnatibus sub custodia concludendum. Et dum reuerteretur ad ciuitatem Taurisij, vbi dimiserat filios & vxores, dedit omnibus in mandatis, quòd post ipsum incederent paulatim: Conestabulo verò, & quibusdam alijs, in quibus præcipuè confidebat, iussit, quatenus nepotem suum occiderent, & occultè sibi caput afferrent. His itaq; taliter

Accusatur Cobila.

Tollit fratrem è medio.

taliter ordinatis, festinanter præcepit eis Mahumetus. Inter illos verò, qui mandatum susceperant tanti sceleris adimplendi, inuentus fuit quidam potens vir, quem Abaga nutriuerat, pater ipsius Argoni, qui pietate motus, armis susceptis, Conestabulum Mahumeti & omnes suos sequaces nocte gladio iugulauit, & Argonum à mortis periculo liberauit, & constituit Argonum rectorem & dominum super omnes. Vnde alij timore, alij verò amore obœdientes fuerunt suis beneplacitis & mandatis. His itaq; sic peractis, Argonus cum comitiua suorum fidelium fuit persecutus celeriter Mahumetum, & antequam Taurisium perueniret, personaliter cepit illum, quem captum iussit per medium detruncari, & sic fuit interfectus canis ille pessimus Mahumetus, inimicus fidei Christianæ, antequã duorum annorum spacium in solio suo compleret.

Argonus è captiuo Rex.

Supplicium Tangodoris.

CAPVT XXXVIII.

De Argono, filio Abagæ, qualiter fuit dominus Tartarorum post mortem Tangodor, pessimi Sarraceni.

ANno Domini M. CC. LXXXV. post necem pessimi Mahumeti, Argonus, filius Abagæ Can, noluit se vocari Can, quousq; haberet à maiori domino in mandatis: & super eo misit Argonus ad magnum Can nuncios speciales, quos magnus Can Tartarorum benignè suscepit, & honorificè tractauit, & de morte pessimi Mahumeti fuit plurimum consolatus, & transmisit de maioribus domus suæ, & Argonum in dominio confirmauit. Et extunc Argonus fuit ab omnibus Can vocatus, & fuit ab omnibus honoratus. Iste verò Argonus fuit aspectu pulcherrimus, & dominium suum tenuit viriliter & prudenter, Christianos dilexit, & ipsos plurimum honorauit. Ecclesias, quas Mahumetus dirui fecerat, reparauit, vnde accesserunt ad eum Rex Armeniæ, & Rex Georgiæ, & alij Christiani partium Orientis,

Argonus confirmatur à Cobila.

Studet nomini Christiano.

Orientis, & supplicauerunt ei, quòd consilium apponeret & iuuamen, vt terra sancta liberaretur de manibus Paganorum. Argonus quoq; benignè respondit, quòd libenter faceret, quidquid posset ad honorem Dei, & fidei Christianæ, vnde intendebat fœdus pacis componere cum vicinis, vt securius posset ire ad subsidium terræ sanctæ. Cumq; Argonus in hoc bono proposito perseueraret, pacem quærens cum vicinis, ecce quarto anno sui dominij transmigrauit. Quidam verò frater eius, nomine Regayto, sibi successit, sed fuit homo nullius valoris, sicut inferius exprimetur.

Cedit è vita.

CAPVT XXXIX.

De Regayto, successore Argoni.

Regayto ἄθεος καὶ μαργίτης

ANno Domini M. CC. LXXXVIII. post obitum Argoni Can, frater eius Regayto nullam habebat legem, vel fidem: ad arma erat penitus nihil valens, totus erat deditus luxuriæ & peccato, & in omnibus ducebat tanquã brutum animal vitam suam, ventris ingluuiem satiando superfluis potibus atq; cibis, per spaciũ sex annorum vixit in dominio: nihil aliud faciebat, vnde per suam miseriam suis fuit exosus, & ab extraneis extitit vilipensus: finaliter fuit à suis proceribus suffocatus. Et post obitum suum factus fuit dominus quidam eius consanguineus, nomine Baydo: iste Baydo fuit in fide Christi fidelis & rectus, & multas fecit gratias Christianis, sed dies vitæ suæ subitò defecerunt, sicut inferius exprimetur.

Strangulatur à suis. Baydo successor.

CAPVT XL.

De Baydo, domino Tartarorum, & qualiter obierit.

ANnno Domini M. CC. XC. post mortem Regayto, Baydo tenuit dominium Tartarorum: iste Baydo, tanquam

tanquam bonus Christianus, reædificauit Ecclesias Christianorum, & præcepit, quòd nullus auderet dogmata Mahumeti inter Tartaros prædicare. Et quia multiplicati erant valde illi, qui sectam tenebant perfidi Mahumeti, molestè tulerunt mandatum Baydo, & ideò occultè miserunt nuncios ad Casanum, qui fuit filius Argoni, & promiserunt sibi dare dominiũ, quod Baydo tenebat, & ipsum constituere dominum super eos, si vellet renunciare fidei Christianæ. Casanus verò, qui parum curabat de fide, & qui dominium plurimum affectabat, promisit facere quicquid vellent, & propter hoc Casanus fuit rebellis effectus. Baydo verò congregauit gentem suam, intendens Casanum capere, & tenere; proditionem enim, quam gens sua sibi fecerat, ignorabat. Cumq; ad campum belli venissent, ecce omnes illi, qui sectæ adhæserant Mahumeti, relinquentes Baydo, fugerunt ad Casanum. Baydo quoq; videns, se ab omnibus derelictum, fugam arripuit, credens euadere, sed persequentibus inimicis, fugiendo interijt.

E Mahumetana religione interdicta rebellio.

Casanus regnũ religione antiquius ducit. ¶

Baydonis interitus.

¶ *Meminit Pachymerius lib. 9. & iterum lib. 12. his verbis: Cazanus bonum & sanctum Principem, Dei simulacrum iudicabat.*

CAPVT XLI.

De Casano, filio Argoni, qualiter dominium vsurpauerit, & gestis eius.

POst mortem Baydo, Casanus fuit factus dominus Tartarorũ. Initio sui dominij non audebat contraire his, quæ promiserat illis, qui eum in dominio posuerunt, qui Mahumeti sequebantur legem & sectam, & ideo austerum se ostendit nimium Christianis. Sed postquam in sede dominij firmus fuit, cœpit honorare & diligere Christianos, multa fecit in sua vita ad commodum Christianorum, sicut in sequentibus audietis. Et primò destruxit quàm plures magnates, qui suadebant ei, vt Sarracenorum fidei adhæreret, & persequeretur vndiq; Christianos. Pòst præcepit

Casanus se aperit.

Edicit expeditionẽ Aegyptiã.
omnibus Tartaris, qui in dominio suo erant, quòd essent armis & omnibus necessarijs præmuniti, quoniam intendebat ingredi regnum Aegypti, & Soldanum destruere, si valeret, & hoc mandauit regi Armeniæ, & regi Georgiæ, & alijs Christianis partium Orientis. Verùm verno tempore adueniente, Casanus suum exercitum congregauit, & direxit gressus suos per viam de Baldach cum exercitu copioso. Quando verò Casanus peruenit ad terras Aegypti, congregauit in simul gentem suam. Soldanus, qui vocabatur Melecnaser, iam dudum de aduentu Tartarorum rumoribus intellectis, congregauit posse suum, & venit ante ciuitatem (a) Hames cum maximo apparatu, quæ ciuitas est sita in medio regni Syriæ, vt refertur. Cumq; Casanus intellexisset, quòd Soldanus contra ipsum intenderet præliari, ad obsidionem ciuitatis vel castri noluit perdere tempus suum, sed recto tramite celeriter venit ad locum, vbi erat Soldanus, & se posuit ex aduersa parte per vnam dietam in quibusdam pratis, in quibus erat abundantia pabulorum. Vnde præcepit Casanus omnibus suis, quot in illo campo essent, quousq; equi requiescerent à labore, quem passi fuerant in via, celeriter veniendo. In societate verò Casani erat quidam Sarracenus, nomine * Calphack, qui fuerat seruus Soldani, & fugerat ad Casanum propter metum Soldani, qui ꝑpter excessus intendebat illum carceribus mancipare. Ille Calphack à Casano receperat gratias & honores, & Casanus de eo plurimum confidebat, sed tanquam proditor maledictus, per literas notificauit Soldano & Sarracenis consilium & intentionem Casani, & misit, qualiter Casanus morari intendebat in pratis illis, vt daretur requies equis suis, qui erant mirabiliter fatigati, & consuluit Soldano, quòd properaret ad pugnam, quamdiu aduersariorum equi erant fessi, quia faciliter posset de Tartaris victoriam reportare. Soldanus Aegypti, qui apud ciuitatem Hames Tartaros proposuerat expectare, acquieuit consilio proditoris, & cum electa multitudine suorum equitauit festinanter, vt ex improuiso insultum faceret in Casanum.

Melecnaser Soldanus.

* infrà Capchik

Calphac transfuga & proditor.

Casanum. Speculatores quidem exercitui Casani notum fecerunt aduentum Soldani. Casanus verò fecit edictum, vt omnes sui equitarent per acies ordinati, & viriliter reciperent inimicos. Casanus ergo Leone audacior, cum illis, quos circa se inuenit, equitauit obuiam Sarracenis, qui iam tantum appropinquauerant, quòd prælium non poterat euitari. Et cæteri, qui per campum erant dilatati, vt requiem darent equis, non poterant ad ipsum accedere festinanter, vnde Casanus præcepit militibus, qui secũ erant, de equis descendere, & de illis in circuitu facere velut murum, & cum arcubus & sagittis impeterent inimicos, qui laxatis habenis ad prælium properabant. Tartari verò descenderunt, & in circuitu ipsorum posuerunt equos suos, & acceptis in manibus arcubus & sagittis, expectauerunt quousq; sagittæ possent ad inimicos commodè peruenire. Et sic omnes simul Tartari sagittantes, qui in arte sagittandi mirabiliter sunt periti, equos inimicorum præcedentes taliter percusserunt, quòd ante alios ceciderunt: vnde illi qui sequebantur, qui cursu velocissimo properabant, inuenientes præcedentes prostratos, præcipitabantur super illos: vnde de multis Sarracenis euaserunt pauci, qui non erant prostrati, aut sagittis Tartarorũ letaliter vulnerati. Soldanus Aegypti, qui in acie illa erat, quàm ocyus potuit, retrocessit. Casanus hoc videns, statim præcepit equos ascendere gentem suam, & inuadere viriliter inimicos, & ipse fuit primus, qui Soldani aciem est ingressus, & tam diu Soldanus cum modica societate suorum bellum sustinuit, prostrando & occidendo strenuè inimicos, quoad Tartari muniti, & per acies ordinati, venerunt ad pugnam: tunc inceperunt omnes acies vndiq; præliari, & durauit altercatio inter eos ab ortu Solis vsq; ad nonam. Finaliter verò Soldanus non potuit resistere audaciæ Casani, qui manu sua mirabilia fecit, & sic vertitur in fugam Soldanus cum omnibus Sarracenis. Casanus itaq; cum gente sua persecutus fuit vsq; ad noctis caliginem inimicos diuersimodè occidendo, vnde tanta fuit ibi Sarracenorum strages, quòd

Casanus se comparat ad prælium.

Arte agit.

Instat hosti.

Discedit superior.

tota terra dispersa extitit corporibus mortuorum. Post conflictum, nocte illa requieuit Casanus in quodam loco, qui vocatur Cametum, gaudens & exultans ineffabiliter de triumpho, quem contra Sarracenos obtinuerat nutu Dei. Actum hoc anno Domini M. CCC. X. die Mercurij, ante festum natiuitatis Domini.

Cametum

(a) Suprà cap. 15. Ames, veteribus Emesa, Plinio Hemesa, Tyrio lib. 7. cap. 12. Camesa, patria Heliogabali Imp. vt Zosimus pag. 4. Idem pag. 11. Odenatum, maritum Zenobiæ, ibi interfectum ait.

CAPVT XLII.

De Victoria, quam habuit Casanus contra Soldanum AEgypti, & qualiter spolia diuisit inter socios.

HIs itaq; sic peractis, Casanus præcepit regi Armeniæ, & cuidam Duci Tartarorum, qui vocabatur Molay, quòd cum XL. millibus equitum Tartarorũ persequerentur Soldanum vsq; ad desertum Aegypti, quod distabat à campo belli per duodecim dietas, & vltrà, & præcepit, quòd apud ciuitatem Gaccaræ ipsum expectarent, aut eius mandatum. Rex igitur Armeniæ & Molay prædictus, cum XL. millibus Tartarorum ante Solis ortum recedentes, Soldanum fuerunt celeriter persecuti. Post triduum verò Casanus misit ad regem Armeniæ, quòd rediret, eo quòd intendebat obsidere ciuitatem Damasci, & præcepit, quòd Molay procederet, sicut habuerat in mandatis, Sarracenos omnes, quos capere poterat, perimendo. Soldanus verò quoq; fugit velociter, die noctuq; Dromedarios equitando, & in societate quorundam Beduinorum, qui eum conducebant, Babyloniam mirabiliter est ingressus. Alij verò Sarraceni diuersimodè fugerunt, quò quilibet opinabatur, se posse melius receptare; quorum magna quantitas perrexit per viam Tripolis, qui per Christianos habitantes in monte

Rex Armeniæ.
Molay.
Fuga Soldani.
Beduini.

monte Libani fuerunt interfecti crudeliter. Redeunte ergo rege Armeniæ ad Casanum, inuenit quòd ciuitas Casana reddiderat se Casano: & totum ærarium Soldani & exercitus sui, quod ibi erat, fuit ante Casani præsentiam deportatum, cuius multitudo extitit infinita: mirati fuerunt omnes super eo, quòd Soldanus tantas diuitias secum tulerat, dum intenderet præliari. Casanus ergo congregatis omnibus illis diuitijs, & omnibus spolijs, quæ lucrati fuerant Tartari, post triumphum diuisit omnia liberaliter inter suos; ex quibus omnes locupletes sunt effecti. Ego verò Fr. Haythonus, qui hanc historiam compilaui, interfui omnibus negotijs & prælijs, quæ Tartari habuerunt cum Soldano, à tempore Haoloni: sed nunquam vidi seu audiui dici de aliquo domino Tartarorum, qui plura faceret in duobus diebus, quàm fecit Casanus. Nam prima die belli cum parua societate suorum contra Soldanum, & magnam copiam inimicorum, prælium sustinuit, & de persona sua taliter se ꝓbauit, quòd inter omnes alios bellatores famam & laudem meritò est adeptus. Et de sua probitate inter Tartaros narrabitur in secula seculorum. Secunda verò die, tanta erat libertas & liberalitas cordis sui, quòd de omnibus diuitijs, & infinitis thesauris, quos acquisiuerat, sic inter suos distribuit, & diuisit; quòd in sua sorte non retinuit, nisi ensem vnum, & quoddam marsupium, in quo erant scripturæ terræ Aegypti, & innumerus exercitus Soldani & similia. Et omnia alia distribuit liberaliter, vt est dictum. Et hoc præcipuè erat admirandum, qualiter in tantillo corpusculo tanta virtutum copia inueniri poterat. Nam inter vicies mille milites vix potuisset staturæ minoris aliquis reperiri, neq; turpioris aspectus, omnes tamen alios in probitate & virtutibus excedebat. Et quia iste Casanus tempore nostro fuit, dignum est quòd de suis gestis plenius enarremus: & ille Soldanus, qui per Casanum extitit debellatus, adhuc viuit. Præterea illi, qui ad Sarracenorum intendunt præcipitium, & grauamen inferre volunt, multa poterunt sumere documenta, his historijs plenius intellectis.

Casanus potitur gaza Soldani.

Eiusdem liberalitas.

Elogium.

Postquam verò Casanus per quinq; dierum spacium requieuit, & inter suos diuisit spolia innumerabilia, vt superius est expressum, per dietas suas iter suum direxit rectà ad ciuitatem Damasci. Cumq; ciues Damasci cognouerunt aduentum, timuerunt valde, ne si Casanus eos caperet violenter, absq; misericordia perderentur. Vnde de consilio sapientum, & concordi omnium voluntate, suos ad Casanum nuncios transmiserunt, qui dederunt sibi multa dona, & ei claues ciuitatis etiam obtulerunt, ab eo misericordiam implorantes. Receptis ergo Xenijs & clauibus ciuitatis Damasci, præcepit Casanus nuncijs, quòd redirent, & victualia sufficientia exercitui præpararent, & nullatenus dubitarent, quia nolebat destruere ciuitatem, sed eam intendebat pro camera sua reseruare. Recedentibus itaq; nuncijs cum exultatione ingenti, Casanus post modicum equitauit ad flumen Damasci, in cuius littore tentoria sua fixit, & inhibuit, ne inferrentur damna aliqua ciuitati. Ciues verò Damasci miserunt plurima dona Casano, & de victualibus dederunt exercitui affluenter, mansitq; ibi Casanus per XLV. dies cum omnibus suis, præter XL millia Tartarorum, quos miserat cum Molay, qui apud ciuitatem Gaccaræ morabantur, Casani expectantes aduentum vel mandatum.

Damasceni dedunt se Casano.

Molay.

CAPVT XLIII.

De Capchick, qualiter fuit proditor erga Casanum, & restituit terras Soldano.

CVmq; Casanus taliter moraretur, & daret se solatio & quieti, ecce rumores venerunt de quodam suo consanguineo, nomine Baydo, qui ingressus fuerat regnum Persarum, damna Casano plurima inferendo; & quia dubitabatur, ne deterius faceret; consultum fuit Casano, quòd ad propria remearet. His itaq; rumoribus intellectis, Casanus præcepit maiori Duci sui exercitus, qui vocabatur

Baydonis rebellio.

¶ Vide an hic sit Nogas Scytha de quo & filio Tzaca Pachy. li. 9

Cotulossa

Cotuloſſa, quòd cum parte exercitus ad cuſtodiam regni Syriæ remaneret, & Molay, ac alijs Tartaris, qui erant in terris Gaccaræ mandauit, quòd obœdirent Cotuloſſæ, quē dimiſerat loco ſui. Poſt hæc ordinauit Caſanus Baiulos & Rectores ſuper qualibet ciuitate, & tradidit ciuitatem Damaſci Capchick, proditori ſuperius nominato; nondum enim Caſanus cognouerat velle ſuum. Poſtea vocari fecit ad ſe regē Armeniæ, & ſuum ſibi reſerauit receſſum, dicens: Libenter tradidiſſemus terras, quas acquiſiuimus, cuſtodiendas Chriſtianis, ſi veniſſent, & ſi venerint, Cotuloſſæ dabimus in mandatis, quòd eis reſtituat omnes terras, quas hactenus tenuerunt, & ad reparationem caſtrorum det eis ſubſidium opportunum. His omnibus ſic completis, Caſanus arripuit iter ſuum tendens verſus Meſopotamiam. Cumq; ad flumen Eufraten perueniſſet, mandauit Cotuloſſæ, vt dimiſsis Molay XX. millibus Tartaris ad eum cum reſiduo exercitu accedere feſtinaret. Cotuloſſa quidem fecit, ſicut receperat in mandatis, vnde Molay ſtetit in cuſtodia regni Syriæ pro Caſano, & ſuadente Capchick proditore, Molay ſe tranſtulit verſus partes Hieroſolymitanas, in quodā loco nominato Gaur, vt ibi pabula pro equis & alia neceſſaria inueniret. Æſtiuo verò tempore veniente, Capchick prædictus, qui erga Caſanum jam dudum conceperat falſitatem, occultè miſit ad Soldanum, quòd redderet ſibi Damaſcum & alias terras, quas Caſanus & Tartari occupauerant in regno Syriæ. Et Soldanus promiſit Capchick, quòd ſi ea, quæ promiſerat, adimpleret, ſibi daret perpetuò dominium ciuitatis Damaſci, & de theſauro ſuo etiam magnam partem, & ſororem ſuam ſibi traderet in vxorem; & ita poſt modicum temporis ſpacium, Capchick rebellis effectus, fecit omnia caſtra Tartaris rebellare: ſpes enim illorum erat æſtus æſtiui temporis, in quo Tartari non poterant equitare, neq; ſuis ſubſidium impertire. Quando Molay vidit, quòd omnes terræ rebelles factæ fuerunt, non fuit auſus ſtare cum tam modica gentium quantitate, vnde per viam breuiorem ſe tranſtulit ad regnum

Cotuloſſa Caſani legatus.

Capchick præfectus Damaſci.

Molay Cotuloſſæ ſucceſſor.

Capchick prodit Damaſcum Soldano.

Fuga Molay.

gnum Mesopotamiæ, & notificauit Casano omnia, quæ in regno Syriæ euenerant, seriatim. Casanus verò tunc non potuit aliud facere per æstum temporis. Sed veniente tempore hyemali, super littora fluminis Euphrates suum fecit maximnm apparatũ, & transmisit Cotulossam cum XXX. millibus equitibus Tartaris, & præcepit, quòd quando ad partes Antiochiæ perueniret, regem Armeniæ conuocaret, & alios Christianos partium Orientis & Cypri, & adiungeret eos sibi, & dum Casanus cum robore sui exercitus sequeretur, in regnum Syriæ introiret. Prædictus itaq; Cotulossa fecit, sicut habuit in mandatis. Acceptis itaq; XXX. millibus Tartarorum, per dietas suas perrexit, quousq; Antiochiam applicuit, & deinde misit ad regem Armeniæ, quòd veniret, vnde Rex Armeniæ cum suo exercitu equitauit. Christiani etiam, qui erant in regno Cypri, de aduentu Cotulossæ rumoribus intellectis, absq; moræ dispendio cum galeis, & alijs lignis, peruenerunt ad insulam Anteradensem, & ibi fuerunt, dominus Tyrenen. frater * regis Cypri, qui erat militiæ Dux & Rector, & Magistri domorũ, Hospitalis & Templi, cum conuentibus fratrum suorum; & dum parati essent voluntaria Christi seruitia adimplere, ecce rumor venit de quadam infirmitate Casani, à qua taliter vexabatur, quòd de conualescentia Medici desperabant, vnde Cotulossa cum suis Tartaris redijt ad Casanum. Rex etiam reuersus fuit in Armeniam, & alij Christiani, qui venerãt ad insulam Anteradensem, redierunt in Cyprum. Et ob hanc causam inceptum terræ sanctæ negotium fuit totaliter derelictum: hoc accidit Anno Domini M. CCC. I.

Cotulossa iteratò belli Syriaci legatum agit.

Christianorum auxiliares copiæ.

* Emerici Lusignani.

Morbꝰ Casani belli intermißi causa.

CAPVT XLIIII.

De maximo damno, quod habuerunt Tartari in planicie Damasci, propter aquarum abundantiam.

Anno

Casanus redintegrat bellũ Syriacum.

ANNO Domini M. CCC. III. Casanus congregato iterum exercitu copioso, cum magno apparatu peruenit vsq; ad flumen Eufraten, intendens regnum Syriæ introire, & sectam Mahumeti totaliter destruendo, terram sanctam liberam restituere Christianis. Sarraceni verò Casani timentes aduentum, & cùm in bello non confiderent se esse pares, totam terram eorum combusserunt ante faciem Tartarorum, ita quòd collectis frugibus & alijs in terra crescentibus, ac animalibus in castris & munitionibus congregatis, residuum totum ignibus deuastârunt, vt cùm Tartari venirent, non inuenirent victualia, neq; pabula pro iumentis.

Sarraceni sua vastãt

Quando Casanus intellexit ea, quæ fecerant Agareni, & qualiter dissipauerant totam terram, cogitans quòd equi illis in terris, taliter deuastatis, non possent sustentari, accepit consilium remanendi super littora fluminis Eufratis illa hyeme, & Veris tempore veniente, dum herbæ inciperent pullulare, perficere iter suum. Maiorem enim curam habebant Tartari de equis suis, quàm de seipsis; quia dum modico & vili cibo sciant esse contenti, de seipsis quodammodo non curabant.

Tartari equorum quàm sui studiosiores.

Tunc Casanus misit pro rege Armeniæ, qui sine tarditate veniens, super flumine se locauit. Et tanta fuit ibi gentis multitudo, quòd exercitus Casani per tres dietas extendebatur in longum, à quodam videlicet castro, quod vocatur Caccabe, vsq; ad aliud castrum, nominatum Labire; quæ quidã castra erant Sarracenorum, sed absq; insultu aliquo reddiderunt se Casano. Cumq; Casanus taliter moraretur, tempus congruum expectando, vt posset de Sarracenis perficere vota sua, & terram sanctam de ipsorum manibus liberare, ecce Diabolus obstaculum interiecit.

Baydonis iterata rebellio.

Nam Baydo superius nominatus, terras Casani iterum introiuit, & intulit damna multa, sicut Casano extitit enarratum. Vnde consultum fuit Casano, quòd ad propria remearet. Casanus quidem plurimum perturbatus, pro eo, quòd tam diu differebatur negotium terræ sanctæ, iussit Cotulossæ Duci suo, quòd cum XL. millibus Tartaris regnum Syriæ introiret, & ci-

Cotulossa tertiò legati munus obit.

uitatem Damasci caperet, & omnes perderet Sarracenos. Rex quoq; Armeniæ cum gente sua præfato Duci Cotulossæ est associatus. Casano itaq; ad propria redeunte, Cotulossa cum XL. millibus Tartaris; & rex Armeniæ cum suo posse, regnum Syriæ introiuerunt, omnia deuastantes, quo vsq; peruenerunt ad ciuitatem Hames, ibiq; crediderunt, sicut aliâs fecerant Aegyptij, exercitum inuenire, sed certos intelligentes rumores de Soldano, quod esset in ciuitate Gaccaræ, inde nullatenus egressurus. Obsederunt ergo viriliter ciuitatem Hames, quam post paucos dies violenter ceperunt, & indifferenter omnes Sarracenos gladio peremerunt, ibiq; inuenerunt diuitiarum copiam, & magnam multitudinem armatorum. Deinde verò se transtulerunt ad ciuitatem Damasci, vt eandem quoq; obsiderent, & ecce, ciues suos miserunt nuncios, supplicando, quòd eis concederentur induciæ triduanæ, quas inducias habuerunt. Præcursores verò Tartarorum, qui ferè per vnam dietam transiuerant iam Damascum, ceperunt quosdam Sarracenos, quos transmiserunt ad Cotulossam, vt per eos inquireret certa noua. Cotulossa ergo per illos Sarracenos rumoribus intellectis, quòd ibi prope circa duas dietas erant M. CC. equites Sarracenorum, qui aduentũ Soldani quotidiè expectabant, cum festinatione equitauit, vt ex improuiso illos caperet & teneret. Et quando Cotulossa & rex Armeniæ peruenerunt ad locum, vbi erant M. CC. equites Sarracenorum, erat quasi hora vespertina, & paulo antè applicuerat iam Soldanus. Cotulossa ergo & rex Armeniæ, qui credebant occupare solos illos M. CC. Sarracenos, videntes se in sua opinione deceptos, steterunt vt consilium caperent. Consultum itaq; fuit Cotulossæ, quòd requiesceret nocte illa, & inimicos in crastino impugnaret, cùm dies iam ad vesperam declinasset. Cotulossa verò, qui vilipendebat Soldanum, & etiam gentem suam, noluit in hoc casu quiescere consilio alicuius, imò præcepit festinanter acies ordinari. Sarraceni verò hoc videntes, steterunt, quia à quodam lacu, & quodam monte erant à duabus partibus

Rex Armeniæ.

Hames per vim capta.

Damascus obsessa.

Cotulossæ irritus conatus.

Peruicacia.

tibus

tibus præmuniti. Et scientes, quòd Tartari absq; eorum discrimine ad eos accedere non valebant, noluerunt exire ad pugnam, sed ibi firmiter expectauerunt. Cumq; Tartari crederent absq; obstaculo inuadendos Sarracenos, ecce quendam ante se riuulum inuenerunt, qui in certis locis transitum nõ habebat, vnde tardauerunt Tartari multum, antequam possent transire riuulum supradictum. Sed postquam Cotulossa, & rex Armeniæ, cum maiori parte suorũ riuulum transiuerunt, in inimicos viriliter insultârunt. Soldanus stetit, nec de loco quidem, vbi erat, inter lacum & montem voluit se mouere. Noctis verò caligine appropinquante, dum videret Cotulossa Soldanum stantem, & nolentem ad pugnam egredi, vt sperabat, congregatis suis iuxta montem, nocte illa quieuit. Veruntamen circa M. Tartarorum, qui non potuerunt eo die riuulum pertransire, non fuerunt cum alijs nocte illa. Veniente verò die, ad pugnandum Tartari se parauerunt, & in Soldanum viriliter insultârunt; sed Soldanus noluit in campum venire more bellorum, sed stetit in illo tutiori loco, cum gente se, quantum poterat, defendendo. Tartari verò conabantur extrahere Sarracenos, sed nullo modo potuerunt. Durante verò insultu à mane vsq; ad nonam, propter defectum aquæ, quam non inuenerant nocte illa, nec die, tædio & siti nimium fatigati, retrocesserunt, & dimisso Soldano, recesserunt vnus post alium paulatim per turmas & acies ordinati, quovsq; peruenerunt ad planiciem Damasci, ibiq; inuenerunt abundantiam magnã aquæ & pascua valde bona, & ordinatum fuit ibi stare, quo vsq; hominibus & equis daretur requies opportuna, vt postmodum melius possent redire ad prælium cum Soldano. Habitatores verò Damasci scientes, quòd exercitus Tartarorum erat in illa planicie collocatus, quadam nocte aquas fluminis per quosdã meatus & riuulos discurrere permiserunt, & antequã octo horæ noctis illius pertransissent, aquæ in tantum creuerũt vbiq;, quòd Tartari coacti sint surgere, & recedere festinantes. Cumq; nox illa esset multum tenebrosa, & fossata forent

Soldanus bellator & prudens.

Damasceni inundationibus fugant hostem.

rent omnia plenæ aquis, & nulli tramites apparerent, omnes fuerunt quasi confusi, & multa animalia, arma & arnesia amissa fuerunt in illa planicie, propter aquas, & etiã plures homines suffocati, & inter cæteros Rex Armeniæ plura dicitur amisisse. Veniente verò die per gratiam Dei aquarum pericula euaserunt. Sed cùm arcus & pharetræ Tartarorum, cum quibus præcipuè præliantur, ac alia arma ipsorum essent totaliter madefacta, quòd illa non poterant exercere, inde fuerunt taliter stupefacti, quòd si inimici eos persecuti fuissent, nullus penitus euasisset, imò illos velut aues capere potuissent. Post hæc verò paulatim Tartari propter illos, qui equos suos amiserant, incedentes, ad littora fluminis Eufratis sunt reuersi, nec aliquis inimicorum ausus fuit illos sequi, siue inuadere quoquomodo, quandoquidem peruenerunt ad flumen, quòd transire oportuit natando, & sic melius fieri poterat super eqs, dum flumen illud esset turbidum & inflatum propter abundantiam pluuiarum: multi Armeni perierunt in illo, etiam Tartari & Georgiani, & multi equi fuerunt in flumine suffocati: & sic accidit, quòd nõ per potentiam inimicorum, sed casu & malo consilio tanquam confusi, ad propria redierunt. Hoc quidem dicitur euenisse, eo quòd Cotulossa nolebat acquiescere consilio alicuius. Nam si sapientibus credidisset, illa potuisset pericula faciliter euitasse. Egò enim Fr. Haythonus, huius historiæ compilator, præmissis omnibus præsens fui, & si fortè super hac materia loquor prolixius, quàm decet, mihi quæso venia tribuatur. Nam hoc facio, vt in casu simili, similia discrimina valeam reminisci. Rebus enim consultè actis, consueuerunt fines laudabiles obtinere, & econtra, quæ improuidè fiunt, optatis successibus sæpius carent. Postquam itaq; Rex Armeniæ flumen Eufraten pertransiuit non sine damno suorum, decreuit ire ad Casanum, antequam ad regnum Armeniæ remearet, vnde recto tramite perrexit ad ciuitatem Niniue, in qua Casanus tunc residebat. Et Casanus regem suscepit honorificè & benignè, & super amissionibus atq; damnis

Tartarorum periculum.

Cotulossæ arrogãtia causa cladis.

Vsus exẽplorum.

Rex Armeniæ proficiscitur ad Casanum.

Regi

Regi plurimum est compassus, vnde eidem fecit gratiam specialem. Nam sibi concessit mille Tartaros, qui suis expensis semper essent stantes in custodia regni sui. Et de regno Turquiæ præcepit Casanus certam quantitatem pecuniæ Regi dare, de qua posset alios mille equites stipendiarios ad suum placitum retinere. Rex igitur accepta licentia ad regnum Armeniæ est reuersus, & Casanus ei iniunxit, quòd prudenter vigilaret circa custodiam regni sui, quousq; ad subsidium terræ sanctæ personaliter, dante Domino, posset ire.

Subleuatur milite & pecunia.

¶ ἡ τῶν γεγενημένων πράξεων μνήμη τῆς περὶ τῶν μελλόντων εὐβουλίας γίνεται παράδειγμα. *Plutarchus.*

CAPVT XLV.

Qualiter Casanus ante mortem suam Carbagandan, suum fratrem, successorem in regno constituerit.

REx itaq; Armeniæ ad terram suam rediјt, sed postquam ibi applicuit, parum habuit de quiete. Post hæc verò, sicut Deo placuit, Casanus fuit quadam graui infirmitate detentus. Et quia sapienter in vita sua egerat, voluit etiã vltimo commendari, vnde suum sapienter condidit testamentum; & sibi instituit hæredem & successorem Carbagandan fratrem suum. Postquam ordinauit prudenter ea, quæ erant ordinanda, circa negotium regni sui, & domus suæ, fecit pulchras constitutiones & leges, quas suis dimisit in memoriam, quæ quidẽ à Tartaris firmiter obseruantur. Post hæc Casanus diem clausit extremum, & successit sibi in regno Carbaganda, frater suus. Iste Carbaganda fuit filius cuiusdam bonæ memoriæ dominæ, quæ fuit vocata Erockcaton, quæ fuit in fide Christi deuotissima, & fidelis, & quàm diu vixit, faciebat sibi diuina officia quotidie celebrari, & tenebat Christianum Presbyterum & Sacellum, vnde iste Carbaganda fuit baptisatus, & nominatus in suo

Casani morbus. *Testamentum.* *Mors & Carbagãda Fr. & successor.*

baptismate Nicolaus, & quàm diu mater eius vixit, in fide Christianorum permansit. Sed post obitum dominæ matris suæ, dilexit societatem Sarracenorum, vnde fide Christianorum relicta, adhæsit sectæ perfidi Mahumeti. Rex verò Armeniæ de obitu Casani fuit plurimū perturbatus. Nam per hoc inimici fuerunt in magna superbia eleuati.

E Christiano fit Sarracenus.

Vnde accidit, quòd Soldanus Regem habebat valde exosum, & etiam gentem suam. Nam per totum illum annum ferè mense quolibet Soldanus Babyloniæ misit magnam copiam armatorum, qui totum regnum Armeniæ deprædabantur, & præcipuè planiciem circundabant, damna multa sæpius inferendo, & sic nunquam scitur, regnum Armeniæ tantam habuisse molestiam temporibus retroactis. Sed Deus omnipotens & misericors, qui sperantes in se nullatenus dereliquit, compassus est miserabilibus Christianis. Vnde accidit mense Iulij, vt septem millia Sarracenorum, de melioribus domibus Soldani, regnum Armeniæ fuerint ingressi, & iuerint omnia deuastando vsq; ad ciuitatem Tarsensem, in qua B. Paulus Apostolus natus fuit. Et cùm multa damna intulissent prouinciæ, & redirent, ecce Rex Armeniæ, suis vndiq; congregatis, Sarracenis deprædatoribus obuiauit, & prope ciuitatem Ayatij bellum inijt cum eisdem; sed nutu Dei potius quàm bonitate nostra, prædicti Sarraceni fuerunt totaliter debellati, quòd de illis septem millibus Sarracenorum non euaserunt trecenti, qui non essent capti, aut diro gladio interempti, licet ferocitate sua crederent inuadere totum Regnum, & Christianos regni Armeniæ in vno hiatu gutturis absorbere: & hoc actum fuit quadam die Dominica XVIII. mensis Iulij. Post illum conflictum Sarraceni non fuerunt ausi regnum Armeniæ introire, & misit Soldanus Aegypti, & treugas cum rege Armeniæ inijt, & firmauit.

Soldanus AEgypti vexat Armeniam.

Rex hostiles copias feliciter profligat.

E victoria pax.

☿ *Chazane, Orientalium Scytharum Duce mortuo, vnà spes omnis Byzantini imperij mortua est. Pachymerius lib. 12.*

CA-

CAPVT XLVI.

De distinctionibus huius operis, & qualiter habuit originem.

EGo verò Fr. Haythonus interfui omnibus prælibatis; qui dudum proposueram habitum sumere regularem; sed propter inconuenientia discrimina & ardua negotia regni Armeniæ, dum honore meo non poteram in tantis necessitatibus derelinquere consanguineos & amicos. Vnde postquam Deus sua pietate mihi concessit gratiam dimittendi regnum Armeniæ, & populum Christianum, post multos labores meos, in statu pacifico & quieto, confestim votum, quod diu voueram, volui adimplere. Accepta itaq; licentia à Domino meo Rege, & ab alijs consanguineis & amicis, in campo illo, vbi Deus de inimicis triumphum concesserat Christianis, arripui iter meum, & perueniens in Cyprum, in monasterio Episcopæ, Præmonstratensis ordinis, suscepi habitum regularem, vt qui in iuuentute mea militaueră mundo, in seruitijs Dei residuum vitæ meæ, pompis huius seculi relictis, consumerem; Anno Domini M. CCC. V. Gratias igitur ago Deo, quoniam regnū Armeniæ hodie est in statu æquo, bono & pacifico reformatum, præcipuè per modernum regem Dominum Liuonum, filium quondam domini Theodori, qui tanquam indolis gloriosæ virtutibus illustratus, omnibus regentibus est speculum gratiosum. Et firmiter creditur & speratur, quòd in diebus istius Regis iuuenis, qui bonitate suos antecessores præcellit, cum auxilio Dei regnum Armeniæ ad statum pristinum reducetur. Præterea huius operis compilator, ea quæ narrat & scribit in isto libro, tribus modis asserit se sciuisse. Nam ab initio Changij Can, qui fuit primus Imperator Tartarorum, vsq; ad Mango Can, qui fuit quartus Imperator, narrat ea fideliter, quæ in Tartarorum historijs continentur. A Mango Can verò, vsq; ad mortem Haoloni, ea quæ narrat & scribit, sciuit & audiuit per Dominum auunculum suum, quod dominum Haythonum,

Auctor de se.

Assumit habitum monasticum.

Liuonus rex cæterorum regum exemplar.

Historiæ huius fides.

regem

Haythōus rex studet rerum memoriæ. regem Armeniæ, rescribere fecit, qui præsens fuit illis temporibus, omnibus prænotatis, & cum magna diligentia narrabat hæc filijs & nepotibus, & faciebat redigi in scriptis, vt melius memoriter tenerentur. Ab initio quidem Abagæ Can, vsq; ad finem tertiæ partis huius libri, vbi finem capiunt historiæ Tartarorum, sciuit ipse, tanquam ille, qui præsens fuit, vnde de his, quæ suo tempore euenerunt, perhibet testimonium veritati. Et licet hucusq; narrauerimus de historijs & gestis Tartarorum, adhuc restat de ipsorum dominio & potentia, præcipuè qui non viuunt, aliquid referandum, vt melius cognoscantur.

¶ Vide quæ suprà habet cap. 42.

CAPVT XLVII.

De Tamor Can, sexto Imperatore Tartarorum, & de potentia sua, & subiectorum suorum.

TAMOR Can. MAgnus itaq; Imperator Tartarorum, qui nunc tenet imperium, vocatur Tamor Can, & est sextus Tartarorum Imperator: sedem imperij sui tenet in regno Cathay, in quadam maxima ciuitate, quæ vocatur Ions, quam ædificari fecit pater suus, sicut * superius est expressum. **cap. 20.* Potentia quidem eius est valde magna: plus enim posset Imperator solus ille, quàm omnes simul alij principes Tartarorum. Gentes istius Imperatoris reputantur nobiliores & ditiores, & sunt melius munitæ necessarijs; quoniam in regno Cathay, in quo nunc degunt, diuitiarum multarum abundantia maxima inuenitur. Præter magnum Imperatorem sunt alij tres magni Reges & principes Tartarorum, quorum vnusquisq; dominium magnum tenet, *Inferiores Tartarorū reges.* obœdiunt tamen Imperatori, tanquam eorum domino naturali. Et quæstiones, quas inter se habent, ad Imperatoris curiam deferuntur, & per eius iudicium deciduntur. Primus quidem istorum Regum vocatur Chapar, alter vocatur Hochtay, & alius Carbanda appellatur. *Chapar.* Iste Chapar domi-

dominium suum tenet in regno Turquestan, & magis appropinquat genti Imperatoris quàm alij. Potest etiam, vt dicitur, ad pugnam cógregare quater centum millia equitum armatorum. Homines illi sunt audaces, & strenui bellatores, non tamen habent equorum, siue armorum abundantiam, sicut necessarium esset eis. Multotiens gens Imperatoris mouet istis guerram, & isti quandoq; mouent guerram contra Carbanda & gentem suam. Dominium istius Chapar antiquitus fuit vnius domini per magnã partem, qui * Doay nomine appellabatur. Hochtay Rex Tartarorum dominium suum tenet in regno Cumaniæ in quadam ciuitate, quæ vocatur Sara. Potest etiam, sicut dicitur, congregare ad pugnam sexcenta millia equitum bellatorum: isti non tantum commendantur in facto armorum, sicut gentes Chapar, licet equos habeant meliores. Quandoq; mouent guerrã contra gentem Carbanda, quandoq; contra Vngaros, quandoq; inter se rixantur. Præsens verò Hochtay dominium suum tenet pacificè & quietè. Carbanda suum habet dominium in regno Asiæ maioris, & moratur in ciuitate Taurisij; ducere potest ad pugnam tercentum millia equitum bellatorum. Isti sunt à diuersis partibus congregati, diuites sunt, & omnibus necessarijs benè muniti. Chapar & Hochtay quandoq; mouent guerram contra prædictum Carbanda. Carbanda verò nulli guerram mouet, nisi Soldano Aegypti, contra quem sui antecessores sæpius pugnauerunt. Chapar & Hochtay libenter auferrent terram & dominium Carbandæ, si valerent, sed non possunt, licet potentiores sint eo terris & gentibus, vt dictum est. Et hæc est ratio, qualiter Carbanda potest resistere tantæ potentiæ inimicorum, & defendere terram suam. Asia enim tota in duas partes est diuisa, vna enim pars dicitur Asia profunda, & in illa parte habitat Imperator & duo reges superius nominati, Chapar videlicet & Hochtay. Alia verò pars vocatur Asia maior, & in illa moratur Carbanda sæpè dictus. Tres viæ sunt solummodò, per quas itur de profunda Asia ad Asiam maiorem;

Hochtay.

* Forsan Doax, de quo cap. 20.

Carbanda qui suprà cap. 45. Carbagan da.

Duplex Asia.

vna videlicet via, per quam itur de regno Turquestan ad regnum Persarum. Alia via est, quæ dicitur le Derbent, quæ via est prope mare, vbi Alexander construxit ciuitatem, vocatam Portam ferri, sicut in historijs regni Cumaniæ plenius continetur. Alia via est per mare maius, quæ transit per regnum Abcas. Per primam viam non possunt habere ingressum gentes Chapar ad terram Carbanda absq; magno discrimine & labore, quia nulla pabula inuenirentur pro equis, vsq; ad plures dietas, quia terra illa est arida & deserta, & antequàm possent peruenire ad terras cultas & habitatas, equi totaliter deficerent ꝓpter famem; aut essent ita fessi, & viribus vacuati, quòd à parua quantitate inimicorum possent faciliter debellari, & sic nolunt capere illud iter. Ex parte verò de le Derbent, possent gentes Hochtay habere ingressum ad terras Carbanda, sex mensibus anni solummodo, videlicet tempore hyemali. Sed Abaga fecit fieri magna fossata, & alia munimenta, in quodam loco vocato Ciba, & ibi stat semper, præcipuè tempore hyemali, custodia armatorum, qui defendunt transitum ab inimicis. Gentes verò Hochtay toties tentauerunt occultè transire per viam, sed non potuerunt, vel possent aliqua ratione. Nam in quadam planicie, quæ vocatur Monga, stant in hyeme quædam aues magnitudinis fasionorum, quæ pulcherrimas habent plumas, & vocantur Seyserach, vnde quando aliquæ gentes ingrediuntur illam planiciem, statim fugiunt illæ aues, & transeunt per illas custodias & fossata, & illi, qui sunt deputati ad custodiam illius loci, per illas aues manifestè cognoscunt inimicorum aduentum, & ad defensionem continuò sunt parati. Per viam verò maioris maris nunquam attentauerunt ire, quia ibi est regnum Abcas, quod est gentibus & terris benè munitum, & nullam possent habere fiduciam in eisdem, & hoc modo Carbanda, & sui antecessores, vsq; modo defenderunt se à tanta potentia vicinorum. Insuper aliqua dicemus breuiter de modis & moribus Tartarorum.

le Derbēt. *Regnum Abcas.* *Abaga.* *Seyserach aues.*

CA-

CAPVT XLVIII.

De fide, vita, moribus, conditionibus Tartarorum.

Tartari sunt ab alijs nationibus gentium modis & moribus sic diuersi, quòd vix posset absq; tædio ipsorum diuersitas explicari. Confitentur enim vnum Deum esse immortalem, & inuocant nomen Dei, aliter verò parum faciunt, quia non ieiunant, vel orationes, siue afflictiones, faciunt ob Dei reuerentiam, siue alia bona opera. Nec Dei timore mala perpetrare permittunt Tartari. Homines interficere non reputant esse peccatum: & si dimitterent frenum in equorum suorum ore, quando pascere se deberent, Deum crederent mortaliter offendisse. Fornicationem & luxuriam non reputant esse peccatum. Plures vxores ducunt, & oportet secundum consuetudinem, quòd filius nouercam suam ducat post obitum patris sui, & frater relictam fratris, & thorum faciunt cum eisdem. Tartari in facto armorum sunt strenui bellatores, & sunt obœdientes eorum superiori, plus quàm aliæ nationes; & in pugna omnes citò cognoscunt per signa & documenta voluntatem Ducis eorum, vnde absq; magno labore Tartarorum exercitus ab illis, qui præsident, gubernantur. Dominus Tartarorum nulla stipendia dat eis, imò oportet quòd viuant de prædijs & venationibus, quas acquirunt, & si vellet Dominus, posset ab eis auferre quicquid haberet. Quando Tartari equitant, secum ducunt magnam copiam armatorum, & de lacte equorum pocula sumunt, & carnibus vescuntur, & illas reputant valde bonas. Tartari in equis sunt agiles, & sagittarij valde boni: pedites nesciunt incedere, nisi pigrè. Tartari sunt sagaces, & ingeniosi ad expugnandas ciuitates & castra, & semper volunt habere prærogatiuam contra suos inimicos. In pugna nec verentur fugere, si fuga prosit. Hanc habent Tartari prærogatiuam, in campo belli existentes, quia si eis placuerit, prælia buntur, & si voluerint prælium euitare, aduersarij cum eis

Tartarorum religio.

Impunitas homicidiorum.

πολυγαμία.

Militia.

ἰχθυοφαγία.

Mos praeliandi & fugiendi.

eis non poterunt dimicare. Pugna Tartarorum est valde periculosa, quia in vno conflictu moriuntur plures Tartarorum & vulnerantur, quàm in vno magno prælio alterius nationis, & hoc accidit propter sagittas, quas iactant cum arcubus fortiter & directè, & sunt in arte sagittandi ita periti, quòd sagittæ eorum ferè armorum penetrant omne genus. Quando debellantur, fugiunt omnes simul per turmas & acies ordinati, & valde periculosum est illos sequi, quoniam retrogradè sagittas iaciunt fugiendo, & homines & equos vulnerant, & occidunt. Exercitus Tartarorum non est magnæ apparentiæ, quia omnes simul congregati incedunt, ita quod acies mille Tartarorum, quingentorum apparentiam vix habeat. Tartari curialiter hospites suscipiunt, & cibum libenter diuidunt cum eisdem, & volunt sibi per viam similem responderi, alioquin accipiunt violenter. Tartari sciunt occupare alienas terras, sed ipsas nesciunt custodire. Tartari, quando sunt debiliores, efficiuntur humiles & benigni, & quando sunt fortiores, sunt pessimi & superbi. Tartari nolunt, quòd coram eis aliquis mentiatur, & ipsi libentissimè mentiuntur: in duobus tamen mentiri nesciunt, in facto armorum videlicet, quia nullus erit ausus de probitate, quam non fecerit, se iactare, aut negare, si fecerit vilitatem. Aliud est, quòd qui scelus aliquod fecerit, de quo etiam debeat condemnari ad mortem, interrogatus à domino, veritatem continuò confitetur. Et hæc de Tartaris dicta sufficiant, quia longum esset mores ipsorum per omnia enarrare.

Hospitalitas.

Mentiendi studiũ.

CAPVT XLIX.

De conditione, quam habere debet bellum incepturus.

RAtio postulat & requirit, quòd quicunq; contra suos inimicos guerram mouere intendit, debeat quatuor
I. præuidere. Primò, quòd iustam causam habeat, guerram
II. cum suis aduersarijs inchoandi. Secundò, considerare debeat

beat posse suum, vtrum sufficiat in expensis & alijs necessarijs ad guerram manu tenendam, & ipsam sine debito terminandam. Tertiò inuestigare debet sapienter inimicorum intentionem & statum. Quartò guerram debet inchoare tempore competenti. Ego verò Fr. Haythonus, qui ex mandato summi Pontificis sum de hac materia locutus, dicere possum, quòd Christiani iustam habent causam guerram mouendi cum filijs Ismaëlis, quoniam hæreditatem eorum obtinent occupatam, videlicet terram sanctam, & sanctum sepulchrum Domini nostri IESV Christi, in quo fuit origo fidei Christianæ, & alia sancta loca, Christianis plurimum reuerenda. Insuper propter atroces iniurias, & nimium horrenda opprobria, quæ cum multa nostri sanguinis effusione Agareni intulerunt Christianis temporibus retroactis, & etiam propter alias rationes & causas varias & diuersas. De potentia verò dico, quoniam nemo debet penitus ignorare, quin sacrosancta Romana Ecclesia, quæ totius orbis est domina & magistra, potentiam habet cum congregatione Regum & Principum Christianorum, & fidelium cruci signatorum, terram sanctam eruendi de seruitute inimicorum fidei Christianæ, qui peccatis nostris exigentibus illam detinent occupatã. De cognoscendo verò statu inimicorum, hocq; de tempore competenti, in quo guerra debeat inchoari, oportet prolixius aliqua enarrare. Nam sicut bonus Medicus, vt ad conualescentiam ægrum perducat, causam debet ægritudinis perscrutari: Ita decet prouidum bellatorem inimicorum inuestigare conditionem & statum, vt guerram possit incipere prouidè & audacter, & illi finem laudabilem imponere. Sapienti enim & strenuo Duci nihil debet esse occultatum de potentia inimici, quoniam præuisa non lædunt, & improuisa consueuerunt sæpius animos perturbare, præcipuè in bellorum discrimine vbi loci, vel temporis spacium non habetur, periculis occurrere tam paratis. In omni enim opere potest correctionis medela facilius adhiberi, quàm in pugna, in qua pœna errorẽ continuò sequitur

III. *IIII.* *Causæ belli sacri.* *Ecclesia Rom.* *Prudentia imperatoris officium.*

Vt igitur de his, quæ dicturi sumus super passagio terræ sanctæ, clarior intelligentia adhibeatur, aliqua narrabimus de statu & conditione terræ Aegypti, de exercitu Babyloniæ, & potentia inimici.

CAPVT L.

De conditione regni Aegypti, & Soldani potentia.

Melecnaser Soldāg Aegypti. Soldanus ille, qui regnorum Aegypti & Syriæ hodie obtinet principatum, vocatur Melecnaser, & de natione Cumanorum extitit oriundus. Milites sui exercitus sunt de diuersis partibus & nationibus congregati, quia habitatores illarum partium in facto armorum nihil penitus sunt valentes, vnde oportet, quòd de alienis gentibus eius potentia roboretur. Potentia quidem Soldani peditum armatorum est modica, equitum verò est plurimum copiosa. Maior pars exercitus Aegypti sunt serui empti precio, quos mali Christiani sæpe portant cupiditate lucrandi, aut in prælijs acquisiti, quos compellunt eorum sectæ & fidei adhærere. Et illi, qui empti precio pecuniæ extiterunt, chariores sunt & habentur, & plus alijs honorantur. Soldanus Aegypti semper est timidus & suspectus, ne gens sua in eius præcipitium aliqua machinetur. Sunt enim illi serui talis naturæ, quòd semper aspirant ad dominium occupandum. Et ob hanc causam plures Soldani gladio perierunt. Potentia exercitus Babyloniæ circa XX. millia potest esse equitum, ex quibus sunt aliqui in arte armorum periti, & strenui bellatores, maior tamen pars illorum magni precij non habetur. Quando Soldanus equitat, & gens sua, magna & multa Arnesia secum trahunt, & onera Camelorum, equos pro armis habent satis bonos, & equas satis agiles ad currendum, non tamen possunt magnos sufferre labores, & mularum & ronimorum copiam non habent. Exercitus Soldani est promptus ad seruitia, & paratus, quia milites habitant omnes simul in ciuitate Chayri.

¶ Vide hac de re accuratiq explicātē Nicephorū Gregoram lib. 4. pag. 14. a.

Seruilis militia.

Soldanorū periculosus status.

Copiæ equestres.

¶ Variat Itinerarium Montevillani Angli.

Conditio

Conditio verò ipsorum est talis, quia vnusquisq; habet stipendia sua, de quibus viuit, quæ in summa centum & viginti florenos annuatim vix excedunt, & oportet tenere tres equos & vnum Camelum. Et si fortè Soldanus Aegypti extra regnum duceret gentem suam, aliquid daret sibi, si vellet, de gratia speciali. Milites verò istos dat Soldanus ad regendos proceribus suis, quos nominant Amuratos, & dat alteri centum, alij ducentos, plus vel minus, sicut ei placebit, & quantum ascendunt in summa stipendia militū, quos concesserit Amurato, tantundem dabit Soldanus illi Amurato pro sua persona, & soluit sibi etiam stipendia militum, quos tenebit; vnde illi, quem Soldanus voluerit ad magna promouere & honorare, dat sibi plures milites ad tenendum. Secundum verò ordinem prætaxatum, magna fit Soldano derogatio seruitiorum, & defectus; quia Amurati emunt seruos precio pecuniæ, & ponunt illos ad stipendia, & in numero militum armatorum, aut ponunt ad seruitia gentem parui precij, quibus concedunt equos & arma, & pro suis stipendijs dant eis aliquid, & residuum totum conseruant, vnde in multis talibus pauci inueniuntur, qui sunt ad arma valentes.

Mos erogandi stipendia.

Amurati.

¶ *De his Ameribus (sic enim vocat) diligentius Ioann. Leo Afer li. 8. Eorundē fraudulētum institutum.*

CAPVT LI.

De potentia Soldani in regno Syriæ.

POtentia verò Soldani in regno Syriæ circa quinq; millia militū potest esse, qui de terris & redditibus viuunt. Habet etiam Soldanus magnam copiam Beduinorum & (a) Turquorum, qui sunt aduenæ & forenses, de quibus magnum habet iuuamen, præcipuè ad obsidendum ciuitates & castra, quia secum vadunt sola intentione aliquid acquirendi. Ad alia verò seruitia non posset Soldanus illos trahere absq; stipendijs, & si fortè vellet illis violentiam inferre, ipsi recederent sine mora, Turquimani videlicet ascenderent magnos montes, & desertum Arabiæ peterent

Beduini.

Beduini. Aliquos etiam habet Soldanus pedites sagittarios in terra de Malbeck, & circa montem Libani, & in terra Assassinorum, qui etiam ad castra & ciuitates obsidendas seruitia magna præstant, sunt enim Christianæ fidei inimici, valde ingeniosi ad ciuitates capiendas & castra, quas capere sciunt per machinas, arcus, balistas, ignes inextinguibiles, meatus subterraneos, & alia diuersa genera insultandi.

Terra Assassinorū.

(a) Qui ijdem Turquimani, vt paulo pòst. Vide quæ de Beduinis habent Brocardus & Bartholomæus à Saligniaco. Loquitur de ijsdem Vartomanus lib. 2. cap. 2. loquitur Rudolphus Suchensis, sed vt ille corrupto sono Banduin, hic Balduinos nominet. Et refero ad eosdem Arnoldi Lubec. locum lib. 7. cap. 10. qui noua deprauatione Oduinos nuncupat, vti Chronicon Hierosol. Bidumi, id est Idumæi esse videntur. Iam & de Turquis, seu Turquimanis addendum erat, hos speculum Vincentij lib. 30. ca. 44. Turcomanos appellare, atq; ita appellare, vt voce ista Syriæ latrunculos intelligat. Idem Beduinos memorat lib. 32. cap. 94. Item noster auctor suprà cap. 36. & 42.

CAPVT LII.

De regno AEgyptiorum, qualiter de gente in gentem translatum est.

IMperator Græcorum consueuit terræ AEgypti dominiū obtinere, & per Duces & rectores terram illam regebat, qui redditus colligebant, & Imperatori Constantinopolin transmittebant, & durauit dominium Græcorum vsq; ad annos Domini D. CC. III. AEgyptij verò nequeuntes pati dominium Græcorum, à quibus mirabiliter grauabantur, reddiderunt se Sarracenis, & elegerunt Dominum super eos quendam de progenie Mahumeti, quem vocauerunt Caliph, & tenuerunt isti dominium AEgypti annis CCC. XLVII. Postea verò amiserunt dominium, & Medi, qui

Aegyptus imperij Rom. prouincia.

Caliphorū initium.

Cordini

Cordini vulgariter appellantur, dominium occupauerunt, *Cordini.* sicut clarius inferius exprimetur. Anno Domini M. LIII. bonæ memoriæ * Amauricus, Rex Hierosolymitanus, cum * Almericus. omnibus Christianis, quos potuit congregare, ingressus fuit terram Aegypti, & plures acquisiuit ciuitates & villas. Caliphus verò videns, quòd non poterat resistere Christianis, misit nuncios ad Soldanum Halappi, implorans subsidium ab eodem: vnde Soldanus Halappi, qui sectam sequebatur Caliphi, misit ad subsidium Caliphi quendam suum Ducem, qui vocabatur Xaracon, cum magna copia armatorum, qui tantum fecerunt, quòd de regno Aegypti fugauerunt Christianos, & recuperauerunt terras, quas occupauerant Christiani. *Sarracon.* Post hæc quidem accidit, vt videret terram Aegypti diuitijs opulentam, & Caliphi potentiam quasi nullam: ideo ad illius terræ dominium aspirauit: vnde cœpit Caliphum personaliter, & illum carceri mancipauit, & regnum Aegypti inuasit viriliter, & ipsum dominio suo subdidit, & constituit se dominum & Soldanum. Iste Xaracon fuit de regno Medorum, de natione * Corasminorum, & fuit de natione sua primus dominus in Aegypto. *Cordinorum, nã suprà Corasminos planè diuersam nationẽ fecit.* Post obitum verò Xaracon, successit sibi in dominio quidam filius suus, nomine Saladinus, & tantum creuit potentia istius Saladini, vt ipse regem Hierosolymitanum & Christianorum potentiam debellârit, & ceperit violenter sanctam ciuitatem Hierosolymitanam, & alias plures terras. *Saladinus* Et post obitum istius Saladini, fratres sui & nepotes successiuè Aegypti dominium tenuerunt vsq; ad tempus cuiusdam Soldani, qui vocatus fuit Melecsala. Iste *Melecsala* Melecsala dominabatur in Aegypto tempore illo, quo Tartari subiugauerunt regnum Cumanorum. Et audiens, qualiter Tartari pro modico precio vendebant Cumanos, quos ceperant, misit cum magna summa pecuniæ per mare mercatores, & fecit emi de iunioribus Cumanis in maxima quantitate, qui fuerunt deportati in Aegyptum. *Cumanorum primordia.* Melecsala multum dilexit Cumanos, quos emerat, & ipsos fecit cum magna diligentia enutriri, & in arte equitandi, sagit-

m tandi

trandi & arma tractandi illos instruxit, & magnam gerens fiduciam, penes se ipsos detinuit, quodammodo omnes alios elongando. Et eo tempore, quo B. Ludouicus, Rex Francorum, bonæ memoriæ, transfretauit, & Christiani nominis amore fuit carceribus mancipatus, prænominati serui empticij Cumani interfecerunt Melecsala, eorum dominum & Soldanum, & constituerunt eorum dominum quendam ex ipsis, nomine Turquimanum. Et ob hanc causam rex Franciæ, & frater suus, qui carceribus Sarracenorum trudebantur, fuerunt redempti, & facilius liberati, & hoc modo cœperunt prædicti Cumani in Aegypto primitus dominari, & vocatur ista progenies Cumanorum in partibus Orientis Caphac. Post paucos verò dies quidam alius ex prædictis Cumanis, nomine Cothos, prædictum Turquimanū gladio iugulauit, & fecit se dominum & Soldanum, & vocatus fuit Melecmees, & iste Melecmees debellauit Guiboga, Capitaneum Tartarorum, quos in custodia regni Syriæ dimiserat Haolonus. Cumq; Melecmees ad Aegyptum rediret, quidam alius Cumanus, nomine Bendecar, ipsum interfecit in via, & se constituit dominum & Soldanum, & fecit se vocare Melecdaer. Iste fuit sagacissimus, & in facto armorum strenuus atq; audax, & suo tempore multum creuit Sarracenorum potentia in Aegypto & in regno Syriæ, & multas occupauit ciuitates & castra, quas Christiani tenebant, & iste cepit nobilissimam ciuitatem Antiochiæ, Anno Domini M. CC. (a) LXVIII. Et postmodum regno Armeniæ intulit multa damna. Tempore verò istius Soldani Melecdaer, transtulit se ad partes Syriæ rex Angliæ, bonæ memoriæ, Dominus * quem Soldanus interficere cogitauit per quendam Assassinum, qui ipsum Regem vulnerauit gladio venenato, sed per Dei misericordiam, & per multos labores ad conualescentiā est deductus. Post hæc fuit idem Soldanus Melecdaer (b) veneno potatus, obijtq; in Damasco. Post obitum verò Melecdaer factus fuit Soldanus filius suus, Melecsayt, sed confestim quidam alius Cumanus, nomine Elsi, deiecit ipsum de sede, & constituens

Ludouicus Sanctus, rex Francorum.

Turquimanus, primus è Cumanis Soldanus.

Caphac.

Cothos cognomento Melecmees.

Bendecar cognomento Melecdaer.

* Eduardus I. Henrici III. F. tum adhuc VValliæ princeps.

Melecsait Elsi.

stituens seipsum dominum & Soldanum, illum fugauit extra regnum Aegypti. Prædictus Soldanus Elfi ciuitatem Tripolitanam obsedit, Anno Domini M. CC. LXXXIX. & violenter occupauit eandem.

(a) LXIX. vt supplementum Schafnaburg. vbi additur, interfecta tum Antiochiæ 130000 hominum.

(b) Veneno potatus) De eadē re supplement Schafnaburg. ad annum 1291. in hunc fermè modum: Renouaturus etiam cum gentis suæ excidio bellum contra Christianos, ab Ammurato eius quodā venenū sub sella eius equestri collocatur: vnde acerbo viscerū dolore affectus, non multò pòst moritur.

CAPVT LIII.

De ciuitate Acon, qualiter à Christianis sit amissa.

ANno verò sequenti prædictus Soldanus, Elfi, congregauit vndiq; posse suum, & egressus fuit de Aegypto, intendens obsidere ciuitatem * Acon, & dum in quodam amœno loco requiesceret quadam die, per quendam seruū suum, quem totius exercitus sui constituerat Ducem, & Rectorem, fuit veneno potatus: qui dum crederet dominium vsurpare, fuit continuò per alios frustatim cæsus, & factus fuit Soldanus filius Elfi, qui vocatus fuit Melecasseraff, & ille fuit, qui cepit nobilem ciuitatem Acon, Anno Domini M. CC. XCI. Postquam verò prædictus Soldanus Melecasseraff rediit in Aegyptum, & quadam die iuisset venatum, per quendam seruum suum fuit in nemore interfectus, qui dum crederet futurum se Soldanum, fuit statim ab aliis detruncatus. Postea verò fecerunt dominum & Soldanum illum, qui hodie est Soldanus, qui vocatur Melecnaser, qui fuit frater Melecasseraff, superius nominati. Et quia iste Melecnaser erat valde iuuenis, datus fuit sibi baiulus & tutor quidam, nomine Guiboga, qui fuit Tartarus

* Hæc bonis auctoribus est Ptolemais.

Melecasseraf.

Melecnaser.

natione, & fuerat seruus emptitius patris sui. Iste Guiboga vsurpauit dominium, & Soldanum iuuenem posuit in quodam castro Crac de Monraeel, eidem faciens necessaria ministrari. *Guiboga, cognomẽto Melechadel.* Iste Guiboga fecit se appellari Melechadel. Tempore verò istius Guiboga fuit in regno Aegypti tanta rerum victualium charitudo, quòd omnes Sarraceni fame defecissent, & penuria, sicut canes, nisi fortè aliqui, nomine Christiani, eisdem multa victualia detulerant, cupiditate lucrandi. Post hæc autem Guiboga prædictus, qui fecerat se Soldanum, intellectis rumoribus de aduentu Tartarorum, congregauit exercitum suum, & venit ad regnum Syriæ, vt terras à Tartaris tueretur. *Lachin, cognomẽto Melecnaser.* Iste Guiboga honorabat & diligebat multum homines suæ nationis, vnde Cumani per inuidiam sibi dominium abstulerunt, & fecerunt Soldanum quendam ex ipsis, nomine Lachin, & iste fecit se nominari Melecnaser. Iste Lachin noluit destruere Guiboga, qui eius extiterat socius & amicus, imò dedit sibi dominium cuiusdam terræ, quæ vocatur Sarsac, & ciuitatem Hamac: inhibuit tamen sibi, ne staret in regno Aegypti. Præfatus verò Soldanus Lachin stetit in castro Cayri per triennium, nec fuit ausus inde exire præ timore suorum, nisi fortè quadam die, quòd descendit ad planiciem causa ludendi, & tunc equus cecidit sub eo, & fractum fuit crus eius. Finaliter cùm luderet ad ludum Scacorum, quidam ex seruis illius arripuit ensem Soldani, & percussit eum in capite, & occidit, sed interfector fuit ab alijs continuò detruncatus. Post hæc fuerunt in magna discordia Sarraceni de Soldano & domino eligendo. *Melecnaser restituitur in integrum.* Demum verò posuerunt in sede dominij Melecnaser, iuuenem superius nominatum, quem Guiboga posuerat in castro montis regalis, vt superius est expressum. Et iste Melecnaser est ille Soldanus, quem Casanus debellauit in campo, & qui regnat hodie in Aegypto. Parcatur mihi, si prolixius quàm deceret, verbum tenui de Cumanis, qui sunt serui empti & venditi, & de Soldanis eorum natiõis, qui sæpius inter se occiduntur. Nam hoc feci, vt clarius demonstrarem, qualiter non possunt

sunt

sunt stare longo tempore, qui talem aduersitatem incurrant, quòd non possent egredi de Aegypto, nec ad partes alias cum exercitu se transferre.

CAPVT LIIII.

De Situ & conditione regni AEgypti.

REgnum AEgypti est valde locuples & amœnum, longitudo eius per quindecim dietas extenditur, & per tres solummodò latitudo. Istud regnum est quasi insula à tribus partibus deserto & sabulo circundatum, & ex alia parte habet mare Graeciae. Ex parte Orientis vicinum est regno Syriae magis quàm alteri terrae; veruntamen inter vnū Regnum, & aliud, est iter octo dierum, semper per sabulum incedendo. Ex parte Occidentis habet quandam prouinciam Barbariae, quae vocatur Bartat, sed inter vnam terram & aliam, est desertum quindecim dietarum. Ex parte verò Meridiei, est regnum Nubianorum, qui sunt Christiani, & sunt nigri sicut pix, propter Solis aestum, & inter vnam terram & aliam, est desertum Arane duodecim dietarum. In regno Aegypti sunt quinq; prouinciae, prima & maior nominatur Sayt, alia Demesor, tertia Alexandria, quarta Resint, & ista quidem est insula, & fluminibus circundata, quinta verò dicitur Damiata. Maior ciuitas regni Aegypti vocatur Chayre, & est valde magna ciuitas & diuitijs repleta, & ibi propè est quaedam alia antiqua ciuitas, quae vocatur Meser, & illa duae ciuitates situm habent supra littora fluminis, quod labitur per medium Aegypti, quod vocatur Nilus, & in Biblia Geon appellatur. Istud flumen est vtilius flumen, quòd valeat reperiri, irrigat enim omnes terras, per quas labitur, & illas facit fertiles & amœnas: per istud flumen potest venire nauigium, quòd valde est profundum, abundantiam habet bonorum piscium, & posset per omnia commendari, nisi esset, quòd quaedam animalia resident in eodem, quae ad similitudinem sunt Draconis, &

AEgypti opulentia.

Bartat.

¶ Leoni Afro li. 8. est Barca.

Nubiani.

Prouinciae Aegypti.

Cayrum.

Meser.

Nilus.

Croco- dili. deuorant equos & homines; & alia quæcunq; animalia in flumine, si illa inueniant, & etiam super ripam, & ista animalia * Cocatrix vulgariter appellantur. Istud flumen semel crescit in anno, & incipit crescere à medietate mensis Augusti, vsq; ad festum B. Michaëlis, quotidie augmentando. Et quando est in perfecto augmento, tunc homines primò dimittunt aquas discurrere per meatus & riuulos ordinatos, & omnes terræ fructiferæ irrigantur, & XL diebus stat aqua supra faciem terræ. Deinde incipit decrescere, & siccari, postea semina seminantur, & crescunt solummodò per irrigationem fluminis, quia in partibus illis non pluit, ita quòd vix hyems cognoscitur ab æstate. Insuper habitatores terræ Aegypti posuerunt quandam columnam marmoream in medio fluminis ante ciuitatē Meser, & in illa columna fecerunt signa, & quando flumen crescit vsq; ad perfectum augmentum, respiciunt illa signa columnæ, & si aqua creuerit vsq; ad summum signum, tunc sciunt se habere fructuum vbertatem, si verò minus creuerit, sciunt per illa signa, quòd contrarium debeat euenire, & secundum hoc precia rerum imponunt. Aqua ipsius fluminis est sanissima ad bibendū. In regno Aegypti sunt duo portus maris, videlicet Alexandria & Damiata: ciuitas Alexandria est benè munita, & circundata muris fortissimis. Aquam verò quam bibunt ciues Alexandriæ, venire faciunt de flumine Nili per quendam meatum subterraneum & occultum, & implent multas cisternas, quas habent in ciuitate ordinatas. Aliam verò aquam non habent, de qua possent bibere, præter illam, vnde si auferretur ciuibus illa aqua fluminis, non possent diutius permanere. Altera verò ciuitas Alexandria esset difficilis ad expugnandū violenter. Ciuitas Damiatæ sita est super flumine Nili, & antiquitus fuit circumuallata ambitu murorum, sed capta fuit bis per Christianos; semel videlicet per regem Hierosolymitanum & alios Christianos partium Orientis, & alia vice per B. Ludouicum, regem Franciæ, pro cuius redemptione Sarracenis fuit postmodū restituta, vnde diruerunt illam

Marginalia: ¶ *De his præclarè Petrus Mar tyr. Mediolan. lib. 3. de legatione Babylō. Sæuiores, ac olim fuerint, facti, Leo Afer li. 9.* — *Columna marmorea incrementorum Nili index.* — ¶ *Vide Leonem Afrū li. 8 pag. 271.* — *Alexandria.* — *Damiata.*

illam Sarraceni, & transposuerunt illam longè à flumine & à mari, nec ibi fecerunt muros, siue alia munimenta, & vocant terram illam nouam Damiatam; vetus verò Damiata est sine habitatione totaliter derelicta. De portubus verò Alexandriæ & Damiatæ Soldanus recipit magnos redditus à mercatoribus & alijs multis modis. Terra Aegypti dat omnium frugum & fructuum vbertatem & optimam Chacharam in maxima quantitate, vinum modicum, tamen bonum & odoriferum valde. Sarraceni non audent vinum bibere, quia eis inhibitum est lege. Carnes ✶ crastinas, hædinas, gallinaceas & volatilia satis habent, modicum de bouinis, tamen Camelos comedunt loco boum. In regno Aegypti degunt simul cum Sarracenis quidam Christiani, qui vocantur Rapti. Ritum tenent Iacobitarum, & multas habent in illis partibus Abbatias, quas liberè tenent & sine censu, & illi sunt antiquiores habitatores terræ Aegypti. Nam Sarraceni ibi habitare cœperunt, postquam illius terræ dominium occupauerunt. Res verò quas deficiunt in Aegypto, in quibus maximè indigent Sarraceni, nec alias habere possunt, nisi ab extraneis partibus deferantur, sunt ligna, pix, ferrum, Sclaui & serui empti, de quibus eorum exercitus roboratur, & oportet quòd prædictæ res deportentur per mare, & sine ipsis stare non possunt. In toto regno Aegypti non est ciuitas siue castrum seu alia terra munita murorum ambitu, præter ciuitatem Alexandriæ, quæ fortis est, & præter castrum Chayre, quod posset absq; difficultate maxima expugnari, & in illo castro Chayre commoratur Soldanus. Tota terra Aegypti per exercitum militum defenditur & tuetur. Prima igitur die qua exercitus Aegypti debellatus, & equitum potentia conquassata, tota illa terra subiugaretur, absq; resistentia alicuius.

Vtriusq; vrbis portoria.

Christiani cognomento Rapti.

Aegyptus quibus rebus careat.

✶ *Quondam Aeliopolis ab Aelio Pertinace appellata, cùm is eam triplici muro circumdedisset, deducta Nili particula, quæ vrbem in insulæ formam redigeret, vt Platina in Honorio III.*

CA-

CAPVT LV.

De tempore competenti, mouendi bellum contra filios Ismaël.

POstquam rationabiliter ostendimus iustam causam, quam Christiani habent, mouendi guerram cõtra perfidos Sarracenos, & sufficienter diximus de potentia sacræ Romanæ Ecclesiæ, tractauimus etiam de conditione & statu regnorum Aegypti & Syriæ, ac de posse Soldani, & gentis suæ, vltimò restat aliquid dicere de tempore competenti. Breuiter ergò dico, quoniam meritò possumus dicere verbum istud: Ecce nunc tempus acceptabile, nunc tempus salutis: nam nunc est verè acceptabile tempus impertiendi subsidium terræ sanctæ, quæ diutius iacuit à perfidis canibus lacerata. Nunc est acceptabile tempus, quo corda fidelium debent succendi ad passagium terræ sanctæ, vt de manibus inimicorum eruatur sanctum sepulchrum Domini, origo & fundamentum spei nostræ: nec recolimus habuisse tempus tam acceptabile, tamq; salubre, temporibus retroactis, sicut Deus omnipotens nunc per suam misericordiam multis indicijs demonstrauit. Primò enim concessit nobis omnipotens & misericors Deus Pastorem, & patrem sanctissimum, qui postquam sedit in sede Pontificatus, prouisione diuina, toto mentis affectu, diu noctuq; anxiè cogitauit, qualiter terræ sanctæ subsidium valeat impertiri, qualiter sepulchrum Domini debeat liberari à seruitute inimicorum, blasphemantium nomen Christi: vnde firmiter est credendum, quòd Deus suos misericordes oculos conuertendo, sibi in terris constituit summum, videlicet Pontificem, sanctissimum patrem nostrum, cuius tempore acceptabili, diuina fauente clementia, sancta ciuitas Hierusalem sub iugo seruitutis Mahumeti diutius iam detenta, procul dubio erepta, reducetur ad pristinam libertatem. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quo adeò firmiter demonstratur, quòd terra sancta debeat liberari de potentia inimicorum. Nam per gratiã

Conatur demõstrare tẽpus gerendi belli sacri gerendi.

Prima ratio ducta à persona Papæ.

IESV

IESV CHRISTI omnes reges & principes Christiani, & respublicæ inter se sunt in statu pacifico & quieto, nec aliqua procella odij vel scandali perturbantur, sicut olim fieri consueuit. Vnde DEVS omnipotens hoc nobis demonstrat, volens terræ sanctæ misericorditer opitulari. Præterea omnes Christiani diuersarum partium & regnorum, fide ac deuotione accensi, parati sunt, tam humeris quàm cordibus figere signum crucis, & ad terræ sanctæ subsidium transfretare, non parcendo laboribus nec expensis, & pro nomine IESV Christi exponere se & sua viriliter & feruenter. Ecce nunc tempus acceptabile, quod Christianis à Domino demonstratur. Nam potentia inimicorum fidei Christianæ est ad præsens mirabiliter diminuta: tum propter guerras Tartarorum, cum quibus nuper bellando passi fuerunt conflictum, in quo Sarracenorum innumerabilis cecidit multitudo, quæ nondum potuit restaurari: tum propterea, quòd ille Soldanus, qui regnat hodie in Aegypto, est homo nullius valoris, & nullius penitus bonitatis. Est etiam aliud, quia omnes principes & Soldani Sarracenorum, qui consueuerunt impertiri subsidium & iuuamen Soldano Aegypti tempore opportuno, totaliter defecerunt per potentiam Tartarorum, quod non remansit nisi vnus, qui dicebatur Soldanus Meredini, cuius etiam posse & dominia redacta sunt sub seruitute & potentia Tartarorum, & ipse personaliter est detentus: vnde his temporibus absq; magno discrimine & labore poterit recuperari terra sancta, & acquiri regnum Syriæ & Aegypti, ac totaliter destrui ac confundi potentia inimicorũ impiorum, facilius per gratiam IESV Christi, quàm fieri potuisset multis temporibus iam elapsis. Ecce nunc tempus acceptabile Christicolis, à domino demonstratũ. Nam Tartari offerent se paratos, Christianis dare subsidiũ & iuuamen toto posse contra perfidos Sarracenos: & ob hanc causam rex Tartarorum * Carbanda speciales nuncios destinauit, qui fratris sui Casani vestigijs inhærendo, offert se exponere libentissime posse suum ad subuersionẽ

II. A concordia summorũ ordinum.

III. A cõmuni Christianorum studio.

IIII. Ab hostium debilitata potentia.

V. A Tartarorum societate.

* Suprà Carbaganda.

& totalem destructioné inimicorum nominis Iesu Christi. Et tempore quidem isto, præcipuè cùm auxilio Tartarorũ terra sancta recuperari posset, & regnum Aegypti absq; magno discrimine faciliter subiugari. Deceret igitur Christianos dare subsidium terræ sanctæ, & absq; tarditate. Nam mora ad se trahit magnum periculum & discrimen, videlicet ne fortè, quod absit, Carbanda, Christianorum amicus, deficiat, & loco eius resurgat pessimus inimicus, & qui fortè adhæreret sectæ & fidei Mahumeti, & per consequens cum Sarracenis vnanimis deueniret, & hoc posset Christianis ad maximum grauamen & periculum redundare.

CAPVT LVI.

De prosperitatibus & aduersitatibus inimicorum fidei Christianæ.

Quo tempore terra sancta inuadenda.

AD honorem igitur Dei, & Domini nostri IESV Christi, de cuius misericordia meum spero supplere defectum: Dico, quòd ad acquirendam terram sanctam cum minori periculo & labore, oportet quòd Christiani terram sanctam ingrediantur, & posse inimicorum inuadant, eo tempore, quo inimici vexari aduersitate aliqua dignoscantur. Nam si prosperitatis inimicorum tempore Christiani hoc facere attentarent, non sine labore maximo & periculis possent perficere vota sua. Quæ verò sit inimicorum fidei Christianæ aduersitas, quæ verò sit prosperitas, breuiter enarrabo. In his quidem consistit prosperitas eorundem, quando videlicet inimici habent dominum & Soldanum strenuũ & sagacem, & talem qui cauere sciat & possit à fraudibus suæ gentis, & absq; pauore rebellionis & perditionis suum posit dominium regere & tenere. Item, quando inimici in requie, absq; guerrarum vexatione Tartarorum, vel aliorum, longo tempore perstiterunt. Item, quando in regnis Syriæ & Aegypti frugum fertilitas est abundans. Item, quando per mare & per terram viæ securæ patent,

Sarracenorum res secundæ.

patent, & eis absq; contradictione cuiusquam, res necessariæ abundanter ab extraneis partibus deferuntur. Item quando treugas habent cum Nubianis & Beduinis deserti Aegypti, nec ab eis modo aliquo infestantur. Insuper quando Turquimani & Beduini, qui degunt in regnis Syriæ & Aegypti, fideliter obœdiunt Sarracenis. Ex his enim prosperitatibus in tantum inimicorum potentia roboratur, quòd non possent de facili subiugari. Sed è conuerso, aduersitates possent inimicis accedere multis modis, quando videlicet infideles suum perimunt dominum & Soldanum, & hoc sæpè & sæpius faciunt & fecerunt. Nam postquam illa Cumanorum ꝓgenies cœpit dominari in Aegypto, sicut superius enarratur, nouem fuerunt Soldani & domini ordinatj, & de nouem eorum dominis & Soldanis, qui fuerunt in Aegypto, vsq; ad præsens tempus, quatuor fuerunt diro gladio interempti, Turquimanus, Cothos, Melec Asseraff & Lachinus, & duo potati veneno mortifero, Bendecar videlicet, & Elsinus. Alij, Melecsayt & Guiboga, viriliter exultauerunt; & iste Soldanns Melecnaser, qui regnat hodie in Aegypto, extitit semel pulsus, & adhuc stat in suspendio vita sua, finem sui pessimum expectando. Item, alia inimicis potest aduersitas euenire, videlicet quādo flumen Nili non crescit, ita quòd terras Aegypti posset, vt conuenit, irrigare, quoniam tunc famem & penuriam patiuntur: & hoc eis quod accidit, non est diu; fame enim & inopia tunc perijssent Christianæ fidei inimici, & regnum Aegypti totaliter dereliquissent, nisi forent cupidi Christiani, qui eis portauerunt victualia abundanter. Tunc etiam propter defectum victualium milites Aegypti efficiuntur pauperes & mendici, & ipsos oporteret equos & arma vendere, & familias minuere propter famem, & sic non possent per consequens recedere de Aegypto. Milites enim Aegypti talis conditionis existunt, quòd quando volunt egredi de regno Aegypti, & ad partes alias se transferre, oportet quòd pro octo dietis omnia necessaria secum ferant, quia in itinere octo dierum nihil penitus inuenirent,

Aduersa.

Soldani qui vel ferro vel veneno perierint.

n 2 cùm

cum sit totum sabulum, quod incedunt; vnde si militi deficiat vnus equus vel Camelus, non posset se à prouincia elongare, & ob hanc causam Soldanus Aegypti taliter impeditur, quòd non posset ad regnum Syriæ se transferre. Item, quando inimici diutius guerra aliqua vexarentur. Item, magna aduersitas esset inimicis & multipliciter tædiosa, si per mare eis viæ taliter artarentur, quòd res, quibus carent, & quibus magis indigent ad sustentationem eorum exercitus, non haberent, sicut ligna, pix, ferrum, seruos emptos, de quibus reficiunt eorum exercitum & augmentant, & alias res quàm plures, quas habere non possent, nisi ab extraneis partibus portarentur, & sine illis stare diutius non valerent. Item quando Nubiani mouerent inimicis guerram, vel etiam Beduini, per hanc enim guerram potentia inimicorum posset totaliter impediri, quòd ad defendendum règnum Syriæ de Aegypto egredi non valerent. Item quando terra Syriæ deficeret in redditibus per intemperiem temporis, vel propter guerras Tartarorum, vel alio quoquo modo. Nam si in regno Syriæ deficerent victualia, ita quòd exercitus Soldani copiam non haberet, non posset in regno Syriæ commorari. Nam ab Aegypto, siue alia regione, nullum potest ad regnum Syriæ deportari, vnde inimici nó possent recedere de Aegypto. Quandocunq; ergo inimici ab vna quauis aduersitatum prædictarum vexantur, sine dubio essent taliter impediti, quòd ad defendendum regnum Syriæ de Aegypto recedere non valerent: vnde Christiani regnum Hierosolymitanum faciliter occuparent, & possent ciuitates & castra diruta reædificare absq; contradictione cuiusquam, & interea se taliter præmunirent, quòd potentiam inimicorum postmodum non timerent.

Nubiani.
Beduini.

CAPVT LVII.

De primo Passagio terræ sanctæ.

PRosperitatibus & aduersitatibus inimicorum non sine causa rationali superius enarratis, de initio Passagij, iuxta

iuxta meæ paruitatis notitiam, deuotè & fideliter aliqua explicabo, ad correctionem tamen vestræ sanctiss. sanctitatis. Mihi ergo videretur pro maiori securitate & cōmodo Passagij generalis, quòd prius præmitterentur aliquæ copiæ equitum & peditum armatorum ad prætendendam & cognoscendam potentiam inimici, cuius copiæ quantitatem sufficientem esse iudico in præsenti mille equitum, decem galearum, & trium millium peditum armatorum: super his etiam Legatus à se de Passagio mitteretur, & Capitaneus strenuus & fidelis, qui ipsos omnes regerent & fouerent, & feliciter cum eis, dante Domino, transfretarent iuxta eorum discretionem & prouidentiam in insulam Cypri, aut ad regnum Armeniæ applicarent, deinde absq; moræ dispendio ex parte legati & Capitanei ipsius armamenti, per consilium & iuuamen regis Armeniæ, nuncij mitterentur ad Carbanda, Dominum Tartarorum, duo inter cœtera requirendo: vnum videlicet, quòd per totam terram sui dominij faceret inhiberi, ne mercationes seu victualia siue animalia ad inimicos portarentur. Aliud, quòd mittere vellet suorum militum quantitatem in confines Meleti, qui prope terras inimicorum figerent castra sua; & terras Halappi sæpius prædarentur circum circa quotidie deuastando. Nostri quoq; peregrini cum fidelibus regis Armeniæ atq; Cypri Sarracenis guerram mouerent, & tam per terram, quàm per mare impugnarent viriliter inimicos, & præcipuè conarentur taliter maritimā custodire, quòd inimicis nihil penitus portaretur. Possent insuper nostri Christiani, à nostra Insula præmuniri, quæ quidem insula in loco competenti & vtili noscitur esse sita pro commodo galearum. Exinde possent Christiani inimicis inferre non modica detrimenta. Veruntamen modum incipiendi guerram, & terras inimicorum inuadendi, ad præsens dicere prætermitto, quoniam iuxta inimicorū conditionem & statum oportet consilium mutari, & operari consilio sapientum, qui præsentes his negotijs intererunt. Commoda verò, quæ de isto primo, scilicet paruo

Bellum sacrū leuiore expeditione inchoandū.

Carbanda

Halepum.

Cyprus.

Passagio, consequi poterunt, dante domino, Christianis inferius breuiter describentur.

CAPVT LVIII.

De commodis primi Passagij.

PRimum igitur commodum esset istud: Primum Passagium poterit taliter ordinari, cum auxilio aliorum fidelium partium Orientis, vel etiam Tartarorum, quòd nulla dabitur requies inimicis, & incurrere poterunt damna plurima, & etiam detrimenta. Nam si per Christianos & Tartaros guerra moueatur Soldano Aegypti per terram & per mare, vt superius est expressum, ad defensionem terrarum suarum Soldanus compelleretur transmittere gentem suam, vt tam terras illas, quæ mari sunt propinquæ, quàm alias, quæ possent inuadi, faciat custodiri. Si ergo moueatur guerra per Tartaros & Christianos in prædictis partibus Meleti, inde Babyloniæ, vsq; ad ciuitatem Halappi, quæ distat per XXV. dietas, oportebit inimicos venire, vt terras tueantur, & Christianis & Tartaris se opponant. Et illi, qui pro isto seruitio transmittentur, post modicum temporis spacium erunt taliter fatigati, affecti tædio, eqs & expensis etiam denudati, quòd nullatenus ibidem poterunt diutius commorari, multis rationibus atq; causis, quas exprimere seriatim esset forsitan tædiosum: vnde redeuntibus pruinis, ad propria, alij ad terræ custodiam mitterentur, & in tribus vel quatuor mutationibus sic peractis, inimici prædarentur, vacuarentur expensis, & damna incurrerent infinita. Per primum Passagium inimici possunt plurimum infestari, videlicet, quòd si cum armamento decem galearum Passagij, & alijs quæ armari poterunt in regnis Armeniæ atq; Cypri, terræ Sarracenorum positæ prope mare viriliter inuadantur, de facili poterunt deuastari, & bonis omnibus spoliari, & Christiani cum galeis ad insulam Anteradensem possent sospites remeare. Vnde oportet Soldanum de Babylonia, cum toto suo posse ad

I. Difficultates hostiũ.

Classis Christianorum vtilitas.

Anteradus.

regnum

regnum Syriæ se transferre, vt sufficientem habere posset copiam armatorum, per quos daret subsidium omnibus terris, quæ prope maris littora situm habent. Egressio quidem Soldani de Aegypto, causa veniendi ad regnum Syriæ, eidem esset periculosa, & plurimum damnosa. Periculosa, propter dolum & proditionem suæ gentis: Tædiosa, quia sæpius posset à fidelibus Christicolis infestari: Damnosa, quia suum ærarium consumeret & vastaret. Vix enim crederetur, si dicerem summam thesauri, quam Soldanum & gentem suam oportet expendere, quotiescunq; egreditur de Aegypto. Item per prædictas galeas portus inimicorum, & omnes viæ maris, poterunt taliter coartari, quòd inimici non poterunt habere quicquam de rebus illis, præcipuè quibus magis indigent, & sine quibus diutius stare non possunt, sicut ferrum, ligna, pix & serui empti, & alia sine quibus non possunt eorum exercitum sustentare, nec ista habere possunt, nisi per mare ab extraneis partibus deferantur. Præterea inimici amitterent reditus portuum maris, qui excedunt pecuniæ magnam summam. Item si inimici aduersitate aliqua turbarentur, per quam impedirentur taliter, quod de regno Aegypti egredi non valerent, nec terris Syriæ præstare iuuamen, tunc Christiani primi Passagij, cum auxilio aliarum partium Orientis, sufficientes essent ad reædificandam ciuitatem Tripolis. Sunt enim in monte Libani Christiani degentes, sagittarij, pedites valde boni, circa XL. millia virorum, qui libenter subsidium & iuuamen impenderent peregrinis, qui multotiens fuerunt Soldano rebelles, & Sarracenis damna plurima intulerunt. Et postquam ciuitas Tripolis esset reædificata, Christiani possent illam defendere & tenere vsq; ad aduentum Passagij generalis, & per consequens possent totum comitatum Tripolis occupare, & hoc cederet ad magnum commodum Christianorum generalis Passagij, quia inuenirent ibi portum paratum, vbi possent comodè applicare. Item, si Tartari acquirerent regnum Syriæ, & per consequens terram sanctam, Christiani primi Passagij inueni-

Soldani Syriaca expeditio quæ habeat incommoda.

Iterũ agit de classe.

Tripolis.

Christiani montis Libani.

inuenirentur parati recipere ciuitates & castra, aut Tartaris eas munirent & tenerent. Nam ego, qui satis bene noui Tartarorum modum, credo firmiter, quòd Tartari libenter terras, quas acquirerent, custodiendas & tenendas traderent Christianis liberè & quietè, & absq; censu, seu aliqua seruitute. Nam propter æstum in illis regionibus Tartari nullatenus habitarent, vnde gratum esset eis plurimum, & acceptum, quòd Christiani illas terras caperent & tenerent; non enim præliantur Tartari cum Soldano Aegypti, vt terras occupent & acquirant, cùm tota Asia eorum dominio sit subiecta, sed ideo, quòd Soldanus semper eorum extitit inimicus, & plurima eis intulit grauamina; præcipuè quando habuerunt guerram cum Tartaris conuicinis, vnde ad omnia prædicta negotia inchoanda satis credo sufficere quantitatem superius nominatam, videlicet millia equitum, decem galearum & trium millium peditum bellatorum. Et videtur mihi, quòd in his principijs plura non operarentur plures, etiamsi totidem adderentur, & expensas plurimum augmentarent. Præterea de isto primo Passagio, alia duo commoda sequi possunt.

Tartari æstus impatientes.

Cur cum Soldano belligerãt.

III.

Nam postquã peregrini primi Passagij per spacium temporis stetissent in partibus Syrianis, & vidissent conditionem prouinciæ, & nouissent potentiam inimici, & modum etiam præliandi, instruere possent consocios, venientes passagio generali. Item, posito quòd Tartari propter guerras, quas forsitan haberent cum Tartaris conuicinis, non possent aut vellent Christianis subsidium impertiri, & quòd Soldanus in sua prosperitate persisteret, ita quòd laboriosum esset nimium, eruere terram sanctam de manibus paganorum: Reuerenda S. V. conditione terræ sanctæ plenius intellecta, visa etiam & cognita potentia passagij generalis, posset melius discernere, quid super his fieri expediret, vtrum videlicet transfretare deberet Passagium generale, an deceret tempus magis congruum expectare, & sic possent multa incumbentia discrimina euitari. Insuper si mihi venia tribuatur, audeo dicere duo verba, vnũ videlicet

videlicet, quòd S. P. V. scribere dignaretur regi Georgianorum, qui sunt Christiani, & terræ sanctæ peregrinationibus deuotiores quàm aliæ nationes, mandantes quòd peregrinis darent subsidium & iuuamen, credo firmiter, quòd ob reuerentiam Domini nostri IESV Christi, & vestræ etiam sanctitatis, libenter & deuotè vestrum studerent adimplere mandatum; sunt enim, vt diximus, deuotissimi Christiani, & sunt potentes & multi atq; strenui bellatores, & regno Armeniæ quodammodo sunt vicini. Aliud, quod S. P. V. dignaretur etiam scribere regi Nubianorum, qui per B. Thomam Apostolum ad fidem Christi in Aethiopia sunt conuersi, mandantes, quòd Soldano Aegypti guerram mouere debeant, & posse suum impediant & infestent. Credo etiam firmiter, quòd illi Nubiani, ob amorem Domini nostri IESV Christi, & ob reuerentiam V. S. terram Aegypti Soldani inuadere conabuntur, Soldano & genti suæ damna & impedimenta plurima inferendo. Et istæ literæ de mandato V. S. procedentes, mandari poterunt regi Armeniæ, qui ipsas faceret transferri eorum idiomate, & per bonos nuncios destinabit. *Hucusq;* deuotissimè & fideliter reserauí ea, quæ parua mea notitia sentiebat super initio Passagij, & subsidij terræ sanctæ. Nunc verò S. V. obediendo mandatis, ad generale Passagium me conuerto, de his, quæ expediunt, aliqua locuturus, ad correctionem semper S. P. V.

Georgiani *Nubiani.* *Rex Armeniæ.*

CAPVT LIX.

De Passagio Generali.

GEnerale Passagium per tres vias potest arripere iter suum, per viam videlicet Barbariæ. Sed de ista via consulendum relinquo illis, qui statum & conditionem nouerunt illius regionis. Item per viam Constantinopolitanã, per illam videlicet, quam tenuit Dux Godefridus de * Bolicino, & alij illius terræ peregrini. Et per hanc viam Passa-

Triplex profectionis via. *Bullione.

gium generale, vſq; ad ciuitatem Conſtantinopolitanam, ſecurè, vt credimus, poſſet ire. Vlterius nominatur per Turquiam, vſq; ad regnum Armeniæ procedendo: via illa non eſt libera, neq; abſq; diſcrimine peregrinis, propter Turquos, qui in partibus illis degunt; poſſet tamen per Tartaros via illa ſecurari, & totaliter expediri. Poſſent inſuper Tartari ordinare, vt peregrini de terra Turquiæ haberent victualium copiam, & equorum etiã precij competentis. Alia verò via eſt per mare, quæ eſt omnibus manifeſta; vnde ſi per mare voluerint incedere peregrini, oportebit quòd in omnibus portubus eis marinæ naues parentur, & alia bona ligna, ſufficientia ad Paſſagium transportandum: & oportet quòd in termino præfaxato, & tempore competenti omnes peregrini congregentur ad littora maris, parati naues aſcendere, & cum Dei adiutorio faciliter transfretare: in Cyprum enim poterunt applicare peregrini, vt tam ipſis quàm eorum equis, in itinere plurimum fatigatis, requies tribuatur. Poſtquam verò in Cyprum Paſſagium incolume applicaſſet, per Dei gratiam, & per dies aliquos quieuiſſet, ſi primi Paſſagij peregrini ciuitatem aliquam firmauiſſent in partibus Syrianis, per breuem viam ad illam poſſet Paſſagium ſe transferre. Et ſi fortè primi Paſſagij peregrini non firmaſſent ibi aliquod munimentum, oportebit Paſſagium per regnum Armeniæ arripere iter ſuum, hoc modo videlicet, quòd peregrini in regno Cypri cum equis ſuis pacificè requiem ſibi darent vſq; ad feſtum B. Michaëlis, vt infirmitas planiciei regni Armeniæ æſtiuo tempore euitetur. Poſt verò feſtum prædictum, ad regnum Armeniæ ſecurè poterunt ſe transferre, & ibi inuenirent omnia neceſſaria affluenter. Veruntamen in ciuitate Tarſenſi poterunt commodius permanere, quia ibi eſt abundantia aquarum & pabulorum, & tam de regno Turquiæ, cui vicina eſt, quàm de regno Armeniæ, equos, victualia, & omnia neceſſaria habere poterunt abundanter. Poſt hæc autem, veris tempore veniente, Paſſagium

Cyprus. *Armenia.* *Tarſus.*

gium poterit per terram dirigere gressus suos ad nobilem ciuitatem Antiochiæ, quæ distat à regno Armeniæ solummodo per dietam, & nauigium poterit per mare ad portum Antiochiæ applicare, ita quòd exercitus terrestris maris nauigio appropinquabit. Obsessa igitur ciuitate Antiochiæ, quæ captiuabitur faciliter, Deo dante, peregrini poterunt diebus pluribus requiescere in eadem, & inimicorũ terras vndiq; deprædari, ac interea scire & cognoscere in eadem. Sunt præterea in illa regione Christiani, sagittarij valde boni, qui sine dubio ad exercitum Christianorum venirent, & multa possent Passagio impertiri. Post hæc verò de Antiochia recedentes, peregrini poterunt incedere per littora maris versus ciuitatem Liciæ, & illa via esset breuior & melior, & semper nauigium exercitui appropinquaret. Veruntamen prope castrum Margati, in maris littore, est quidam transitus magnæ genti plurimum tædiosus, quem quidem transitum si non haberent, possent absq; discrimine Antiochiam remeare, & in cedere per viã * Fenick versus Cæsaream, per littora cuiusdam fluminis ascendendo, quod flumen Kenel vulgariter appellatur, & per illam viam inuenirent aquas & pascua, & terras inimicorum abundantes frugibus, victualibus & alijs bonis, ex quibus Christiani prædas caperent, & exercitui necessaria ministrarent, & sic possent per viam illam ire de Antiochia vsq; ad ciuitatem Hamam, quæ est ciuitas opulenta, & per potentiam Passagij, cum auxilio Dei, faciliter caperetur. Et si fortè Soldanus se opponeret Christianis, resistendo ne caperent ciuitatem, tunc Christiani in illo loco magnam haberent prærogatiuam, si prælium iniretur. Et si per Dei gratiam peregrini possent debellare Soldanum, nullam postmodum resistentiam inuenirent, vnde recto tramite possent ire ad ciuitatem Damasci, quæ cum cæteris conditionibus libenter se redderet Christianis. Nam postquam ciues Damasci scirent debellationem Soldani, resistendi audaciam non haberent, imò fauerent in omnibus Christianis,

Antiochia

* Forsan nomen hoc ad Phœniciam alludit, indeq; deprauatũ est.

Hama.

Damascq.

Haolonus Casanus. stianis, sicut fecerunt Haolono & Casano, qui Damasci dominium habuerunt absq; labore aliquo post debellationẽ Soldani. Et postquam Christiani occupassent Damascum, residuum regni faciliter obtinerent. Et si fortè Soldanus prælium euitando, non ausus contra Christianorum potentiam belliger apparere, Christiani recedentes inde ad Tripolim possent ire, & ibidem in quatuor dierum spacio peruenirent, ibiq; etiam posset nauigium applicare, vnde posset Tripolitana ciuitas reparari, & magnum possent peregrini habere subsidium & iuuamen per Christianos, qui in monte Libani sunt degentes. Et per hunc modum ciuitatem Tripolitanam acquirerent & tenerent, deinde possent regnum Hierosolymitanum occupare, cum auxilio Domini nostri IESV Christi.

CAPVT LX.

De societate Christianorum & Tartarorum.

Commoditas societatis Tartarorum. DE societate verò Christianorum & Tartarorum videtur mihi, quod aliqua quantitas Tartarorum, videlicet circa X. millia, possent multa conferre commoda Christianis, per vias & itinera incedendo. Nam propter timorem Tartarorum, Beduini, neq; Turquimani essent ausi Christianorum exercitui appropinquare. Præterea victualia & alia necessaria exercitui procurarent, & vendenda de lõginquis partibus deferrent, & inde aliquid lucrarentur. Item per Tartaros posset inuestigari intentio & conditio inimicorum, quia Tartari sunt agiles ad currendum itinera, benè sciunt, vnde possunt ingredi, & egredi ad eorum liberam voluntatem. Insuper ad inuadendum inimicos in campo, & ad insultandum ciuitates, castra, seu alia munimenta, Tartari necessarij & vtiles esse possent, quia ad talia

sunt

sunt valde ingeniosi. Si verò Carbanda, vel alius loco sui, ingrederetur Aegyptum cum magna multitudine Tartarorum, tunc eorum esset societas euitanda. Nam Dominus Tartarorum non dignaretur sequi voluntatem Christianorum, imò vellet, quòd Christiani suis parerent mandatis. Præterea Tartari sunt omnes equites, & valde festinanter incedunt, vnde Christianus exercitus eos sequi non posset, propter peditum comitiuam. Insuper Tartari habent talem modum, quia quando sunt debiliores, mirabiliter se reddunt obsequiosos, humiles & deuotos. Quando verò sunt fortiores, valde sunt austeri, tumidi & superbi, & non possunt stare, quoniam debilioribus iniurias irrogarent, quod quidem Christiani nullatenus paterentur, vnde posset per hoc materia scandali pullulare. Sed super his posset tale remedium adhiberi, videlicet, quòd Tartari per viam Damasci, sicut consueuerunt, incederent, & partes illas occuparent, & Christiani ad regnũ Hierosolymitanum dirigerent gressus suos. Et hoc modo inter Christianos & Tartaros concors amicitia per vtrorumq; distantiam seruaretur, & facilius per duos, quàm per vnum totaliter destrueretur potentia inimicorum fidei Christianæ. Vnum insuper reducere audeo ad memoriam P. V. reuerendissimæ, videlicet, quòd omnibus modis sagaciter occultetur intentio & consilium Christianorum, ita quod inimici ignorent Christianorum propositum, atq; velle. Nam quòd Christiani noluerunt sua consilia præteritis temporibus occultare, multa dignoscuntur incommoda incurrisse; & econtra inimici propterea multa sibi incumbentia pericula euitarent, auferendo Christianis materiam, adimplendi eorum vota, diutius affectata. Et licet non valeat occultari fama Passagij generalis, quæ longè lateq; diffundetur per orbem, ad nullum tamen potest cedere commodum inimicis, quia eis ab aliquo domino Sarracenorum non potest præstari subsidium quoquo modo. Et multis modis poterit euitari

Vt eadem vitanda.

Cautio.

περὶ ὑποκρίσεως de belli consilio tegendo.

tari, ne Christianorum voluntas vel propositum ad inimicorum notitiam deferatur, aliqua videlicet velle facere simulando. Illud verò, quòd Tartari nequeunt suæ consilia occultare, ad magnum incommodum eis cessit. Nam Tartari talem modum obseruant: Prima quidem luna Ianuarij consilium capiunt super his, quæ intendunt facere anno futuro; vnde si intendant mouere guerras Soldano Aegypti, scitur ab omnibus Sarracenis, qui continuò Soldano significant ea, quæ Tartari ordinant, & ipse circa hoc conatur apponere remedia opportuna. Sarraceni verò valde benè faciunt, suum propositum occultando, & hoc sæpius confert eis. Et hæc dicta sufficiant de Passagio terræ sanctæ.

Tartarorum mos consultandi.

FINIS.

MARCI PAULI VENETI ITINERARIUM,

ſeu de rebus Orientalibus Libri tres.

HELMAESTADII.

M. D. LXXXV.

FRANCISCVS BALDVINVS de institutione Historiæ vniuersæ.

EOdem tempore Paulus Venetus (cuius libri non ignobiles extant) totam illam Indiam & Tartarorum imperium nouum & admirabile, quod perlustrauerat, domum reuersus descripsit. Cùm verò illius & historiam, quam in re præsenti cognouerat, recitaret, & ciuitates amplissimas litteris & legibus excultas, & ipsam regiam aulam picturis historicis insignitam esse narraret, deniq; cùm illius Cublay, magni Chami, ad Pontificem Rom. epistolam afferret; credo, nostrorum studia inflammauit. Cùm olim non dissimili exemplo accidisset, vt Taprobanæ insulæ Rex legatos Romam misisset ad Imp. Claudium, Romani magna cum admiratione audiuerunt tales noui veluti orbis testes atq; nuncios: neq; non Plinius, quod illi legati retulerunt, in suæ historiæ commentarios postea retulit. Maius autem quippiam fuit, quod de Paulo Veneto nunc recitaui: neq; profectò minus admirabile est, nostra ætate non solùm ab Abyssino rege Æthiopiæ, sed & ex Themistitana, ciuitate nouæ Indiæ occidentalis, tanquam ex altera Canta, legatos Romam appulisse cum suæ reipub. litteris atq; commentarijs &c.

SEBA-

SEBASTIANVS MVNSTERVS in declaratione typi Cosmographici.

Marci Pauli Veneti iter non duxi explicandum, cùm ferè nullam signârit prouinciam, quam pertransierit, præter Armeniam, & quasdam circumiacentes regiones, ad quam traiecto Bosporo & Euxino mari peruenit. Ab Armenia verò quas regiones permeauerit, donec ad extremos Scythas, qui hodie sunt Tartaria magna, peruenit, non scribit: rediens tamen ab Oriente ad occiduas partes, signauit plures. Id vnum ex sententia agit, vt nobis diligenter describat Orientem, tam terram continentem quàm insulas meridionales & Orientales, potissimùm quicquid locorum est sub ditione magni Cham. Presbyteri quoq; Ioannis facit mentionem; quippe cuius regnum conterminum ait imperio magni Cham: cùm tamen cæteri ferè omnes regem illum in Æthiopia Africæ haud longè à Troglodytis dominàri asseuerent. Sic enim habes apud Aloysium Cadamustum cap. 60. nempe Presbyterum Ioannem in Africa circa regnum Melindæ confinem esse Sultano. Idem sentit Ludouicus Vartomanus lib. 2. cap. 15. Nodum hunc soluendum tibi, Lector, relinquo &c.

IDEM IN PRAEFATIONE AD LECTOREM.

VTinam Marcus iste Venetus commodiorem nactus fuisset interpretem, aut ipse librum suum Latinè scripsisset, qui Latinè sciuit, id quod in loco quodam subindicat: sed multis ciuibus Venetis gratificari maluit, quàm paucis Latinè doctis. Natus est hic Marcus ex patre Nicolao Paulo, viro clarißimo, qui cùm per tres aut quatuor annos lustrasset partes Orientales, comitem habens fratrem genuinum, Matthæum scilicet Paulum, domum rediens, filium Marcum secum ducens, denuò in Indiam concesßit, mansitq́ multis annis apud magnũ Cham Cublai, aulicus illius factus. Historia illius profectionis atq́ reditus describitur in primis decem libri primi capitibus: & hæc tibi, lector, causam reddent, quomodo Marcus, huius libri scriptor, tot potuerit perlustrare prouincias.

MAR-

MARCI PAVLI VENETI DE REGIONIBVS Orientalibus liber primus.

CAPVT I.

Quomodo Nicolaus Paulus, & Matthæus Paulus, fratres, in Orientem concesserint.

BALDVINO PRINCIPE INCLYTO regni Constantinopolitani sceptra tenente, anno scilicet ab incarnatione Domini M. CC. * LXIX. duo viri nobiles & prudentes è clarissima Paulina familia nati, ciues Veneti, nauem varijs onerantes mercibus, communi consensu Venetijs soluentes, prospero vento, & Deo ducatum felicem præstante, sulcârunt mare mediterraneum, & per angustas Bospori fauces contendentes, Constantinopolin peruenerunt: vbi cùm paucis quieuissent diebus, iterum velis ventum dantes, traiecerunt pontum Euxinum, appuleruntq; ad portum ciuitatis Armeniæ, quæ * Soldadia appellatur: & præparantes iocalia preciosa, curiam cuiusdam regis magni Tartarorum, (a) Barka dicti, ingressi, illi obtulerunt, quicquid optimum habebant. Ille verò gratissima & liberè oblata munera non aspernans, vicissim placido illos suscipiens vultu, multo maiora tribuit, quam illi contulerunt. Per annum autem cum illo commorantes rege, Venetias redire satagerunt. Et quùm id molirentur, subitò inter regem Barka, & alium quempiam Tartaricum regem, Allau nomine, lis oboritur cruenta: & aliquandiu inter se confligentes, exercitu Barkæ deuicto, sors regi * Allau victoriam concessit: sicq; memorati fratres, bellorum sæuiente

* Fortè LIX. vt sit vltimus Balduini II. annus: nam deinceps Palæologi rerum potiti fuere.

* Sultania, veteribus Tigranocerta.

* Is est Haolonus. Cõsule Haythonum cap. 30.

tumultu præpediti, varia captant consilia, quam eligant viam, per quam vitæ sublato discrimine, in patriam reuertantur: tandemq; iudicant per varias itinerum ambages circumire regnum Barka, & furentium euadere manus: & id tentantes, peruenerunt ad ciuitatem quandam, Guthacam nomine, à qua vltrà progressi, Tigrim traijciunt, & XVII. dietas facientes in deserto quodam magno, in quo neq; habitatores, neq; oppida inueniuntur, ad † Bocharam, ciuitatem Persidis insignem, profecti sunt, præsidente illi Barach rege: ibiq; annis tribus manserunt.

Guthaca. † al. Boctara. *Barach.* ¶ *Meminit Haythonus cap. 22.*

(a) Haythono cap 30. Barcat. Quem patre Baydone, auo Hoccata natum Sabellicus tradidit Ennead. 9 li. 7. Forsan etiam Barcato victo, Turcia Haolono cessit, & porrò ad Absagam deuoluta fuit. Vide Haythonum cap. 30. 34. 35. 44. Conueniunt præterea, quæ infrà auctor habet cap. 12.

CAPVT II.
Qualiter adierunt curiam regis magni Tartarorum.

Legatio Haoloni. Bochara.

EO tempore vir quidam grauis & insignis à rege Allau ad maximum Tartarorum regem destinatus, Bocharam pernoctaturus venit, & illic præfatos viros inueniens, qui iam linguam Tartaricam erant edocti, supra modum hilaris efficitur, cogitatq;, quomodo persuadeat, vt secum ducat hos occidentales viros, inter Latinos natos, ad præsentiam maximi Tartarorum imperatoris, sciens se illi in hoc gratificaturum, & nihilominus viros debito suscipiendos honore, & largis donandos muneribus, potissimum quùm iam ex multiplici colloquio gratissimos ipsorum explorasset mores. Viri igitur illi aduertentes se non facilè & absq; periculo posse domum reuerti, inito consilio, memorato adhærent ambasiatori, iterq; cum illo suscipiunt ad Tartarorum imperatorem, comites habentes quosdam alios Christianos, quos secum è Venetijs duxerant, & soluentes

uentes à loco Bochara, post multos transactos menses perueniunt ad maximum omnium Tartarorū regem, *Cublay vocatum, quem etiam magnum Cham appellant, hoc est, magnum regem regum. Porrò quod tam prolixum tempus insumpserunt, donec ad magnum venirent Cham, aliud in causa non fuit, quàm quod in frigidissimis regionibus Aquilonem versus niues plurimas, & aquarum inundationes inuenerunt, quæ viam illis præcluserunt.

* Haythono est COBILA Can.

CAPVT III.

Quanta humanitate à magno Cham suscepti sint.

ADducti igitur ante conspectum magni imperatoris Cham, per benignè ab eo suscepti sunt. Interrogauit autem eos de multis, vtpote de regionibus occidentalibus, de Imperatore Rom. atq; alijs Regibus & principibus, qualiter sese gererent in regimine & rebus bellicis, quo pacto pax, iustitia & concordia inter eos constaret, item quales mores & viuendi ritus essent apud Latinos, & præsertim qualis esset nostra Christiana religio, qualisq; Papa summus illius moderator. Et ad hæc memorati viri singillatim respondentes, eo imperatorem suis deduxerunt verbis, vt libenter illis auscultaret, & sæpè ad se introduci iuberet.

Digna rege percontatio

CAPVT IIII.

Mittuntur à magno Cham dicti viri ad Pontificem Romanum.

QVadam itaq; die magnus Cham cum regni sui principibus inito consilio, rogat Latinos, vt nomine suo ad Papam proficiscentes, vnà cum (a) Barone quodam, Gogaca nomine, viro aulico & optimo, atq; apud illum agant, vt centum viros sapientes, & in lege Christiana doctos ad se dirigat, qui sapientibus suis ostendere possint, Christianorum

Mandata legationis norum fidem cæteris omnibus sectis præferendam, atq; vnicam salutis esse viam, quodq; Dij Tartarorum essent dæmones, qui Orientalibus in sui cultura imposuissent: nam quùm is imperator multa audisset de fide catholica, & interim aduerteret, quàm mordicus sui sapientes conarentur suam defendere fidem, in ambiguo positus, nesciebat, cui tutò animum suum inclinaret, quamq; vt veram amplexaretur viam. Illi itaq; debitam regiæ maiestati exhibentes reuerentiam, policentur se commissa fideliter executuros, & literas, quas ab eo Rom. Pont. offerendas acceperint, præsentaturos. *Commeatus.* Ipse verò tabulam auream signo regali sculptam & insignitam, iuxta imperij sui consuetudinem illis tradi iubet, quam commeatus loco secum per totum eius imperium deferentes, vbiq; à prouinciarum & ciuitatum rectoribus per loca discriminosa salui deducerentur, atq; expensas ab eisdem reciperent, & quacunq; tandem re opus in itinere haberent, illis imperatoris nomine suppeditaretur. *Oleũ lampadis Hierosol.* Rogabat quoq; eos imperator, vt nonnihil de oleo Lampadis, quæ iuxta Dominicum sepulchrum Hierosolymis ardebat, sibi in reditu deferrent, credens sibi illud non parum profuturum, si Christus mundi esset Saluator. Illi igitur imperatori valedicentes, arripiunt iter, literas & auream tabulam secum deferentes. *Gogaca morbus.* Quumq; XX. dietas equitando peregissent, Gogaça, qui illis ab imperatore associatus erat, grauiter ægrotare cœpit. Vnde consilio inito, eo illic relicto, ipsi cœptum prosequuntur iter, vbiq; ob imperatoris signum humaniter suscepti. Pluribus tamen in locis ob fluminum inundationes pedem sistere coacti sunt, vt etiam tres annos citro vltroq; absumpserint, priusquam ad portum ciuitatis Armeniorum, * Galza nomine, peruenerint. A Galza rectà ad Anconam tendunt, anno scilicet Domini M. CC LXXII. mense Aprili.

* cap. 6. & 11. vocat Glaciam.

(a) Hoc nomine & alibi è nostrarum gentium consuetudine vtitur, retinuitq; itidem Speculum Vincentij. De notione alibi disseruimus.

CAPVT

CAPVT V.

Quomodo summi Pontificis expectârint creationem.

INgressi autem vrbem Anconam, audierunt dominum Clementem Papam quartum nuper defunctum, aliumq; neminem in locum eius surrogatum: de quo non parum contristati sunt. Erat tunc Anconæ legatus quidam sedis Apostolicæ, dominus scilicet Thebaldus, Comes de Placentia, cui cuncta, quæ in commissis habuerunt, exponentes, indicabant quomodo à magno Cham missi fuissent. Ille verò consulebat, vt noui Pontificis expectarent creationē. Abeuntes itaq; interim Venetias suos inuisuri, & illic, quo vsq; alius institueretur Pontifex, mansuri, inuenit Nicolaus Paulus vxorem suam extremam clausisse diem, quippe quam in recessu suo prægnantem reliquerat, filium verô Marcum nomine, qui iam annos ætatis XV. habebat, atq; postea hunc librū conscripsit, sanum & incolumē inuenit. Porrò electio Ro. Pótificis ad duos vsq; annos est ꝓtracta.

Clemens IIII. Papa.

Theobaldus Com. Placent.

Nicolaus Paulus.

M Paulus F. historia huius auctor.

CAPVT VI.

Qualiter regressi sint ad regem Tartarorum.

ANnis duobus, postquam redierunt in patriam, elapsis, memorati duo fratres timentes imperatoris Tartarorum turbationem, quem ipsorum reditum sciebant expectare, reuertuntur Anconam ad legatum, secum ducentes Marcum filium, longi itineris futurū comitem. Acceptisq; à legato literis, quas Tartarorum imperatori deferrent, in quibus plenius imperator edocebatur ea, quæ fidem concernunt catholicam, abire iterum in Orientem disponunt: illisq; paululum ab Ancona digressis, nuncij veniunt à Cardinalibus ad legatum, indicantes illi, se in summum electum Pontificem, postea Gregorium * dictum. Quo audito, ilico missis nuncijs Venetos reuocat, & ne abeant

* X. eius nominis

Literæ & Monachi ad Tartarum destinati.

abeant, monet, parans alias illis literas, quas Tartarorum offerrent summo principi, quibus & duos adiunxit fratres prædicatores, viros probitate & literatura conspicuos, quorum vnus Nicolaus, alius verò * Guilhelmus Tripolitanus vocabatur, qui tunc Anconæ moram trahebant. Abeuntes itaq; vnà venerunt ad Glaciam, portum maris in Armenia. Et quoniam * Sultanus Babyloniæ tunc magno coacto exercitu Armenos inuaserat, cœperunt memorati fratres sibi timere, atq; viarum volentes vitare discrimina & guerrarum pericula, cum magistro templi in Armenia manserunt: nam non semel in mortis periculum inciderunt. Nuncij verò Veneti omni sese periculo exponentes, cum multis laboribus & magna difficultate ad Tartarorũ imperatorem in ciuitatem, quæ Clemenisu appellatur, peruenerunt: nam iter eorum hyemali tempore propter niues & frigora atq; aquarum inundationes sæpè ad longum tempus impediebatur. Porrò rex Cublai audiens eos aduentantes, qui adhuc longissimè aberant, per quadraginta dietas nuncios illis obuiam misit, qui eos conducerent, & necessaria quæq; pro itinere suppeditarent.

*De hoc infrà in cap. 51.

*Bendecar. Vide Haythonum cap. 33.

Clemenisu ciuit.

CAPVT VII.

Quomodo Veneti à Tartarorum imperatore suscepti sunt.

Adoratio Tartarica

REgis itaq; curiam adeuntes, & ante conspectum eius ducti, prociderunt coram eo in faciem, reuerentiam consuetam exhibentes. A quo humaniter suscepti, iubentur surgere, & qualiter varia viarum penetrârint discrimina, quidq; cum Romano egerint Pontifice, iubet enarrare. Illi verò cuncta ordine exponunt, & allatas Pontificis literas imperatori exhibent. Qua de re Rex mirum in modum lætatus, fidelem illorum commendauit solicitudinem. Oleum quoq; de lampade Dominici sepulchri allatum & oblatum accepit ab illis, & cum honore reponi iussit. Et cùm intellexisset, Marcum Nicolai esse filium, blanda facie

M. Paulus

illum

illum suscepit, omnesq; tres illos, patrem & filium, atq; patruum tali dignatione prosecutus est, vt ab omnibus aulicis deinceps suspicerentur, & in honore haberentur.

CAPVT VIII.
M. Paulus quàm gratus factus sit Tartarorum Imperatori.

MArcus itaq; breui tempore in aula magni Cham Tartarorum addiscens mores, atq; quatuor varias gentis illius linguas edoctus, quas nedum legere, verùm & scribere didicit, omnibus charus effectus est, & in primis Imperatori: qui vt hominis prudentiā magis conspicuam redderet, negocium illi commisit in longinqua expediendum regione, ad quam sex mensiū spacio vix peruenire poterat. Ille verò prudenter in omnibus se gerens, non sine laude & principis gratia, quæ in mandatis acceperat, transegit. Et sciens, imperatorem oblectari nouitatibus, diligenter scrutatus est in regionibus, quas pertransiuit, consuetudines & mores hominum, conditiones & naturas animalium, atq; harum rerum veridica relatione mirum in modum sibi deuinxit regem, vt etiam rex in magnis obeundis regni negotijs hoc vteretur per XVII. annos viro, mittens illum ad diuersas latissimi imperij sui terras. Is verò præter id, quod regis exequebatur causas, etiam terrarum obseruabat proprietates, prouinciarum & ciuitatum considerabat situs, & quæ mira in locis vel contigerunt, vel inueniuntur, calamo excipiens, tandem nobis occidentalibus patefecit, id quod secundus liber * explicat.

Quatuor Tartarorū lingua.

M. Pauli legatio.

Prudētia in peregrinando.

Mora in aula Tartarica.

* Vide lib. 2. cap. 27.

CAPVT IX.
Quomodo Veneti post aliquot annos obtenta licentia redire disposuerint.

MOrantes autem aliquanto tempore Veneti apud magnum Cham, patriæ visendæ accensi desiderio, à rege

abeundi licentiam petunt. Is verò eorum oblectatus præsentia, difficile ad id inclinari potuit. Accidit tamen interea, vt rex Indorum, Argon nomine, tres insignes viros ¶ mitteret ad curiam magni Cublai, quorum nomina fuerunt, Culatai, Ribusca & Coila, qui agerent cum eo, vt aliquam ex prosapia sua ei traderet in vxorem; nam vxor eius, Balgana nomine, nuper mortua, in testamento relinquerat, & maritum adiurauerat, ne ab alia quàm à sua familia aliam duceret vxorem. Rex itaq; Cublai illorum obsecutus petitioni, puellam quandam XVII. annorum, nomine Gogatim, è stemmate suo prognatam, illis associat, inq; vxorem Argonis consecrat. Nuncij verò quùm reginam abducturi essent, & aduertissent Venetos patriam suã sitire, rogabant Cublai regem, vt pro honore regis Argonis hos secum abire permitteret, qui nouam reginam in Indiam conducerent, & inde ad loca sua reuerterentur. Ille procerum instantia & petitione deuictus, etiam inuitus Venetos abire permisit.

Argon, rex Indorum. *Balgana reginæ testamentũ.* *Gogatis.*

¶ *Infrà cap. 64. Argon Indiæ gens est. Ei fortè rex hic imperauit, indeq; ab auctore cognominatus fuit.*

CAPVT X.

Quomodo Venetias redierint.

SOluentes itaq; à Cublai aula, quatuordecim paratas naues, & sufficienti commeatu oneratas, quarum quælibet quatuor malos atq; totidem vela habebat, intrantes, acceperunt à rege duas tabulas aureas regali charactere insignitas, quas per omne imperium suum, & per tam multas * prouincias præfectis ostenderent, à quibus securum conductum, victualia, & alia necessaria perciperent. Adiunxit quoq; illis ambasiatores aliquos ad summum Pontificem, & ad reliquos quosdam Christianos reges. Et nauigio hinc discedentes, post tres menses venerunt ad Insulam quandã * Iaua nomine, & inde per Indicum vagantes mare, post multum temporis veniunt ad regis Argonis palatium, allatamq;

Tartari diplomata. *infrà li. 3 ca. 10* *Legatio ad Pontificem & reges Christianos.*

allatamq; illi præsentant puellam. At ille filio suo hanc tradidit vxorem. Plurimi autem desiderati sunt ex his sexcentis viris, quos pro adducenda puella rex ad Tartarū misit, qui in itinere eundo & redeundo spiritū exhalârunt. Porro Veneti cum ambasiatoribus hinc recedentes, ab alio vicerege, qui regno pueri loco præerat, Acata nomine, alias duas aureas & commendatitias tabulas more gentis illius acceperunt, atq; salui cum honore ex regno illo deducti sunt, & post multum temporis multis exantlatis laboribus, protegente Domino, Constantinopolin perueniunt, atq; inde cum diuitijs & honorifico comitatu incolumes Venetias redierunt, anno scilicet Domini millesimo ducentesino nonagesimo quinto, gratias agentes Deo, qui eos de periculis multis liberatos saluos reduxit domum. Hæc à principio huius libri breuiter & summariè annotare libuit, vt lectori constet, quomodo, & qua occasione Marcus Paulus Venetus, huius libri compilator, hæc, quæ sequuntur, omnia inuestigare potuerit.

Argon sponsam filio collocat.

Acata prorex.

Tempus reuersionis.

Aucthoris cautio.

CAPVT XI.

De Armenia minori.

PRæmissa generali itinerum nostrorum descriptione, nunc ad particularia descendentes, singulas regiones, quas perambulando lustrauimus, denuò reuisentes, quid in eis viderimus, & experti simus annotaturi. Igitur Armenia minor, quam primo intrauimus, iustitiæ conseruatione, & bona gubernatione cōsistit. Habet regnum ipsum ciuitates multas & plurima oppida: solum quoq; ipsum fœcundum est, & terra nullius rei necessariæ indiga: venationes bestiarum & auium illi non desunt: aër quoq; ipse nulla corruptione infectus, omnibus gratum præstat spiraculum. Incolæ verò regionis illius, qui olim strenui fuere bellatores, nunc otio torpentes molles & effœminati effecti, potationibus & luxui vacant. Est ciuitas quædam in hoc regno, iuxta mare sita, Glacia nomine, optimum

ἀνακεφαλαίωσις.

Incolarū mores.

Glacia.

habens portum, quo plurimi conueniunt mercatores ex varijs regionibus, etiam à Venetijs & Ianua propter varias merces, quæ illuc deferuntur, præsertim aromata diuersarum specierum, aliasq; preciosas quasdam opes ex orientalibus regionibus illuc nundationis gratia delatas: nam est is locus veluti porta quædam orientalium regionum.

Genua.

CAPVT XII.

De prouincia Turciæ.

¶ Vide Haythonũ cap. 13.

Turci.

TVrcia prouincia collectæ gentis, continet populos ex Græcis, Armenis & Turcis. Habent Turci linguam propriam, sub lege detestabilis Mahumeti viuentes. Sunt homines indocti, rudes & agrestes in montibus & vallibus habitantes, atq; pascuosa loca cæteris præeligentes: nam habent greges magnos iumentorum atq; porcorum: habent & mulos, sed illi in magno sunt valore. Græci verò & Armeni, qui inter illos habitant, ciuitates & oppida possident, operamq; suam in sericum collocant. Habent autẽ ciuitates multas, inter quas præcipuæ sunt (a) Gonio, Cæsarea & Sebaste, vbi beatus Basilius martyrium pro Christo suscepit, vnumq; ex Tartarorum regibus Dominum agnoscunt.

(a) Iconium Lycaon. Cæterum Cæsarea & Sebastia Ptol. distinctæ vrbes sunt. Cæsareæ Basilius Episcopum non martyrem egit.

CAPVT XIII.

De Armenia maiori.

ARmenia maior ꝓuincia maxima, Tartaris tributaria, ciuitates multas habet atq; oppida. Metropolis eius † Arzinga vocatur, fitq; ibi buchiranus optimus. Scaturiunt quoq; ibi aquæ feruentes, corporibus humanis abluendis & medendis sanissimæ. Aliæ verò insigniores post metropolin ciuitates sunt Argyron & Darzirim. Aestiuis diebus

diebus plurimi Tartari illuc diuertunt cum gregibus & armentis, vberioris pascuæ gratia illecti. Et rursum hyemali tempore ob niuium abundantiã ad tempus secedunt. In montibus huius Armeniæ remansit Arca Noæ. Habet hæc regio ab oriente cõfinem prouinciam * Zorzaniorum. Ab aquilone verò fons quidam magnus inuenitur, de quo liquor oleo similis scaturit, ad condimentum quidem cibi inutilis, lampadibus verò cõcinnandis & nutriendis, alijsq; rebus inungendis commodissimus: vnde vicinæ quæq; nationes concurrunt, & de fonte illo omnes ꝓ lucernis alendis haurire contendunt: tam enim indesinenter hic fons fluit, vt etiam multæ naues oleo eius oneratæ, in alias abducantur regiones.

Arca Noæ

¶ *Haythonus cap. 9.*

* Georgianorũ

Fons olei scatens.

† al. Arsenga, veteribus Comana Pontica, vt Paulus Iouius. Nominauit tamen Strabo in maiore Armenia Arseniam, Ptolemæus Arsissam paludem, Paul. diac. histor. miscell. lib. 6. pag. 192. Arzianam regionem. Variat etiam Chalcocondyl. nam Arsengam Erzegananam vocat, & Armeniæ regiam facit.

CAPVT XIIII.

De prouincia Zorzania.

ZOrzaniæ * prouincia Tartarorum regi tributa offert, eumq; dominum suum agnoscit. Sunt autem Zorzanij homines pulchri, in armis strenui, atq; in arte sagittaria periti. Sunt etiam Christiani, Græcorum obseruantes ritum. Capillos nutriunt breues, vt clerici occidentales. Est prouincia eorum aditu difficilis, præsertim ab oriente: illic enim arctissima est via, ab vno latere habens mare, & ab altero montes, per quam quatuor leucarum spacio eundum est, donec in prouinciam veniatur. Vnde pauci homines ibi magnum exercitum ab ingressu arcere possunt. Habent incolæ multas ciuitates & castra, abundantq; serico, de quo pulcherrimos holosericos parant pannos. Quidam eorum labori manuali operam impendunt, alij verò mer-

* Georgia est. Id patet de Haythoni historia cap. 10.

cimonijs distrahendis. Terra ipsa satis fertilis est: id mirabile aiunt in hac terra reperiri. Est lacus quidam magnus in ea, ab aquis montium collectus, vocatus mare Cheluceelam, in gyro habens circiter sexcenta milliaria, qui per totum anni spacium nullos mittit pisces, præterquam per quadragesimam vsq; ad Sabbatum sanctum. Distat is lacus à reliquis æquoribus duodecim dietis. Aiunt quoq; Euphratem fluuium, & alia quædam flumina in hunc ruere lacum.

Mare Checelam.

¶ σφάλμα: *nam Euphrates in sinũ Persicũ se exonerat.*

CAPVT XV.

De regno Mosul.

REgnum Mosul * ad orientem situm, partim confine est Armeniæ maiori, habitantq; in eo Arabes, Mahumetum colentes, & multi Christiani, Nestoriani atq; Iacobini: quibus præest Patriarcha magnus, quem ipsi Iacelich vocant. Fiunt ibi panni pulcherrimi ex serico & auro. Cæterum in montibus huius regni habitant homines Cordi appellati, quorũ quidam Nestoriani sunt, alij Iacobini, & quidam Mahumeti sunt sectatores, atq; magni prædones.

*Hãc veteribus Seleuciã esse volũt. Vide Haythonũ ca. 12

Iacelich, Patriarcha Nestorianorum et Iacobit.

¶ *Vide Brocardum Monachum. Zonaras in Heraclio Iacobitarum Patriarcham vocat Catholicum.*

¶

CAPVT XVI.

De ciuitate Baldachi.

EST in partibus illis ciuitas quædam insignis (a) Baldachũ nomine, quæ in scripturis sacris Susa appellatur, in qua manet Prælatus magnus Sarracenorum, quẽ ipsi Caliphum vocant. Non inuenitur in partibus illis nobilior quàm illa sit ciuitas. Parantur ibi ex auro & serico pulcherrimi panni, ijq; sub varia habitudine. Anno ab incarnatione Domini M. CC. L. magnus Tartarorum rex * Allau obsedit, atq; tam acriter oppugnauit hanc vrbem, donec caperet eam. Erant tunc plura quàm centum millia armatorum in

*Haolonus.

¶ *Haythonus ca. 26*

in ciuitate, sed Allau longè fortior illis erat. Cæterum Caliphus vrbis dominus turrim habebat plenam auro, argento & lapidibus preciosis, atq; reliquis * iocalibus, sed auaritiæ stimulis sauciatus, noluit collectum thesaurum in milites spargere, illisq; munera largiri, ideoq; ipse cum ciuitate periclitatus est: nam Allau rex obtenta ciuitate, Caliphum cepit, & in turrim illam, in quam thesaurum suum reposuit, coniecit, negatoq; omni cibo & potu, ait illi: Si thesaurum hunc non tam auarè & tenaciter seruasses, teipsum & ciuitatem liberasses: nunc igitur fruere thesauro tuo, & ex eo comede atq; bibe, quem tantopere dilexisti. In hunc itaq; modum miser ille, thesauro suo incumbens, fame perijt. Transit per hanc vrbem fluuius quidam magnus, atq; in Oceanum Indicum se effundens, à cuius ostio vrbs ipsa decem & octo distat dietis, vt citra magnum incommodum innumeræ merces ab India ad eum adduci posſint. Porrò fluuius ipse originem sumit à ciuitate Chisi. Est quoq; ciuitas alia inter Baldachum & Chisi, Bascia nomine, quæ magno palmarum nemore circundatur, de quo maxima dactylorum colligitur copia.

*Preciosam supellectilem aut gazam dicit, vt suprà cap. 1.

Bascia.

¶ *Infrà cap. 25.*

(*a*) Alij Babylonem, alij Ctesiphontem esse volunt. Vide scholia in Chron. Hierosol.

CAPVT XVII.
De ciuitate Taurisij.

IN illis quoq; partibus est Taurisium (*b*) nobilisſima ciuitas, in qua multiplices exercentur mercantiæ: nam sunt ibi gemmæ preciosæ, panni auro texti atq; holoserici cum alijs varijs mercibus. Et quoniam ciuitas in optimo sita est loco, conueniunt ibi plurimi negociatores ex varijs mundi partibus, ab India, à Baldacho, à Mosulo & Cremosor: ex Latinorum quoq; terris nonnuli nundinandi gratia illuc concedunt: nam mercatores plurimum hinc ditantur. Ciues Mahumetum venerantur, licet quidam Nestoriani atq; Iacobini ibi etiam inueniantur. Sunt in circuitu

cuitu ciuitatis horti pulcherrimi & amœni, vnde incolæ plurimos & optimos colligunt fructus.

(b) Ptol. Terua maioris Armeniæ ciuitas. Vide Haython. De opulentia eius Schiltberger. Adde quæ habet Bizarus lib. 12. rerum Persic. pag. 401.

CAPVT XVIII.

Quomodo miraculosè mons quidam in alium locum fuerit translatus.

Mons loco motus.

¶ *Similē de Gregorio Neocæsariēsi, qui cognominatus fuit θαυματουργός habet hist. Eusebius histor. Ecclesiast. li. 7. cap. 24.*

EST mons quidam in regione illa haud longè à ciuitate Taurisij, qui olim virtute diuina à loco suo hac occasione dimotus est. Accidit semel, vt Sarraceni Euangelium Christi blasphemare volentes, & veluti vanam doctrinam Christianis improperantes, dicerent: Est scriptū in Euangelio vestro: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis monti huic, transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Nunc igitur si fides vestra caret errore, amouete montem hunc, & probate Euangelij virtutem. Et quoniam Christiani sub perfidorum illorum dominio erant, cogebantur vel montem illum transferre, vel Mahumeticam subire legem: & si neutrum facerent, gladio ferirentur. Tunc vir quidam in Christi feruens amore & fide, confortauit pusillanimes, & fusa oratione ad Dominum, cum tota fiducia dixit monti: abi hinc: quod vidente multitudine ilico factum est. De quo miraculo multi Sarracenorum conuersi, Christum confiteri cœperunt.

CAPVT XIX.

De regione Persarum.

Persidis octo regna

PErsia maxima & latissima est prouincia, fuitq; olim nobilis & magni nominis: nunc verò à Tartaris dissipata, obscurior est quàm vnquam fuerit. Abijt tamen nomen eius in vicinores quasq; prouincias, vt etiam hodie Persidis prouincia octo complectatur regna: quorum primum

vocatur

vocatur Chasum, secundum Churdistam, tertium Lor, quartum Cielstam, quintum Instanich, sextum Zerazi, septimnm Socham, octauum Timochaim, & est in finibus Persarum: suntq; ibi equi magni & pulchri, vt etiam quandoq; vnus veneat pro ducentis libris Turonensibus. Ducunt autem eos negotiatores ad ciuitates Chisi & Curmosa, in littore maris sitas, vnde in Indiam venduntur. Asini quoq; ibi sunt pulcherrimi & optimi, vt etiam vnus vendatur pro triginta argenti ponderibus. Homines verò in regionibus illis pessimi sunt, rixosi, prædones & homicidæ, fidem Mahumeti profitentes. Mercatores passim occiduntur ab illis prædonibus, nisi cateruatim per itinera incedant. In ciuitatibus tamen optimi sunt artifices, qui in auro, serico, & opere acupictorio mira faciunt. Abundant bombyce, tritico, hordeo, milio, alijsq; frumenti speciebus. Vini quoq; & fructuum habent vbertatem.

Equi.

Asini.

Incolæ.

CAPVT XX.

De ciuitate Iasdi.

IAsdi * est ciuitas magna in eadem regione, in qua multæ fiunt mercantiæ. Habet quoq; & ipsa subtiles artifices, qui in serico laborant. Colunt etiam Mahumetum. Vltra Iasdi per septem dietas non est vlla hominum habitatio vsq; ad ciuitatem Crermam: sed sunt loca campestria atq; nemorosa, in quibus multæ sunt venationes. Inueniuntur quoq; ibi magni conatices, & hi in magna multitudine.

* Forsan Haythono ca. 7. Spaché.

CAPVT XXI.

De ciuitate Crermam.

CRermam (a) est ciuitas insignis, vbi in môtibus plurimi reperiuntur lapides, Turchisi * vulgò appellati. Sunt quoq; ibi mineræ chalybis & andanici. Item habent falcones nobiles, volatum pernicissimum habentes, minores tamen falconibus peregrinis. Habet Crermam artifices

* Cyani, vt Iouio.

diuersorum armorum, qui fabricant frena, calcaria, sellas, spatas, arcus, pharetras, & alia instrumenta, iuxta vsum patriæ illius. Mulieres verò distinentur opere plumario, facientes culcitras & ceruicalia speciosa. A Crermam vltra progrediendo, itur per magnam planiciem, exactoq; septem dierum itinere, peruenitur ad descensum quendam, qui duorum dierum spacio vix tandem perficitur, vestigio semper in decliuum inclinato. In planicie multæ inueniuntur perdices, itemq; castra & oppida. In decliui verò descensu sunt arbores multæ & frugiferæ, sed non est ibi habitatio nisi pastorum. Habet hæc regio hyemali tempore intolerabile frigus.

(a) Haythono cap. 8. Queremon, Mediæ scilicet ciuitas.

CAPVT XXII.

De ciuitate Camandu, & regione Reobarte.

VEnitur post hæc ad planiciem quandam magnam, vbi ciuitas quædam sita est Camandu nomine, quæ olim magna fuit, sed nunc à Tartaris diruta est, retinuitq; regio ab ea vocabulum. Inueniuntur ibi in magna copia dactyli, pistachi, * poma paradisi, atq; alij varij fructus, qui in regionibus nostris non crescunt. Habet quoq; regio illa aues, quæ fincolinæ dicuntur, permisti coloris, albi scilicet & nigri, quarum pedes & rostra rubescunt. Habet item boues maximos, & in vniuersum candidos, cornua breuia & minimè acuta in capite gestantes, camelino gibbo dorso eorum imminente, vnde tam fortes redduntur, vt ad magna onera gestanda facilè assuefiant. Et cùm clitellæ gibbo imponuntur, vt cameli genu flectunt, & rursum suscepto onere surgunt, sic ab hominibus edocti. Arietes illius regionis non minores sunt asinis, caudam ferentes tam longam & latam, vt triginta librarum pondus habeant. Sunt pulcherrimi & pingues, atq; ad esum optimi. Sunt præterea in huius regionis planicie multæ ciuitates & oppida, sed quæ

* Mala Getulica.

Boues gibbosi.

Arietes asini magnitudine.

quæ muros habent luteos atq; incompositos, fortes tamē: Nam sunt in ea regione multi prædones, quos Caraonas vocant, habentq; regem. Vtuntur hi prædones incantationibus: & quando ad prædam excurrunt, arte illa diabolica id efficiunt, vt aër interdiu per magnum temporis spacium adeò obscuretur, vt a nemine videri & caueri possint, prorogantq; huiusmodi caliginem interdum quinq; & aliquando septem diebus, & interim campos peruagantes in maximo numero, vt etiam quandoq; turma eorum decem millia grassatorum complectatur, in aciem bellatorum more se redigunt, & in latum diffusi sic procedunt, & quicquid obuiam illis venit, homines & iumenta, capiunt, iuuenes venum exponunt, senes verò occidunt. Ego Marcus, qui hæc scribo, semel in hanc incidi caliginem: & quoniam parum aberam à castro, quod Canosalim dicitur, facilè periculum euadere potui ad castrum fugiendo. Plures tamen è comitiua mea in retiaculum illud dæmoniacū incidentes, partim venditi, & partim interfecti fuerunt.

Caraones prædones. Eorundē incantationes. Auctoris periculū.

CAPVT XXIII.

De campestribus formosis, & ciuitate Cormos.

PLanicies illa, de qua iam dictum est, meridiem versus extenditur ad spatium quinq; dietarum. In extremitate verò eius incipit via sensim descendere, vt per viginti milliaria semper in præceps cogaris ire: & est via ipsa pessima, atq; ob prædatores periculis non carens. Tandem venitur ad campestria pulcherrima, quæ in longum ad duas diætas se extendunt, vocaturq; locus ipse * Formosa. Abundat terra illa riuis aquarum, & arboribus palmarum. Est quoq; ibi copia diuersarum auium, præsertim * papagaiorum, quæ citra mare non habentur. Hinc peruenitur ad mare Creanum, in cuius littore sita est ciuitas (a) Cormosa, optimum habens portum, ad quam multi conueniunt negociatores, ab India aromata, margaritas, lapides

* Tempe
* Psittacorum.

 preciosos,

preciosos, pannos aureos & holosericos, dentesq; elephantorum, & alia preciosa quæq; adferentes. Est ciuitas illa regalis, habens sub se ciuitates & castra. Regio verò ipsa calida est & infirma. Si extraneus quispiam mercator in ea moriatur, rex terræ omnia eius confiscat bona. Vinum faciunt in illa terra ex dactylis, atq; alijs optimis speciebus: tamen qui eo non sunt assueti, & primum bibere cœperint, ventris fluxum cient: qui verò assueti fuerint, mirum in modum pinguescunt. Incolæ loci non vescuntur pane triticeo & carnibus, sed comedunt dactylos, pisces salitos, & cæpas. Naues habent non admodum tutas: nam non consolidant eas clauis ferreis, sed ligneis cum filis quibusdam, quæ fiunt ex corticibus nucum Indicarum. Hi cortices in modū corij parantur, vnde fila scinduntur, & ex filis funes fiunt fortissimi, qui aquarum impetum & assultum ferre possunt, nec ab aquis facilè corrumpuntur. Habent naues illæ vnas arbores, vna vela, vnosq; temones, nec nisi vno teguntur opertorio. Pice non linuntur, sed piscium sumine. Et cùm in Indiam transfretant, equos & alia onera secum deferentes, multas amittunt naues, quòd mare illud admodum tempestuosum sit, & naues ferro non sint communitæ. Incolæ illius regionis nigri sunt, Mahumetiq; legi addicti. AEstatis tempore, quando æstus intolerabiles sunt, non morantur in ciuitatibus, sed extra mœnia habent viridaria aquis irrigata, & per canalia huc illucq; aquam trahunt, illicq; habitantes Solis calorem aliquantulum subterfugiunt. Fit etiam non rarò, vt à regione cuiusdam deserti, vbi nihil est præter sabulum, ventus quidam vrens & vehemens spiret: & nisi homines illico fugam caperent, nimio calore oppressi suffocarentur. Sentientes enim prima illius venti spiracula, mox ad aquas confugiunt delitescuntq; in eis, donec flatus expirauerit: atq; in hunc modum ardorem illum ab arena allatū effugiunt. Fit quoq; in hac regione, vt sementem non nisi in Nouembri in terram spargant, & in initio Martij segetem demetant, quo tempore etiam alij fructus maturescunt & colliguntur.

Vinum è dactylis. *Incolarū victus.* *Naues.* *Religio Mahomet.* *Agricultura.*

Nam

Nam post Martium arborum folia & herbæ nimio calore percussæ exarescunt, vt per totam æstatem nec vnum virens folium, nisi iuxta aquas, inuenias. Mos est huius patriæ, quùm quispiam paterfamilias mortuus fuerit, vt vxor eius relicta quatuor annis continuis eum lugeat, singulis diebus semel fletui vacans. Conueniunt etiam ad defuncti domum consanguinei eius & vicini quiq;, magno rugitu illius mortem deplorantes, atq; acerbas facientes querelas. *Luctus funebris.*

(a) Seq. cap. Cremos. Fortè autem est Carmana, Carmaniæ metropol. Iouius quidem li.14. eandem Chermanim nominauit, & ipsam Carmaniam Narsingam vocari ait. Meminit Vartomanus li. 3. ca. 2. & seq. & Ormum nuncupat.

CAPVT XXIIII.

De regione, quæ est inter ciuitates Cremos & Crermam.

VT etiam ad alias stylum vertam regiones, relicta iam India, redeundum est mihi ad Crermam, vt hinc recto ordine progrediar ad eas, quas vidi & lustraui terras. Igitur si gressum à Cremos versus Crermam moueris, inuenies magnam & pulcherrimam quandam planiciem, nulla re, quæ ad victum pertinet, carentem: præsertim tritico abundat: verùm panis ex eo confectus, ab ijs, qui eo non sunt assueti, comedi non potest, adeò amarus est, ab amara aqua illi impasta. Abundant etiam incolæ dactylis, & alijs suauibus fructibus. Habent insuper thermas contra scabiem, & alias multas ægritudines, efficaces. *¶ Nota Itinerarij seriem.* *Panis amarus.*

CAPVT XXV.

De regione inter Crermam & Cobinam sita.

EVndo à Crerma versus ciuitatem Cobinam, occurrit iter tædiosissimum, quippe quod in longum ad septem

extenditur dietas, nullas ferè habens aquas, nisi perpaucas, & has quidem salsas & amaras, viridem præ se ferentes colorem, perinde ac si herbarum esset succus: & qui vel paululum ex eis delibauerit, ventris profluuium euadere non potest. Idem fieri solet, si quispiam gustet sal ex ea aqua confectum. Necesse igitur est, vt viatores aquam aliquam secum portent, si modò non velint siti periclitari. Iumenta quoq; ipsa horrent, cùm aquam illam bibere coguntur, nec ventris fluxum, vbi biberint, subterfugiunt. Nulla propterea est in illo deserto habitatio hominum neque ferarum, exceptis onagris, quod nec cibum nec potum illic habere possint.

Aqua viridis.

CAPVT XXVI.

De ciuitate Cobinam.

Cobinam * est ciuitas magna, copiam habens ferri, chalybis & andanici. Fiunt ibi specula de chalybe pulcherrima & magna. Fit quoq; ibi tutia, quæ oculis medetur, & espondium, idq; in hunc modum. Habet regio illa mineras, ex quibus terram fodiunt, & in fornacem ignitam proiectam decoquunt, desuper crate ferrea vaporem ascendentem intercipiente, in qua vapor conglutinatus, tutia efficitur. Materia verò grossior, quæ in igne remanet, espondium vocatur. Sunt huius terræ incolæ Mahumeti sectatores.

* Videtur alijs esse Cuchina, qua intelligi volunt Badarā Carmaniæ.

Tutia.

CAPVT XXVII.

De regno Timochaim, & arbore Solis, quæ à Latinis arbor sicca vocatur.

Relicta ad tergum ciuitate Cobina, occurrit desertum aliud, habens in longitudine iter octo dierum, estq; in eo ariditas magna: caret arboribus & fructibus: & aquæ, quas habet, amarissimæ sunt, vt etiam iumenta eas bibere recusent: & nisi viatores aquam secum deferrent, siti periclitaren-

clitarentur. Superato verò hoc deserto, venitur ad regnum Timochaim, in quo multæ sunt ciuitates & castra. Est regnum illud confine Persidi à parte Aquilonis, crescitq; in eius planicie arbor magna, arbor Solis dicta, quæ apud Latinos arbor sicca vocatur. Hæc grossa est valde, habetq; folia, quæ ex vno latere sunt candida, ex opposito verò latere sunt viridis coloris. Fructus nullos præter entios producit, eosq; in modum castaneæ buxini coloris. Patet campus ille circumquaque ad multa milliaria, vt nec vnam in eo inuenias arborem. Aiunt, * Alexandrum Magnum ibi cum Dario conflixisse. Est autem tota terra regni Timochaim, saltem quæ inhabitatur, fertilis & multarum rerum ferax, bonoq; aëre temperata. Habet etiam viros pulchros, sed pulchriores mulieres. Mahumeti perfidiam sequuntur.

* Hæc fama fortè de Alexãdria Carmaniæ (de ea enim loq videtur) mãauit: nam alioqui notam loca prælioru inter Alexandrum & Dariũ.

CAPVT XXVIII.

De tyranno quodam insigni & sicarijs eius.

Est in terris illis regio quædam Mulete dicta, vbi dominabatur princeps quidam pessimus, Senex de montanis dictus, de quo multa audiui: & quæ relaturus sum, ab alijs multis regionis illius incolis didici, qui ita mihi dixerunt. Fuit princeps ille cum vniuerso populo suo, cui præerat, legi Mahumeti addictus. Is inauditam excogitauit malitiam: Nam homines quosdam sicarios seu gladiatores, quos vulgò Assasinos vocant, sibi adiunxit, & per illorum effrenem audaciam quoscunq; voluit, occidit, vt breui omnibus terrori esset. Poro id hac impostura effecit. Erat in terra illa vallis quædam amœnissima, altissimis septa montibus, intra quam viridarium plantauit maximum, & pulcherrimis floribus odoriferis & fructibus suauibus, atq; alijs delectabilibus refertum herbis. Extruxerat etiam in illo horto palatia quædam egregia mira decorata pictura, & quicquid illis ornamento esse potuit, adhibuit. Porro quæ ad totius corporis voluptatem faciunt,

Mulete.

¶ *Veteribus Ariana, vt Cælius Augustinus.*

Aladinus Sexmontius.

Assaßini.

ciunt, non est opus vt multam de illis faciam mentionem, quùm horto illi & palatijs non defuerint riuuli varij, aqua, melle, vino & lacte fluentes, varia musicæ artis instrumenta & melodiæ, choreæ, tripudia, palestræ, vestes preciosæ & mirus apparatus omnium delectabilium rerum, quibus pro voto fruebantur iuuenes quidam intra viridarium positi, qui aliud nihil faciebant, quàm quod vitam beatam viuebant, tristitiæ nullum dantes locum. Erat proinde in introitu horti castrum fortissimum, diligenti munitum custodia, per quod solum & per nullum alium locum patebat ingressus & exitus in hortum. Extra locum illum habebat senex ille, cui nomen erat Alaodin, iuuenes quosdam & viros fortes, audacis atq; præfracti animi, quos ad hoc ipsum instituebat, vt animi sui detestabile exequerentur propositum. Curabat illos informari in nefaria lege Mahumetica, quæ obseruatoribus suis in vita futura carnales promittit voluptates. Et vt eos obsequentiores sibi redderet, & ad omne vitæ periculum intrepidos, quùm illi videretur, faciebat eis, vel quibusdam eorum, dari potum quendam, quo inescati dementes fiebant, & graui opprimebantur sopore, interimq; in viridarium ducebantur: & cùm sopore soluto euigilarent, & viderent se tantis interesse delitijs, putabant se in paradisum Dei raptos, viuereq; cum Mahumeto legislatore ipsorum, & illis, quæ promisit, perfrui gaudijs. Quid plura? Gaudebant se ex seculi miserijs ereptos, & iam aliam atq; felicem viuere vitam. Sed quùm paucis diebus his gaudijs interfuissent, senex, quibus volebat, iterum memoratum potum bibendum exhibuit, & dementatos extra paradisum illum reduxit. Tunc illi ad se redeuntes, & reminiscentes, quibus & quantis ad modicum tempus potiti fuissent gaudijs, supra modum dolebant, & tristes efficiebantur, quòd delicijs illis perpetuò frui nó concessum sit, mortem libenter subituri, modò hac vita, tam modicè degustata, semper viuant. Tunc tyrannus ille, qui Dei propheram se esse mentiebatur, aiebat illis: Audite me, & nolite contristari: si parati estis, vt pro

me

mea obœdientia mortem intrepidè, vbi illata fuerit, subeatis, participes vos pronuncio futuros illorum gaudiorum, quæ ad horam vidistis. At miseri illi mortem lucrum putantes, nihil tam difficile aiunt iniungendum, quod pro illa beata vita consequenda non libenter subeant. Abutitur igitur Tyrannus ille his præfractis hominibus ad innumera homicidia, quippe corporalem vitam prostituentes, contemnebant etiam mortem ipsam; & passim ad tyranni iussum in regione illa sic grassabantur, vt omnibus hominibus essent formidini, & nemo insaniæ illorum resistere auderet: sicq; fiebat, vt multæ regiones, & potentes viri tyranno illi tributarij fierent.

CAPVT XXIX.

De interfectione memorati tyranni.

ANnodomini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo * Allau, rex Tartarorum, potenti exercitu tyranni illius castrum obsedit, cupiens tantum periculum è suis eliminare partibus. Et elapsis tribus annis, cœpit illum cum omnibus Assassinis suis: defecerant enim illis victualia: & funditus aboleuit locum, & homines interfecit.

* Haolonus.

¶ *Vide Haythonũ cap. 24. qui de obsidionis tempore non parũ variat.*

CAPVT XXX.

De ciuitate Sopurgam & terminis eius.

REcedendo à præfato loco, venitur ad regionem quandam satis amœnam, quæ habet colles, planicies, & optima pascua, vberrimos deniq; fructus: est enim solum eius feracissimum: neq; vllam habet penuriam, præterquam aquæ: nam eundum est per quinquaginta aut sexaginta milliaria, donec aliquid aquæ inuenias: vnde nisi viatores aquam secum deferrent, sæpe siti periclitarentur, id quod etiam iumentis accidere solet. Festinanter igitur regio ipsa percurrenda est, præsertim vbi tanta est terræ

Regio siticulosa.

ariditas. Extra illam siccitatem habet regio illa multas ciuitates & oppida. Incolæ Mahumetum agnoscunt. Post hæc venitur ad ciuitatem Sopurgam, vbi omnium victualium reperitur copia: præsertim ibi abundant pepones, quos filis diuidunt non secus quàm cucurbitæ dissecantur, & desiccatos ad proximas terras vendendos portant, à quibus auidè comeduntur, quùm mellis ferè habeant dulcedinem. Sunt etiam in regione illa plurimæ venationes bestiarum & auium.

Pepones.

CAPVT XXXI.
De ciuitate Balac.

PRætereuntes inde venimus in ciuitatem quandam, Balac nomine, quæ olim magna & nobilis fuit, sumptuosa habens marmorea palatia: nunc verò à Tartaris diruta est. In hac ciuitate ferunt Alexandrum Darij regis filiam (a) in vxorem accepisse. Hæc ab Aquilone terminatur ad Persidis prouinciam. Quod si hinc soluas, & procedas inter Orientem & Aquilonem, non inuenias ad duas dietas vllam habitationem: quia habitatores loci tot molestias à latronibus & prædonibus passi, coacti sunt fugere ad montana, loca scilicet tutiora. Inueniuntur ibi aquæ multæ, atq; venationes bestiarum plurimæ: sunt quoq; illic leones. Viatores, quoniam nihil alimenti in itinere inueniunt, victualia secum deferunt, quæ pro duobus diebus illis sufficiant.

(a) Ea fuit Statyra, cum qua Alexander nuptias Susis celebrauit, teste Plutarcho. Fuerit ergo Balac Susa. Certè arcem Susorum adhuc hodie superesse, meminit Petrus Bizarus rerum Persic. pag. 410.

CAPVT XXXII.
De regno Taicam & terminis eius.

EXacto itinere duorum dierum, quos memorauimus, occurrit castrum quoddam, * Taicam vocatum, vbi

*Forsan Vartóano lib. 4 cap. 5. Decan.

frumenti

frumenti magna est copia, agerq; ipse pulcherrimus. Sunt ibi quoq; montes Salis ad meridiem extensi, tam magni, vt totus mundus hinc Sal sufficiens habere posset. Est autem sal ipsum tam durum, vt non nisi cum ferreis malleis è montibus erui possit. Quod si vltrà ab isto loco procedas, inter plagam scilicet orientalem & aquilonarem eundo, post tres consummatas dietas venies ad ciuitatem Scassem, licet alia quoq; oppida in itinere occurrant. Huius regionis incolæ omnes Mahumetum colunt: bibunt tamen vinum, cuius terra illa sicut & frumenti atq; fructuum maximè est ferax: imò tota die nihil agunt, quàm quod calicibus euacuandis incumbunt. Est vinum illud coctum & optimum. Homines verò sunt pessimi, sed optimi venatores: nam abundat terra eorum bestijs syluestribus. Nudi caput incedunt, nisi quòd viri chordula quadam longitudinis decem palmorum caput ligant. E bestiarum verò syluestrium, quas capiunt, pellibus indumenta sibi parant, sicut & caligas & calceamenta, nec alijs vtuntur vestibus.

Sal fossilis

Scassem.

Incolarũ religio.

Mores.

CAPVT XXXIII.

De ciuitate Scassem.

Ciuitas autem Scassem in planicie est sita, habetq; in circumiacentibus montibus multa castra. Fluit etiam per medium eius magnus quidam fluuius. Sunt in regione illa multi sues spinosi, qui cùm capiuntur, spinis suis sæpè homines & canes lædunt: nam canes à venatoribus in porcos prouocati, adeò iritant & commouent feras illas, vt simul concurrentes terga sua, quibus spinæ innituntur, vehementer commoueant, atq; stimulos ipsos vehementia quadam excutiant, atq; in viciniores homines & canes vibrent. Habet gens illa linguam propriam: pastores eius morantur in montibus, vendicantes sibi cauernas pro habitaculis. Itur hinc per tres dietas ad prouinciam Balasciæ, atq; intermedio itinere nulla humana occurrit habitatio. Necesse igitur est, vt viatores cibum & potũ secũ portent.

Histrices.

CAPVT XXXIIII.

De prouincia Balasciæ.

Fabulosa ab Alexā: M. stirps.

*Forsan Haythono cap. 6 Balarā, vt Balascigemæ Balais. Ptolémæo choroane dici putatur Parthiæ nimirū regiuncula.

Lazulum.

Equi generosi.

BAlascia * est prouincia magna, habetq; linguam propriam, cultui Mahumeti dicata. Reges eius, qui iure hæreditario sibi inuicem succedunt, ab Alexandro Magno originem duxisse feruntur. Producit hæc eadem prouincia lapides preciosos atq; magni valoris, qui à nomine regionis balasci vocantur. Nemo citra capitis pœnam audet huiusmodi lapides vel fodere, vel extra regionem asportare, nisi cum licentia & consensu regis: omnes enim illi lapides regis sunt, & is mittit eos, quibus vult vel pro dono, vel pro solutione tributi: multos etiam commutat pro auro & argento. Vsque adeò autem terra illis turgescit lapidibus, vt ad regem parum hinc rediret emolumenti, si passim omnibus permitteret eos fodere & distrahere: nam sic lapis ipse vilior redderetur. Suppeditat quoq; mons alius in hac prouincia lazulum, de quo fit azurum optimū, quale etiam in mundo non inuenitur. Elicitur autem ex mineris non secus ac ferrum: præbent quoq; mineræ argentum. Regio ipsa valde frigida est. Equos habet multos & optimos, magnos & veloces, qui tam duras & fortes in pedibus habent plantas & vngulas, vt ferramento opus non habeant, etiam quantumlibet per saxa & montes currant. Abundat præterea regio ipsa venatione bestiarum & auium. Habet quoq; herodios, seu optimos falcones. Fert ager eius triticum optimum, hordeum & milium in magna copia. Oliuis caret, sed ex nucibus & Sosima oleū conficiunt. Incolæ extraneas gentes minimè metuunt, eo quòd introitus in prouinciam sūnt multum arcti, nec possunt hostes facilè irrumpere. Ciuitates eorum & castra arte & natura munita sunt. Sagittarios habent certos, & venatores optimos. Induuntur vt plurimum corio: nam vestes laneæ & lineæ ibi haberi nequeunt, nisi ꝓ magno precio. Mulieres tamen nobiles vtuntur pannis lineis & bombycinis.

CAPVT XXXV.

De prouincia Basciæ,

PRouincia Basciæ distat à regione Balasciæ decem dietis. Et est regio ipsa valde calida: vnde fit, vt homines nigri sint, sed astuti atq; mali. Linguam habent propriam: & in auribus gestant inaures aureas & argenteas atq; margaritas. Vescuntur carnibus & *riso: idololatræ sunt, incantationibus & dæmonum inuocationibus vacantes. * Oriza.

CAPVT XXXVI.

De prouincia Chesimur.

PRouincia * Chesimur distat à Bascia per dietas septem. Incolæ eius linguam propriam habent, & idololatræ sunt, idola consulentes, atq; responsa à dæmonibus recipientes. Faciunt quoq; arte diabolica, vt aër in caliginem condensetur. Bruni coloris sunt, hoc est, nigricantis: nam regio temperata est. Carnibus vescuntur & riso, & tamen macilentissimi sunt. Ciuitates ibi multæ sunt & oppida. Rex eorum nulli tributarius est, quia neminem timent, desertis vndiq; vallati, quo fit, vt difficilis ad eos sit accessus. Sunt in hac prouincia quidam eremitæ, qui in monasterijs & cellis idolis seruiunt, cum magna cibi & potus abstinentia, deos suos honorantes, quos etiam plurimum reuerentur, & cauent ne eos offendant, nefaria illorum mandata transgrediendo. Vnde & vulgò in magno honore ij habentur eremitæ.

* Veteribus Arachosia, vt Mercator.

Incolarũ præstigiæ

Monachi idolatrici.

CAPVT XXXVII.

De prouincia Vocam, & montibus in ea altissimis.

HIc iam iterum occurreret India, si iuxta priorem tramitem progrederer, sed quia illam in tertio libro descripturus sum, iam aliã viam pergere statui, ad Balasciam

¶ *Nota iterum Itinerarij seriem.*

ſcilicet redeuntes, & hinc inter plagam Aquilonarem atq; Orientalem iter facientes. Igitur ſpatio duorum dierum venitur ad flumen quoddam, vbi multa ſunt caſtra & villæ: & homines illorum locorum probi ſunt, & in armis ſtrenui, ſed Mahumetum colunt. Rurſus ſpatio aliorum duorum dierum venitur ad prouinciam *Vocam, quæ ſubiecta eſt regi Balaſciæ, habens in longum & latum ſpatium trium dietarum Incolæ eius habent linguam propriam, & colunt Mahumetum. Sunt etiam ſtrenui bellatores atq; boni venatores: nam abundat regio illa ſylueſtribus animalibus. Hinc ſi diſcedas ad orientalem plagam, aſcendendum tibi erit per tres continuos dies, quo vſq; peruenias ad montem altiſsimum, & quo altior non eſt in mundo. Ibi etiam inuenitur inter duos montes planicies quædã amœna, & in ea fluuius pulcherrimus, iuxta quem optima ſunt paſcua, ita vt in illis equus aut bos macilentus decem dierum ſpatio pingueſcat. Eſt ibi copia animalium ſylueſtrium: præſertim inueniuntur ibi arietes ſylueſtres maximi, longa habentes cornua, ex quibus varia vaſorum genera effinguntur. Continet planicies illa in longitudine ſpatium, quod duodecim diebus peragrari poteſt, vocaturq; Pamer. Sed ſi longius progrediare, deſerti ſpeciem præ ſe fert: nec eſt ibi vlla habitatio humana, aut vlla herba virens. Coguntur itaq; viatores ſecum ferre ea, quæ illis ſunt neceſſaria, pro corporis ſuſtentatione. Nulla quoq; ibi apparet auis, propter frigus, & nimiam terræ eleuationem, quæ pabulum nullũ adminiſtrare poteſt animalibus. Ignis ſi quandoq; ibi accendatur, obſtante nimia regionis frigiditate, nõ eſt ita lucidus, nec adeò efficax in ſua actione, vt in locis demiſsioribus. Hinc via vlterius ducit inter Orientem & Aquilonem per montes, colles atq; valles, in quibus multa inueniuntur flumina, nulla autem habitatio humana, nec vlla herba: vocaturq; regio ipſa Belor, omni tempore hyemis effigiem præ ſe ferens, eaq; facies perſeuerat, donec viator quadraginta dietas abſoluat. Pro tot etiam diebus neceſſe eſt, vt victum ſecum deferat. In montibus

Vocam.

*Forſan Garciæ ab Horto lib. 2. cap. vlt. Cuncã.

Paſcuorũ vbertas.

Arietes ſylueſtres.

Pamer.

Belor.

tibus tamen altisſimis hinc inde hominum habitationes conſpiciuntur, ſed qui peſsimi & crudeles ſunt, idololatriæ deditì, qui ex venatione viuunt & corio veſtiuntur.

CAPVT XXXVIII.

De prouincia Caſſar.

* Infrà cap. 43. & hãc & ſequẽtes quatuor vocat magnæ Turciæ puĩcias.

POſt hæc peruenitur ad prouinciam *Caſſar, quæ magno Cham tributaria eſt. In ea ſunt vineæ, viridaria, arbores frugiferæ, bombyx, & aliæ agrorum poſſeſsiones. Incolæ verò habent linguam propriam, & ſunt negociatores & artifices, atq; lucri gratia per prouinciam diſcurrentes, adeò auarè diuitijs inhiant, vt vix ſatis de partis edere audeant. Mahumeti quoq; legi parent: tametſi quidã Chriſtiani Neſtoriani ibi inueniantur, qui ſuas quoq; habent eccleſias. Regio patet quinq; dierum ſpatio.

Incolarũ auaritia.

Religio.

CAPVT XXXIX.

De ciuitate Samarcham, & miraculo columnæ in eccleſia facto.

SAmarchã (a) ciuitas magna & egregia eſt in regione illa, tributaria nepoti magni Cham. In hac habitant Chriſtiani cum Sarracenis, hoc eſt Mahumetanis. Accidit verò his temporibus in ea diuina virtute tale miraculum. Frater magni Cham, nomine Cigatai, qui regioni illi præfuit, perſuaſus à Chriſtianis, baptiſmi ſuſcepit Sacramentum. De quo Chriſtiani gaudentes, fauore illius ædificârunt baſilicam magnam in honore diui Ioannis Baptiſtæ. Porro architecti eccleſiam illam tali fabricauerunt ingenio, vt tota eius teſtudo vni niteretur marmoreæ columnæ, quæ medium eccleſiæ tenuit locum. Habebant tunc Sarraceni inſignem lapidem, qui omnibus modis ad hoc quadrabat, vt baſis loco præfatam ſuſtineret columnam. Raptus igitur à Chriſtianis, in fundamento columnæ locatus eſt. De quo Sarraceni dolentes, hiſcere non audebant, quùm princeps

ceps

ceps ad hoc ipsum annuisset. Factum est autem, vt aliquanto post tempore princeps ille moreretur, & illi filius eius in regno succederet, non autem in fide. Tunc Sarraceni ab eo obtinuerunt, vt Christiani lapidem illum, quem columnæ supposuerant, reddere cogerentur. Et cùm illi precium satis dignum offerrent, recusârunt Sarraceni quicquã aliud accipere quàm lapidem. Quod hac impostura faciebant, vt Christianorum ecclesia funditus destrueretur. Christiani itaq; videntes, durum esse contra stimulum calcitrare, aliò confugere nequiuerunt, quàm ad Deum, & ad sanctum suum Ioannem Baptistam, quem lachrymosis oculis inuocare cœperunt. Adueniente itaque die, quando lapis sub columna auferendus erat, ne ecclesia diutius maneret, nutu diuino longè aliud accidit, quàm perfidi sperauerant Sarraceni. Siquidem columna ipsa adeò subleuata est ab ipsa basi, vt trium palmorum spatium inter vtriusq; lapidis superficiem intercesserit, & columna ipsa iam testudinem Ecclesiæ non ferret, sed vice versa testudo columnã portaret, id quod in hunc vsq; diem perseuerat.

Legenda eleuatæ columnæ.

(a) Quæri posit, sitne Samarcanda Bactrianæ TAMERLANIS patria, vel Samnarcha, de qua Chron. Hierosolym. lib. 4. cap. 3. Nisi fortè vtrunq; nomen eiusdem est ciuitatis. De Samarcanda præclarè Iouius lib. 14.

CAPVT XL.

De prouincia Carcham.

RVrsum ab hac vrbe digressi, venimus in prouinciam Carcham, quinq; quasi dierum itinere in longum procedentes. Hæc omnium victualium habet copiam, subiecta dominio nepotis magni Cham. Incolæ Mahumetum colunt. Habitant tamen inter eos quidam Christiani Nestoriani.

CA-

CAPVT XLI.
De prouincia Cotam.

PRouincia Cotam sequitur prouinciam Carcham, sita inter plagam Orientalem & Aquilonarem. Subiecta est dominio nepotis magni Cham, habetq; ciuitates & oppida multa. Metropolis eius vocatur Cotam. Extenditur prouincia in longum itinere octo dierum. Nullius rei, quæ ad victum pertinet, in ea est defectus. Habet copiam bombycis, atq; vineas multas & optimas. Homines verò sunt imbelles, sed boni artifices & negociatores. Mahumetum agnoscunt.

Cotam metropol.

CAPVT XLII.
De prouincia Peim.

PRogredientibus vltra per eandē plagam occurrit prouincia Peim, extensa in longum quinq; dierum itinere. Subiecta est magno Cham, habetq; multas ciuitates & castra. Metropolis eius vocatur *(a)* Peim, iuxta quam currit fluuius, in quo preciosi inueniuntur lapides, nempe Iaspides & Chalcedonij. Incolæ regionis reuerentur Mahumetum, & sunt eximij artifices atq; negociatores. Abundant bombyce, & victualium habent copiam. Est consuetudo in hac prouincia, quando maritus quispiam ob certam causam in alium locum commigrat, & infra vigesimam diem domum non redit, licebit vxori alium ducere maritum priore relicto. Id idem licitum est viro, posteaquam domum reuersus fuerit, vt scilicet impunè matrimonium cum alia contrahat.

Iaspides.
Chalcedonij.
Diuortiū ob 20. dierū absentiam.

(a) Ptol. Piada, Sericæ vrbs, Vartomano li. 6. cap. 15. & seq. Pego.

CAPVT XLIII.
De prouincia Ciartiam.

POst hæc venitur ad prouinciam Ciartiam, quæ est sub dominio magni Chā, habetq; ciuitates & castra multa.

Metropolis eius, vnde etiam ipsa denominata est, vocatur Ciartiam. Reperiuntur ibi in fluminibus multi lapides preciosi, præsertim iaspides & chalcedonij, quos negociatores deferunt ad prouinciam Cathay. Est prouincia Ciartiam multum sabulosa, plurimas habens aquas amaras, vnde sterile solum redditur. Quando extraneus aliquis exercitus hanc transit prouinciam, incolæ eius omnes cum vxoribus, filijs, animalibus, & cuncta supellectile fugiunt in aliam regionem viciniorem, vbi pascua & aquam bonam inueniunt, ibiq; morantur, donec hostium exercitus transierit; & cùm hostium effugiunt conspectum, ventus adeò delet vestigia eorum arenæ impressa, vt superuenientes hostes illorum iter nequaquam explorare possint. Si verò Tartarorum exercitus, quibus subiecti sunt, eorum pertransierit terram, ipsi non fugiunt, sed animalia duntaxat in alium abigunt locum, quòd Tartari pro acceptis victualibus nihil rependant. Recedendo ab hac prouincia, sabulum quinq; dierum spatio terendum est, vbi nulla ferè alia aqua, quàm amara inuenitur, donec perueniatur ad ciuitatem Lop nomine. Et nota, quòd omnes iam memoratæ prouinciæ, nempe Cassar, Carcham, Cotam, Peim, & Ciartiam vsq; ad ciuitatem Lop, ponuntur intra magnæ Turchiæ terminos.

Ciartiam metropol.

Magna Turcia.

¶ Haythono Turquestan esse videtur.

CAPVT XLIIII.

De ciuitate Lop & deserto maximo.

Lop est ciuitas magna, ad introitum deserti magni, inter Orientem & Aquilonem sita. Incolæ eius Mahumetum colunt. In ea faciunt sibi mercatores, qui desertum transire cupiunt, parare cuncta necessaria. Quiescunt etiã in ea aliquantisper, prouidentes sibi de fortibus asinis & camelis, quos victualibus onerant. Et quando in deserto victualia deficere incipiunt, interficiunt asinos, vel in deserto relinquunt: quia non poterunt amplius illis de pabulo prouidere, quo vsq; desertum superauerint. Camelos

tamen

tamen libentius seruant, quòd pauco sustententur cibo, & grauia onera ferant. Offert desertum illud magnum viatoribus aliquando aquas amaras, sed frequentius aquas dulces, vt ferè singulis diebus per illos triginta dies, quibus desertum ipsum vix pertransiri potest, aquā recentem inueniant, sed quæ interdum adeò modica est, vt non omnibus mercatoribus simul euntibus sufficiat. Est desertum illud multum montuosum: & vbi ad planiciem peruenitur, illic per sabulum eundum est. Est in vniuersum sterile & squalidū́m, nullumq; propter pabuli penuriam animalibus præstat habitaculum. Cernuntur & audiuntur in eo interdiu, & sæpius noctu, dæmonum variæ illusiones. Vnde viatoribus summè cauendum est, ne multum ab inuicem seipsos dissocient, aut aliquis à tergo sese diutius impediat: alioquin quàm primum propter montes & colles quispiam comitum suorum aspectum perdiderit, non facilè ad eos perueniet: nam audiuntur ibi voces dæmonum, qui solitariè incedentes proprijs compellant nominibus, voces fingentes illorum, quos comitari se putant, & à recto itinere abductos in perniciem deducunt. Audiuntur interdum in aëre concentus musicorum instrumentorum, sed frequentius tympanorum. Est igitur huius deserti transitus periculis plenus. *Eremus.* *Spectra.*

CAPVT XLV.

De ciuitate Sachion, & combustione corporum mortuorum.

SVperato deserto, peruenitur ad ciuitatem Sachion, quæ sita est in ingressu prouinciæ magnæ Tanguth, vbi inter Mahumeti cultores pauci inueniuntur Christiani Nestoriani. Sunt quoq; ibi plurimi idololatræ, qui etiam linguam propriam habent. Vrbis huius incolæ negociationibus non vacant, sed de fructibus terræ viuunt. Habet deniq; vrbs ipsa multa monasteria diuersis idolis consecrata, in quibus multa offeruntur sacrificia, & dæmonibus *Tanguth.* ☿

magna à populo exhibetur reuerentia. Et quando homini filius aliquis nascitur, statim commendat eum idolo alicui, atq; in honorem eius anno illo in domo sua nutrit arietem, quem anno à natiuitate filij reuoluto, proximo illius idoli festo vnà cum filio offert cum multis ceremonijs & magna reuerentia. Postea coquuntur carnes arietis, & idolo denuò offeruntur, dimittunturq; ante idolum tam diu suspensæ, donec completæ fuerint nefandæ orationes, quas ante ipsum iuxta consuetudinem suam murmurare solent. Et in primis rogat pater Idolum cum magna instantia, vt filium sibi commendatum conseruet. Officio finito, imolatas carnes ad locum alium deferunt, & consanguinei illius omnes pariter congregati, carnes illas cum magna religione comedunt: ossa verò decenter in vasculo quodam conseruant. Cæterum in mortuorum parentatione his vtuntur cæremonijs. Curant proximi quiq; vt corpora exanimata comburantur in hunc modum. Primo interrogant astrologos, quando mortuus in ignem sit conijciendus. Tum illi quærunt, quo anno, quo mense, die & hora is, qui in fata concessit, sit natus: constellationeq; perspecta, indicant diem, quando sit comburendus. Alij verò mortuum corpus aliquot diebus reseruant, aliquando septem diebus, quandoq; per mensem, nonnunquam per sex menses, domi capsam illi parantes, & tali ingenio latera compaginantes, vt nullus fœtor ex ea exhalare posset. Corpus etiam ipsum aromatibus condiunt, & capsam pulchrè depictam panno precioso operiunt: & singulis diebus, quibus cadauer domi tenetur, hora prandij mēsa iuxta capsam præparatur, vino & cibis per integræ horæ spacium desuper positis, putantes defuncti animam de appositis manducare. Et quando defuncti corpus est efferendum, astrologi consuluntur, qua ex parte id sit faciendum. Nam si porta aliqua dum construeretur, caruit bonis fatis, illam indicant fugiendam atq; incongruam, per quam mortuorum cadauera efferantur, indicantq; aliam, quæ huic rei accommoda sit, aut nouam iubent in pariete fieri aperturam.

Sacrificiū natalitiū.

Ritus funerum.

Astrologi.

Dum

Dum verò funus per ciuitatem portatur, lignea tuguria in via construuntur, atq; sericis & aureis pannis cooperiuntur: & cùm defuncti cadauer ante ea portatur, effundunt in terram vina & delicata cibaria, putantes defunctũ in alia vita his recreari rebus. Antecedunt etiam funus ipsum varia instrumenta musices, in quorum concentu maxima est iucunditas. Et cùm ad locum combustionis ventum fuerit, scribunt & pingunt super chartas imagines virorum & mulierum, itemq; multorum denariorum, quæ omnia simul cum cadauere comburuntur. Aiunt enim, defunctum illum tot seruos & ancillas, animalia & denarios in alia vita habiturum, quot cum eo fuerint imagines combustæ, victurusq; sit perpetuò in diuitijs illis & honore. Hanc superstitionem seruat ferè vbiq; cæcitas paganorum in partibus orientis, cum cadauera defunctorum comburunt.

☿ *Ad hanc etiam sequentes quatuor prouincias pertinere, patet ex cap. 50. Est autem Indiæ superioris regio. Vide quæ præterea sequuntur cap. 62. Aliter de nomine illo Haythonus cap. 16.*

CAPVT XLVI.
De prouincia Camul.

CAmul prouincia est intra magnam prouinciam Tanguth, subiecta imperio magni Cham, habens ciuitates multas & oppida. Attingit autem terra Camul duo deserta, magnum scilicet, de quo iam suprà diximus, & aliud quoddam minus. Abundat hæc prouincia his, quæ pro vitæ sustentatione homo opus habet. Habent incolæ huius regionis linguam propriam, & ad aliud non videntur nati, quàm vacare ludis & tripudijs. Idololatræ sunt & cultores dæmonum, ad hoc ab ipsis persuasi. Quando viator quispiam pertransiens ad domum alicuius hospitij gratia diuertit, suscipit eum paterfamilias cum magno gaudio, atq; præcipit vxori & toti familiæ, vt quamdiu ille apud eos manere voluerit, non excludatur, sed illi in omnibus obœdiant.

Incolæ τρυφῶντες.

Lenones.

diant. Ipse verò interim discedit, non reuersurus, quamdiu hospes in ædibus suis manserit. Et vxor interim paret hospiti vt marito suo. Sunt mulieres illius regionis formosæ: & viri à dijs suis hac dementati sunt stultitia, vt putent sibi gloriosum esse, si eas viatoribus prostituant. Tempore verò quo regnauit * Moguth, magnus Cham & Rex omnium Tartarorum, audita hac populi Camul stultitia, mandauit ipsis, ne amplius seruarent hanc detestabilem consuetudinem, sed potius vxorum suarum custodientes pudicitiam, communia pararent hospitia, in quæ aduenæ & superuenientes diuerterent viatores, & prouinciam tanta non fœdarent turpitudine. Viri vero Camul audito hoc regis mandato, plurimum sunt contristati, missisq; nuncijs & muneribus, instantissimè rogârunt, vt tam graue reuocaret edictum, & traditionem illam, quam à suis senioribus veluti per manus acceperunt, non aboleret, maximè cùm compertum haberent, se propter illud hospitalitatis beneficium deorum suorum consequutos gratiam, & terram nunquam deorum munere sua destitutam fœcunditate. Rex verò Moguth audita querela, acquieuit petitioni illorum, & reuocans mandatum dicebat: Quod ad me attinet, vobis mandaui, vt detestabilem illam & toto orbe inauditam aboleretis consuetudinem: sed quia opprobriū honorem ducitis, habete opprobrium vt optastis. Nuncij itaq; alias portantes literas, quæ priores cassauerunt, vniuerso populo magnum attulerunt gaudium. Et is mos vsq; in hodiernum diem à populo illo custoditur.

* infrà cap. 54. Mongu, Haytho no Mango.

O Abderiticam mētem.

Idem infrà tradit de Caniclu lib. 2 cap. 38. nec dissimile est institutum, quod de Britannis habet Chalcocondyles lib. 2.

CAPVT XLVII.

De prouincia Chinchintalas.

POst prouinciam Camul sequitur prouincia Chinchintalas, quæ ab Aquilone confinis est deserto, habetq; in lōgitudine iter sexdecim dierum, subiecta dominio magni Cham.

Cham. Habet ciuitates & castra multa. Populus eius in tres diuisus est sectas. Pauci quidam confitentur Christum, & hi sunt Nestoriani: alij Mahumetum colunt, tertij idola adorant. Est in hac prouincia mons, in quo inueniuntur mineræ chalybis & audanici: itemq; salamandræ, de quibus fit pannus, qui si in ignem proiectus fuerit, non comburi potest. Fit autem pannus ille de terra in hunc modum, vt quidam è socijs meis vir singulari præditus industria, Curcifar nomine, Turchus, me edocuit, qui in prouincia illa mineralium operi præfuit. Inuenitur in monte illo minera quædam terræ, quæ fila producit lanæ haud dissimilia: & hæc ad solem desiccata in mortario æneo teruntur, deinde lauantur, & quicquid terraneum illis adhæret, submouetur: demum fila illa sic purgata & attenuata, vt alia lana nentur, atq; in pannum contexuntur. Et quando pannos illos volunt dealbare, proijciunt eos ad horam in ignē, & tunc ex flammis illæsi educuntur niue candidiores. Haud secus purgant eos, quando maculas aliquas contraxerint: nam lotura alia præter ignem illis non adhibetur. De salamandra verò serpente, qui in igne viuere dicitur, nihil explorare potui in orientalibus regionibus. Aiunt Romæ mappam quandam haberi, ex salamandra contextam, in qua sudarium Domini inuolutum retinetur, quam rex quidam Tartarorum Romano misit pontifici.

Incolarū triplex religio.

Pannus è Salamandra igne candescēt.

CAPVT XLVIII.

De prouincia Suchur.

A tergo relicta prouincia Chinchintalas, ducit iter ad orientem, & per decem continuas dietas nulla reperitur habitatio, nisi in paucis locis, quibus superatis, venitur ad prouinciam Suchur, quæ plures habet habitationes & oppida. Metropolis eius vocatur Suchur. In hac prouincia inter multos idololatras pauci inueniuntur Christiani. Sunt autem omnes magno subiecti Cham. Negociationibus non vacant, sed de fructibus terræ viuunt. In

cunctis

Rheu tal. Rabarbarū cunctis huius prouinciæ montibus inuenitur † Rhabarbarum, quod inde per mercatores ad diuersas mundi portatur terras.

CAPVT XLIX.

De ciuitate Campition.

EST Campition ciuitas magna & insignis, principatū habens in regione Tanguth. Sunt in ea Christiani, Mahumetani, & idololatræ. *Monasteria idololatrica.* Habent idololatræ multa monasteria, in qbus idola sua colunt. Porro idola illa sunt formata vel ex lapide, vel ex ligno, vel ex luto, desuper deaurata. *Simulacra diuersi generis.* Inter hæc quędā sunt tam magna, vt decē passus contineant longitudine, terræ, ac si supini iacerent, affixa, iuxta quæ parua sunt posita idola, quæ maioribus reuerentiā exhibere videntur. Habent hæc idolorum portenta etiam suos sacrificulos & religiosos, qui cæteris honestius viuere videntur: nam quidam seruant castitatem, multumq; cauent, ne deorum suorum legem præuaricentur. *Annus lunaris.* Totum anni circulum per lunationes computant, nec alios habent menses, aut hebdomadas præter lunares. In his lunationibus obseruāt quinq; continuos dies, in quibus nullam bestiam vel auem occidunt, nec carnem comedunt: viuunt etiā honestius, quâm in reliquis diebus. *πλυγαμία.* Habent idololatræ in hac ciuitate hunc morem, vt quis triginta aut plures ducat vxores, iuxta ꝙ multas nutrire potest: prima tamen cæteris dignior habetur, & magis legitima censetur. Non recipit vir ab vxore dotem, sed ipse in animalibus, vel seruis, aut pecunia, iuxta possibilitatem suam conuenientē assignat dotem. Si vxor viro fiat odiosa, licitum est illi eam à se repudiare iuxta ꝙ ei libuerit. Accipiunt etiam vxores in secundo gradu sibi attinentes, similiter nouercas. Et multa peccata, quæ apud nos grandia censentur, apud illos licita reputātur. Viuunt in multis nonsecus quàm bestiæ, vt satis mihi mores eorum sunt perspecti, qui vnà cum patre meo atq; patruo per anni spacium ob quædam negocia in hac ciuitate mansi.

CA-

CAPVT L.

De ciuitate Ezina, & alio deserto magno.

A ciuitate Campition itur per duodecim dietas vsque ad Ezinam ciuitatem, quæ affinis est arenoso deserto Aquilonem versus. Sunt ibi cameli multi, & alia animalia multa, atq; aues diuersi generis. Incolæ verò idololatræ sunt, de terræ fructibus viuentes, & negociationibus abstinentes. Præparant quoq; sibi viatores in hac ciuitate commeatum, qui volunt transire per desertum illud magnum, quod vergit ad Aquilonem, & non nisi quadraginta dierũ spacio pertransiri potest. Nulla inuenitur in hoc deserto virens herba, sicut nec vlla habitatio, nisi perrara in montibus quibusdam & vallibus, vbi aliqui homines æstatis tempore morantur. In quibusdam etiam locis inueniuntur feræ syluestres, præsertim onagri, qui ibi in magna discurrunt magnitudine. Omnes autem iam memoratæ prouinciæ pertinent ad prouinciam magnam Tanguth.

Eremus maxima.

Tanguth.

CAPVT LI.

De ciuitate Carocoram, & origine dominij Tartarorum.

SVperato memorato deserto, peruenitur ad ciuitatem * Carocoram, quæ est ad Aquilonarẽ plagam, vnde originem duxit Tartarorum dominium. Nam habitauerunt primùm in campestribus regionis illius, carentes ciuitatibus & oppidis, solùm pascua quærentes, & aquas pro pecoribus nutriendis, nec habebant de gente sua principem, sed tributa pendebant magno cuidam regi, (a) Vutcham nomine, quem hodie vulgò Presbyterum Ioannem vocant. Sed indies incrementa sumentes, & seipsis fortiores euadẽtes, cœpit rex Vutcham timere, ne aliquando ab ipsis offenderetur, atq; in rebellionem prorumperent. Vt igitur potentia eorum minueretur, cogitabat operæprecium se

Tartarorũ primordia

* Ptol. Lariagara Indiæ intra Gãgem.

V factu-

¶ *Variat Haythōus cap. 16.* factorum, si illos ad inuicem in partes secerneret, atq; in diuersas regiones collocaret. At illi nolentes à se inuicem disgregari, transierunt omnes pariter in desertum versus plagam Aquilonarem, magnam occupantes regionem, in qua tuti esse possent, nec regem suum timerent, negato etiam illi tributo.

(a) Dauid, vt Speculum Vincentij, hocq; secutus Antoninus Florent.

Quem vulgò Presbyterum Iohannem vocant) *Meminit Gulielmi Tripolitani auctor noster suprà cap. 6. Hunc ad Theobaldum, Archidiacon. Laudensem, postea Gregorium X. Papam, de statu Sarracenorum scripsisse, legimus in Bibliotheca Gesneri. E qua historia, nondum à nobis visa, hæc retulit Gerhardus Mercator: Eo tempore, quo Antiochia Syriæ à Christianis obsessa & capta fuit, nempe anno Christi 1098. fuisse Monarcham regionum Asiæ orientalium COIREM Cham: Quo mortuo, sacerdotem quendam, & Pastorem Nestorianum, arripuisse dominium populi Naiman in terra Naiam, ac deinceps totius Orientis imperium, vocatumq; esse, vti quidem esset, Presbyterum & Regem Iohannem: post mortem illius, imperium sibi arrogasse fratrem eius Vuth, qui Cham, id est Dominus, & composito nomine Vutcham appellatus sit: Huic bellum fecisse fabrum ferrarium Mongalum, cui nomen fuerit CHINGIS &c. Quæ cùm ita sint, patet hinc, plerosq; se præter rem torquere, dum qui in Aethiopia Italis Preteianes, Germanis vulgò* Priester Johann, *id est Presbyter Iohannes, incolis ipsis Belul Ian, hoc est preciosus siue altus Iohannes dicitur, cum Indico, vti hunc rursus cum Aethiopico confundunt. Nisi fortè hîc locum habeat Iacobi Nauarchi Iesuitæ epistola Asiatica, qua ostendere conatur, nomen Presbyteri Iohannis ex Asia, vbi ante ducentos plus minus annos cognitum fuerit, hodiè in Africam transmigrasse. Nec audiendi, qui eiusdem erroris auctorem nostrum insimulant.*

lant, potius inscitiæ & temeritatis insimulandi ipsi. Hoc quidem constat, etiam Iouij historiam hac in parte impegisse: quippe qui Abasinos, seu Abyßinos (sic enim scribit) in Aethiopia collocet, eoq; nomine in vniuersum Preteiani subditos intelligat. Cùm auctori nostro lib. 3. cap. 43. Abasia sit India intermedia. Videtur tamen quicquid id assertionis est, antiquitatem sapere. Nam & Procopius lib. 6. de ædificijs Iustiniani Nilum ab Indis in Aegyptum decurrere ait, & Nicephorus Callist. lib. 8. cap. 35. tam Homeritas Arabes quàm Nubas Indos facit, cùm vtrosq; Africam incoluisse, obscurum nemini sit. Plura de eadem re Sabellicus Ennead. 10. lib. 8. Saltem istud adhuc indicandum erat, similes sermones etiam Mattheum, DAVIDIS, regis Aethiopum, legatum disseminasse. Atqui hunc Armenium non Aethiopem fuisse, eaq; de causa res Aethiopicas minus exploratas habuisse, arguit alterius legati, Zazagabi, confeßio apud Damianum Goësium pag. 517. Addo insuper de Abasinis, à Stephano cognato nominis sono celebrari inter Arabiæ populos Abasenos.

CAPVT LII.

Tartari regem ex seipsis eligunt, & discordia inter eum & regem Vutcham nascitur.

PAucis transactis annis, Tartari omnium consensu eligunt ex seipsis virum probum & sapientem in regem, * Chinchis nomine, anno scilicet Domini M.C.LXXXVII. cui coronam imponentes, & omnes circumquaquè, qui de gente illa erant, concurrentes, voluntario animo illi obœdientiam & subiectionem policentur. Ille igitur vt erat vir prudens, subiectos optimè gubernabat, atq; breui temporo octo prouincias cepit, & regno suo adiecit. Et quando ciuitatem aliquam aut castrum cepit, neminem sinebat occidi, aut rebus suis spoliari, qui saltē imperio suo sponte se

* Haytho. est CHANGIVS' Can, Vincentij Spe. Cingischam Nota aute Chronolo. ab eodem Haythono ꝑtermissam. ♀

se submittebat, atq; secum ad alias proficiscens ciuitates, illi operam suam libens impendebat. Hac itaq; humanitate vsus, effecit vt mirum in modum ab omnibus amaretur. Itaq; videns se in tanta sublimari gloria & potentia, destinatis nuncijs ad regem Vutcham, cui quondam tributa pendebat, rogabat, vt illi filiam suam in vxorem collocaret. Quod ille ægerrimè ferens, cum indignatione respondit: Malo filiam meam Vulcano consecrare, quàm seruo meo dare in vxorem. Et eiectis Chinchis nuncijs, aiebat, dicite Domino vestro: Quia ad tantam creuisti superbiam, vt præsumeres petere filiam domini tui in vxoré, en ne potiaris voto tuo, faciã eam amara interire morte.

Clementiæ imperij fructus.

¶ ὕβρις ϰ μάγνητας ἀπώλεσε ϰ κολοφῶνα.

¶ *Hoc nimirum fuit, parcere subiectis, & debellare superbos.*

CAPVT LIII.

Vincitur rex Vutcham à Tartaris.

Changius proficiscitur in Vutcham.

AVdiens verò rex Chinchis molestam regis Vutcham responsionem, congregato magno exercitu, ꝓfectus est hostili animo contra regem Vutcham, castraq; posuit in planicie quadam magna, Tanduc nomine, mittens ad regem, & denuncians illi, vt se defenderet. At ille veniens cum maximo exercitu, descendit ad campestria, & castra sua posuit iuxta castra Tartarorum. Tunc Chinchis, Tartarorum rex, præcepit incantatoribus & astrologis suis, vt illi indicarent, qualem euentum prælium futurum esset habiturum. Tunc astrologi scindentes arundinem per lõgum in duas partes, posuerunt diuisiones ipsas in terram, vnamq; vocauerunt Chinchis & alteram Vutcham, dixeruntq; regi: Interim quò nos inuocationes legerimus deorum, nutu ipsorum fiet, vt hæ duæ partes arundinis adinuicem pugnent. Et cuius pars super alteram ascenderit, ille rex victoriam in prælio obtinebit. Multitudine itaq; ad spectaculum illud concurrente, cœperunt astrologi murmurare precationes suas, & legere incantationes, &mox cõmotæ sunt partes arundinis contra se pugnantes,

Consulit Magos.

donec

donec tandem pars Chinchis aſcenderet ſupra partẽ Vutcham. Quo viſo, Tartari de futura certiores facti victoria, confortati ſunt. Tertia igitur die prælium commiſſum eſt, & multis vtrinq; cadentibus, victoria tandem penes Chinchin remanſit. Sicq; factum eſt, vt Tartari regnum Vutcham penitus ſibi ſubiugârint. Regnauit autem Chinchis poſt mortem Vutcham ſex annis, in quibus multas acquiſiuit prouincias: & quùm vltimo caſtrum quoddam expugnare moliretur, acceſsiſſetquè propius, ſagitta in genu percuſſus, interijt, ſepultus in monte Alchai, vbi & reliqui Tartarorũ principes huius ſucceſſores, & qui de eius ſunt progenie omnes ſepeliuntur, etiamſi centum dierum ſpatio funus fuerit adducendum.

Debellat hoſtem.

Perit ſagittæ ictu.

¶ Et hæc nonnihil ab Haythoni expoſitionibus variant.

CAPVT LIIII.

Catalogus regum Tartarorum, & de ſepultura eorum in monte Alchai.

PRimus Tartarorum rex vocatus eſt Chinchis, ſecundus Cuit, tertius *Barchin*, quartus (a) Allau, quintus Mongu, ſextus Cublai, qui modò rerum potitur, cujus potentia maior eſt quàm omnium ſuorum prædeceſſorum: imò omnia Chriſtianorum regna atq; Sarracenorũ ſi vnum eſſent regnum, vix adæquarent regnum Tartarorum, id quod ſuo loco manifeſtius fiet, vbi potentiam eius & dominium deſcripſero. Porrò quando corpus magni Cham tumulandum defertur ad montem Alchai, hi, qui ipſum ad ſepulturam comitantur, perimunt paſsim eos, quos in via obuios habent, dicentes: Ite & domino noſtro regi ſeruite in alia vita. Tanta enim inſania percuſsi ſunt à Satan, vt credant taliter occiſos, in futura vita regis obſequio mancipandos. Nec modò ſic contra homines inſaniunt, verùm & in equos ſæuiunt, quos obuiam venientes iugulant vnà cum defuncti regis optimis equis, putantes illos regi vſui futuros. Quando corpus magni Cham Mongu, huius prædeceſſoris, ad montem Alchai ſepeliendum ductũ

Regũ Tartaricorum mauſoleũ.

Crudelis funerum ritus.

fuit, milites funus concomitantes, feruntur circiter viginti millia hominum prædicta occasione interfecisse.

(a) Hunc Haythonus non nominat, nec eodem modo cæteros recenset. Quæ nostra ea de re sententia sit, suo loco plenius docebimus.

CAPVT LV.

De generalibus moribus & consuetudinibus Tartarorum.

Tartarorum matrimonia.

¶ Adde hic, quæ habet Itinerarium Monteuillani Angli de symbolo, quo maritæ mulieres subiectionẽ viro debitam profiteantur.

MVlieres Tartaræ viris suis fidelissimæ sunt. Absurdum est apud eos & intolerabile vitium, si quispiam ad proximi sui vxorem præsumat accedere: & hoc vnico studio apud eos cauetur, vt ne alter alteri in hac re iniuriam inferat. Id tamen apud eos honestum & licitum ducitur, vt quisq; tot ducat vxores, quot nutrire potest, licet prima cæteris principalior & honorabilior iudicetur. Præter sorores omnes consanguineas, quæ in lateralibus lineis comprehenduntur, ducunt vxores, etiam nouercam, si pater mortuus fuerit. Sic fratre defuncto, licebit superstiti fratri fratris relictam ducere vxorem. Viri ab vxoribus non recipiunt dotes, sed ipsi vxoribus atq; earum matribus dotes assignant. Propter vxorum multitudinem, Tartari plurimos habent filios. Nec est vxorum multitudo Tartaris admodum onerosa, quum illæ suis laboribus multa lucrentur. Sunt præterea ad familiæ gubernationem, & ad ciborum præparationem multum sollicitæ. Non minori cura reliqua domus exequuntur officia. Viri verò venationi, ancupijs atq; armorum exercitijs sunt intenti.

Res pecuaria.

Nutriunt Tartari multos greges boum, ouium & aliorũ iumentorum & pecorum, & cum illis morantur in locis pascuosis; æstate quidem in montibus & frigidioribus locis, vbi pascua & lingna inueniunt, hyeme verò ad calidiores regiones se transferunt, vbi pabulum pro animalibus inueniunt.

Mapalia.

Domunculas habent in modum tabernaculorum filtro opertas, quas secum deferunt quocunq; migrant.

Nam

Nam possunt eas plicare & extendere, leuare & deponere. Ostia earum semper austro obuertunt. Habent quoq; quadrigas filtro coopertas, quæ à camelis trahuntur, in quibus vxores, filios & vtensilia necessaria secum vehunt, atq; à pluuiarum iniuria defendunt.

CAPVT LVI.

De armis & vestibus Tartarorum.

Arma, quibus Tartari prælij tempore induuntur, non sunt ex ferro fabricata, sed ex corio forti atq; solido parata, quale est corium bubalorum & aliorum animaliũ, quæ habent duriora tergora. Sunt sagittarij optimi, à pueritia ad arcuum exercitia assueti. Vtuntur etiam clauis & gladijs sed rarius. Illi, qui cæteris ditiores sunt, vtuntur indumentis sericis & aureis, & sub his deferunt pelles delicatas vulpium, aut harmelinorum, aut aliorum animalium, præsertim quæ vulgo Zebellinæ vocantur, quæquè reliquis pellibus preciosiores iudicantur.

Arma coriacea.

Zobellinæ pelles.

CAPVT LVII.

De cibis Tartarorum.

Vescuntur Tartari cibis grossioribus, præsertim carne, lacte & caseo. Inhiant quoq; venationibus tam mundorum quàm immundorum animalium. Nam equos & canes comedunt, atq; reptilia quædam, quæ in magna copia apud illos inueniuntur. Bibunt lac equarum, quod taliter præparant, vt videatur esse vinum album, non admodum insipidus potus. Vocatur ab ipsis Chuinis.

¶ Idẽ de Carthaginiensibus prodidit Iustinus lib. 19.

Potus è lacte equino.

CAPVT LVIII.

De Idololatria & erroribus Tartarorum.

Colunt Tartari pro Deo numen quoddam ab illis confictum, quod Natagai vocant, putantq; illud Deum esse

terræ,

terræ, qui curam de ipsis & filijs eorum, de fructibus terræ atq; gregibus pecorum gerat. Hoc numen in maximo habent honore, nec est aliquis, qui in domo sua illi non imaginem dedicauerit. Et quoniam credunt numini Natagai esse vxorem & liberos, collocant etiam ipsi iuxta penates suos imagunculas quasdam vxoris ac filiorum loco: vxoris quidem simulachrum ad sinistram, & filiorum imagines ante faciem idoli collocantes. His idolis magnam exhibent reuerentiam, præsertim quando vadunt ad prandium & cœnam: tunc enim antequam ipsi comedunt, perungunt ora imaginum pinguedine carnis coctæ, & partem prandij aut cœnæ extra domum in honorem illorum ponentes, credunt deos hinc cibari. Quo facto, ipsi ad mensam euntes comedunt. Si Tartari alicuius moriatur filius, qui nondum duxit vxorem, & item alterius moriatur filia innupta, conueniunt vtriusq; defuncti parentes, & inter defunctos connubium faciunt: conscriptisq; contractus illius literis, iuuenem & puellā in charta pingunt, & hanc cum pecunia contributa atq; vtensilibus & supellectile Vulcano deuouent, credentes defunctos in alia vita matrimonialiter coniunctos. Faciunt quoq; pro hac re solennes nuptias, & de præparatis cibis nonnihil hinc & hinc diffundunt, vt sponsus & sponsa his quoq; vescantur. Quo facto, parentes & consanguinei defunctorum tali putant se affinitatis vinculo coniunctos, ac si nuptiæ illæ sponsis adhuc viuentibus fuissent celebratæ.

Natagai, Tartarorū numen

Connubia defunctorum innuptorum.

CAPVT LIX.

De strenuitate & industria Tartarorum.

SVnt Tartari homines bellicosi, strenui in armis & ad subeundos labores intrepidi. Non sunt effœminati, molles, & delitijs assueti, imò tolerantissimi laborū & inediæ. Fit non rarò, vt per integrum mensem nihil aliud comedant præter lac iumentorum & carnes animalium, quæ in vena-

Tartarorum frugalitas.

venationibus capiunt. Equi quoq; eorum dum belligeratum vadunt, sola herba, quam in pascuis inueniunt, nutriuntur. Insident armati equis suis tota nocte, & equi interim nihilominus pascuntur, vbicunq; bona inuenerint pascua. Ipsi quoq; exiguo contenti sunt cibo, quantumlibet magnos subeant & perficiant labores. Ad capiendum ciuitates & fortalicia singulari & magna vtuntur astutia. Quùm bellandi causa in remotas partes expeditionem parant, nihil secum præter arma portant atq; parua tentoria, sub quibus pluuiæ tempore latitant. Portat etiam quilibet secum duo vascula, quæ vulgo * flascones vocant, in quibus lac, quod bibant, ferunt, & ollam coquendis carnibus adaptandam. Quùm verò sine mora ad remotissimas partes concedere volunt, accipiunt secum lac in modum solidæ pastæ siccatum, quod in aquam tritum, potum illis & cibum præbet.

Militia.

* *Flasc. lagenas.*

CAPVT LX.

De iudicijs & iustitia Tartarorum.

MAlefactores hoc modo puniunt. Si quis furatus fuerit rem parui valoris, & vita priuari non commeruit, cæditur fuste septem vibicibus, aut decem & septem, aut viginti & septem, aut quadraginta & septem, pro mensura peccati ictus inferendo, idq; vsq; ad centum, addendo semper decem. Aliqui tamen nonnunquam ex his percussionibus moriuntur. Quod si quis furatus fuerit equum vel rem aliam, pro qua occidi meruit, merso mucrone in ventrem eius occiditur. Quod si vitam suam liberare voluerit, restituet furtum in noncuplo. Qui equos, boues & camelos habent, signa sua pilis eorum inurunt, atq; sine custode ad pascua emittunt. Minutis tamen animalibus adhibent pastorum custodiam. Hæ primæ Tartarorum fuerunt consuetudines: verùm quùm iam inter varios mixti sunt populos, nonnihil à prioribus degenerauerunt moribus, & populis, quibus coniuncti sunt, conformes se fecerunt.

Fustuariũ in fures.

Mulcta noncupli.

Armentorum notæ.

Tartari in subiectas gentes degenerantes.

& Idem de Macedonum per Asiam & AEgyptum colonijs tradidit Liuius Dec. 4. lib. 8. Et de ipsis Scythis (Tartaris) ita Nicephorus Gregoras li. 2. pag. 7. Cùm nudi atq; inermes exierint, mutata victus ratione, mores eorum imitantur, apud quos consederint &c. Item pag. seq. Tandem consuetudine & excultis moribus Assyriorum, Persarum & Chaldæorum mansuefacti, ad eorum religionẽ inclinârunt, patrio numinis contemtu relicto: illorumq; mores & instituta in vestibus, in sumptuoso victu, cæterisq; delicijs receperunt, tánta mutatione facta, vt cùm prius caput crasso & promisso pileo tegerent, & reliqui vestitus omnis felicitas in pellibus animalium, & corijs illaboratis consisteret, arma verò eis essent claua & funda, hastæ, sagittæ & arcus, nullo confecta artificio, qualia quercus & sponte enata in syluis & mõtibus arbores suppeditant, pòst vestes omnes sericas & auro intertextas vsurparent. Vsq; adeò luxuriare cœperunt, pristina vitæ ratione prorsus in contrarium mutata.

CAPVT LXI.

De campestribus Bargu, & extremis insulis Aquilonis.

RE tardati sumus nonnihil in Tartarorum moribus & consuetudinibus describendis; nunc verò alias orientalis regionis lustrabimus prouincias, eo incedentes ordine, quo reliquas hactenus descripsimus. Relicta ciuitate Carocaram, à monte Alchai Aquilonem versus venitur ad campestria Bargu, quæ in longitudine quadraginta habẽt dietas. Incolæ illorum locorũ vocantur Meditæ, parentq; magno Cham, Tartarorum habentes mores. Sunt homines syluestres, & vescuntur carnibus animalium, quæ venatione capiunt, maximè ceruorum, quorũ magnam habent copiam, & adeò cicures faciunt, vt illis atq; equis vel asinis insideant. Carent * blado & vino. In æstate maximas exercent auium & syluestrium animalium venationes, quorũ carnibus per hyemem viuant: nam hyeme tam volatilia,

Bargu. *Meditæ.*

* Frumẽto, vt infrà lib. 2. cap. 24.

quam

quàm alia animalia propter immensum illius regionis frigus aufugiunt. Post terminum dictarum quadraginta dietarum, peruenitur ad Oceanum, vbi in montibus nidificare solent herodij, siue falcones peregrini, qui inde ad magni Cham curiam perferuntur. Nec inueniuntur vllæ aliæ aues in his montibus præter herodios & aliam auiculæ speciem, qua pascuntur herodij. In insulis maris illius nascuntur grifalchi in magna copia, qui inde ad magnum Cham deferuntur. Grifalchi verò qui de Christianorum terris ad Tartaros portantur, non perferuntur ad magnum Cham, quùm ille ijs abundet auibus, sed perueniunt ad eos Tartaros, qui Armenis & Cumanis confines sunt. In illis septentrionalibus partibus insulæ sunt quædã, quæ tantum vergunt ad Aquilonem, vt polus arcticus illis videatur ad meridiem deflectere. *Falcones peregrini.* *Grifalchi.*

☿ Redit ad interruptam Itinerarij descriptionem. Vide suprà cap. 24. & 37. Plura de Carcoram cap. 51.

CAPVT LXII.

De regione Ergimul, & ciuitate Singui.

HIc redeundum erit nobis ad ciuitatem Campition, de qua paulo * superius mentionem fecimus, vt inde ad alias digrediamur prouincias, quas nondum descripsimus. Igitur si à ciuitate Campition versus orientẽ itinere quinq; dierum ꝑcedatur, audiuntur in locis intermedijs nocturno tempore horribiles voces dæmonum, donec veniatur ad regnum Ergimul, & ad regnum Cerguth, quæ sunt regna magna magno Cham subiecta. Ibi inueniuntur Christiani Nestoriani, idololatræ & Mahumetani. Sunt ibi multæ ciuitates & castra. Hinc si inter orientem & meridiem procedatur, venitur ad prouinciam Cathai. Est tamen inter Cathai & regnum Cerguth ciuitas quædam Singui nomine, magno Cham tributaria: vbi etiam triplex illa memorata inuenitur hominum secta. Inueniuntur etiam ibi *cap. 49 *Spectra nocturna.* *Cerguth.* *Cathai.*

Boues syluestres elephanti magnitudine. boues syluestres pulcherrimi & grandes veluti elephantes, pilos habentes albos & nigros, longitudine trium palmorum. Multi etiam ex his bobus domestici facti, ad onera ferenda instituuntur: alij ad aratrum ligati, breui tempore magna inuertunt arua. Inuenitur in hac prouincia muschum optimum, & quo melius in mundo non inuenitur. *Muschus.* Est enim animal quoddam pulchrum in hac prouincia, catti habens magnitudinem, & pilos grossos vt ceruus, pedes quoq; habens vngulatos, & dentes quatuor, duos suprà & duos infrà longitudine trium digitorum: iuxta vmbilicũ verò inter cutem & carnem vesicam habet sanguine plenam & sanguis is est muschum, à quo tam suauissimus exhalat odor. Incolæ huius regionis idololatræ sunt, & libidinis sectatores, corpore pingues & naso paruo, pilis labia obsidentibus. Mulieres pulchræ sunt & albæ. *Pulcritudo nobilitati & diuitijs prælata.* Et viri quando vxores ducere volunt, quærunt magis pulchras quàm nobiles aut diuites. Vnde sæpè fit, vt vir nobilis & magnus pauperem ducat vxorem, sed formosam, matri illius dotem assignans. Negociatores & artifices plurimi ibi inueniuntur. *¶ Idem de Catheis Strabo lib. 15.* Patet hæc prouincia longitudine viginti quinq; dietarum, & est admodum fertilis. Sunt in ea maximi fasiani, caudas habentes longitudinis decem palmorum aut octo. *Fasiani.* Inueniuntur etiam ibi alia multa auium genera, quæ pulcherrimas habent pennas, diuersis & elegantibus distinctas coloribus.

CAPVT LXIII.

De prouincia Egrigaia.

PRrocedendo vlterius versus Orientem, septemq; exactis dietis, occurrit prouincia Egrigaia, in qua pluri-mæ sunt ciuitates & castra. Est enim de prouincia magna *Tanguth, cuius principalis ciuitas vocatur Calacia. *Calacia.* Incolæ eius idololatræ sunt, præter aliquos Christianos Nestorianos, qui ibi tres habent Ecclesias. Subiecti sunt omnes magno Cham. Inueniuntur in ciuitate Calacia panni, quos

* Vide quæ notauimus cap. 45.

quos Zambilotti * vocant, de lana alba & Camelorum pilis contexti, quibus vix pulchriores in mundo inueniuntur. Deferuntur autem per negociatores ad diuersas mundi regiones.

* Plinius lib. 8. ca. 48. vndulatã vestem nominat, Schamlot

CAPVT LXIIII.

De prouincia Teuduch, Gog & Magog, & ciuitate Cianiganiorum.

AB Egrigaia prouincia eundo ad Orientem, ducit iter ad prouinciam Teuduch, in qua sunt ciuitates & castra multa: vbi etiam manere consueuit rex ille magnus, & toto orbe terrarum nominatissimus, vulgò presbyter * Ioannes dictus. Modò autem prouincia illa tributa pendet magno Cham, habens regem, qui est de progenie presbyteri Ioannis. Cæterum omnes magni Cham post mortem illius, qui à Chinchis in prælio fuit occisus, tradiderunt filias suas illis regibus in vxores. Et licet ibi sint aliqui idololatræ, & item aliqui Mahumetani, tamen maior pars prouinciæ fidem obseruat Christianam: & hi Christiani primas tenent in hac prouincia: præsertim est ibi gens quædam, Argon vocata, quæ reliquis populis sagacior est & elegantior. Sunt etiam ibi regiones Gog & Magog, quos illi nominant Lug & Mungug. In his locis reperitur lapis Lazuli, de quo fit azurum optimum. Fiunt quoq; ibi Zambilotti optimi de pilis Camelorum: & item panni de auro & serico diuersarum habitudinum. Est ibi ciuitas Sindacui nomine, in qua fiunt arma pulcherrima & optima diuersorum generum, pro exercitibus necessaria. In montibus huius prouinciæ sunt magnæ mineræ argenti, & multiplices venationes syluestrium bestiarum, vocaturq; regio montium Ydifa. Distat tribus dietis à memorata ciuitate alia ciuitas Cianiganiorum, in qua est palatium maximum, magni Cham habitatio, quando ad illam diuertit ciuitatem. Proficiscitur autem sæpius illuc, quia iuxta ciuitatem sunt lacunæ, in quibus diuersorum generum aues inueniun-

* Vide scholiô cap. 51.

Posteri Vutcham eorum matrimonia.

Christiani incolæ primarij.

Argõ gẽs.

Gog.

Magog.

¶ *Vartomãus li. 4. cap. 4. Gogam insulam facit.*

Sindacui ciuit.

Ydifa.

Cianiganij.

ueniuntur, præsertim grues, fasiani, perdices & his similes aues. Hæ aues capiuntur grifalchis, herodijs seu falconibus, habetq; rex ipse in hoc sum̃am delectationem. Sunt ibi quintuplices grues: quædam habent alas nigras vt corui, aliæ sunt albæ & candidæ, habentes pennas plenas oculis aurei coloris, vt sunt apud nos caudæ pauonum: rursum aliæ inueniuntur ibi nostris haud dissimiles: sunt deinde aliæ quæ sunt paruæ, sed habentes pennas longas & pulcherrimas, rubeo nigroq; permixtas colore. Quinto sunt ibi grues grisei coloris, oculos habentes rubeos ac nigros, & hæ sunt valde magnæ. Est iuxta hanc ciuitatem vallis quædam, in qua multæ sunt casæ, in quibus maximus numerus nutritur perdicum, quæ seruantur pro rege illuc pro tempore diuertente.

Grues quintuplices.

♃ Adde hîc quæ habet Synonym. Geogr. Ortelij in voce Imaus.
☿ Vide an nomen hoc alludat ad errones Zigeunos, quos Saxones vulgò Tartaros vocant. De corũdẽ vera hist. Auentinus.

CAPVT LXV.

De ciuitate Ciandu, & nemore eius, itemq; de festiuitatibus quibusdam Tartarorum.

A ciuitate Cianiganorum tres sunt dietæ contra Aquilonem ad ciuitatem * Ciandu, quam ædificauit magnus Cham Cublai, extruens in ea maximum ac pulcherrimum palatium, marmore constans, & auro adornatum. Iuxta palatium istud est nemus regale, muris vndiq; cinctũ, quorum circuitus patet milliarijs XV. In nemore verò sunt fontes & flumina, atq; prata, & variæ bestiarum species, vt cerui, damulæ, capreoli cum falconibus, qui regi in voluptatem & cibum seruantur pro tempore, quando illuc diuertit. Diuertit autem sæpè venationi operam daturus equo insidens, ducitq; secum leopardum domesticum, quem in ceruos & damulas prouocat, captamq; bestiã grifalchis tradit, atq; in hac re spectanda miram capit volupta-

* Haythono Ions, Iouio li. 14 Canta.

COBILA fundator vrbis.

Eiusdem viuarium.

Leopardi cicur.

voluptatem. In medio nemoris domus quædam de arundinibus constructa pulcherrima consistit, intus & foris deaurata est varijs picturis adornata, atq; tali artificio communita, vt à pluuia nequaquam illi iniuria fieri possit. Potest quoq; domus ipsa in modum tabernaculi dissolui atq; deponi, & rursum erigi. Nam sustinetur, quando erecta fuerit, circiter ducentis funibus sericis. Porro arundines ex quibus constat, habent singulæ quindecim passus in longitudine, & in spissitudine tres palmos: ex quibus fiunt columnæ, tabulæ & compagines, sed & * imbricamenta. Nam diuiduntur arundines iuxta nodos, & pars illa per medium scissa duas præbet regulas, quæ domo superpositæ eam à pluuiarum defendunt stillicidijs. Solet magnus Cham tribus mensibus per annum illic habitare, scilicet in Iunio, Iulio atq; Augusto: nam est ibi aëris conueniens temperies, caretq; locus ipse solis ardoribus. His igitur mensibus domus erecta manet, cæteris verò temporibus deposita & conuoluta seruatur. Proinde die vigesimo octauo Augusti rex à ciuitate Ciandu discedens, proficiscitur ad locum alium, dijs suis solenne facturus sacrificium, à quibus sperat sibi, vxoribus, filijs, & animalibus, quæ possidet, vitam & sanitatem concedi. Nam habet armenta magna equorum alborum & equarum albarum, quæ putantur excedere numerum decem millium. In hac autem festiuitate præparatur lac equinum in vasis decentibus, & rex ipse manibus suis proprijs diffundit hinc inde lac illud pro honore deorum suorum, arbitrans & à Magis suis sic edoctus, quòd dij lac bibant effusum, & soliciti sint conseruatores omnium eorum, quæ possidet. Post sacrificium illud nefandum, bibit rex de lacte equarum albarum, nec vlli alteri licet illa die bibere de lacte illo, nisi fuerit de progenie regis, præter populum quendam regionis illius, Horiach vocatum, qui hoc etiam gaudet priuilegio, propter victoriam quandam magnam, quam pro magno Cham Chinchis obtinuit. Hic igitur ritus die vigesimo octauo Augusti solenniter in perpetuum à Tartaris obseruatur.

Domus arundinea.

* Imbrices.

Venationes.

Sacrificiũ solenne.

Lac equinum.

Horiach populus.

Hinc

Honos equorum alborum. Hinc etiã fit, vt equi albi atq; equæ in magno à populo illo habeantur honore. Comeduntur etiam in hac prouincia carnes hominũ, qui publico iudicio ad mortẽ condemnati *ἀνθρωποφαγία condemnatorum.* sunt. Qui verò ex ægritudine moriuntur, horum carnes nõ comeduntur. Habet magnus Cham Magos, qui dæmonum arte obtenebrant & in caliginem cõuertunt aërem, luce super palatium regis clara permanente. Agunt etiã hi Magi, *Magi regi* vt rege iuxta mensam sedente, scyphi eis aurei dæmonum arte ab alia mensa, quæ in medio aulæ consistit, regia portans vasa, super mensam regis exiliant, dicuntq; se id secreta quadã efficere arte. Et quando festa idolorum suorum celebrant, dantur illis à rege arietes, quos cum lignis aloês & thure ceu odoriferum sacrificium Dijs offerunt, coctasq; arietis carnes cum cantu & maxima lætitia idolis deuorandas exhibent: ius verò carnium ante idola effundunt, asserentes se deorum suorum promereri clementiam, qui terris fertilitatem largiantur.

CAPVT LXVI.

De monachis quibusdam idololatris.

Monachi idolatrici INueniuntur in regione illa plurimi Monachi idolorũ cultui deputati. Habent hi monasterium quoddam magnũ, oppiduli habens magnitudinem, in quo sunt circiter duo millia monachorum, qui idolis seruiunt, rasura & veste à laicis sequestrati. Nam radunt caput & barbã, vestemq; induunt religiosam. Hi in idolorum solennitatibus magnis clamoribus cantant, luminaria multa in templo accẽdunt, alijsq; compluribus distinentur stultis cæremonijs. Sunt & *Eorundẽ matrimonia.* in alijs locis monachi & varij idololatræ, quorum quidam multas habent vxores, alij verò pro honore Deorum suorũ castè viuunt, vitam austerã ducentes, nam nihil comedunt præter farinæ purgamenta aquis diluta. Vestiuntur quoq; pannis rudibus & asperis, coloris abiecti, & lecti molliciem *Mutua insectatio.* vitantes, dormiunt super rigentia stramina. Alij tamen monachi, qui laxioris sunt vitæ, iudicant hos tam austerè viuentes hæreticos, quòd non debito viuendi modo Deos colant.

MARCI PAVLI VENETI DE REGIONIBVS & prouincijs Orientalibus, Liber ſecundus.

CAPVT I.

De potentia & magnificentia Cublai, regis maximi Tartarorum.

IN HOC SECVNDO LIBRO SCRIbere inſtitui de magnificentia, pompa, ſumptuoſitate, potentia, diuitijs, & imperij adminiſtratione Cublai, Tartarorum ſummi imperatoris, qui noſtro æuo regni ſceptra gubernat. Is enim in ſua magnificentia & dominio longè ſuperat omnes prædeceſſores ſuos, adeò ampliauit imperij ſui limites, vt ferè totum Orientem ſuæ habeat ſubiectum poteſtati. Is ex proſapia Chinchis, primi Tartarorum principis, ſatus, ſextus Imperator illius terræ fuit, anno ſcilicet Domini M. CC. LVI regnare incipiens, & populo magna ſapientia atq; grauitate præſidens. Eſt vir ſtrenuus, in armis exercitatus, corpore robuſtus, atq; animo ad res gerendas promptus, conſilio pollens, & in populi gubernatione prouidus atq; circumſpectus. Nam priuſquam imperij conſequeretur faſces, ſæpè ſtrenuum in bellis egit militem, atq; in cunctis vt prudentem virum ſe gerebat. Interim tamen quo regno præfuit, non niſi ſemel ad pugnam proceſsit, ſed filios ſuos & alios aulicos loco ſui illuc deſtinauit.

Argumentum huius libri.

COBILAE potentia.

¶ Suprà li. 1. ca. 65

Regni initium.

Elogium.

CAPVT II.

Qualiter Cublai rex à patruo ſuo, Naiam, rebellionem ſuſtinuit.

Naiamus perduellis

DIximus Cublai regẽ semel ad pugnã egressum, sed modò causam explicabimus. Anno Domini M·CC·LXXXVI· patruus eius, Naiam nomine, quùm triginta esset annorũ, & multis populis atq; regionibus esset præfectus, iuuenili elatus vanitate, motus est contra dominum suum Cublai, maximum contra eum ducens exercitum, & vt felicius pugnaret, asciuit in auxilium alium quendam regem, Caydu nomine, qui nepos erat Cublai Imperatoris, sed odio habebat eum. Rebellioni igitur assensum præbens, promisit se in propria venturum persona, conductis centum millibus militum. Hi igitur vt condixerunt, conuenire decreuerunt cum suis copijs in planicie quadam, pariter Imperatoris terras inuasuri. Porro Naiam in exercitu suo habuit circiter quadraginta millia militum.

Caydu.

CAPVT III.

Qualiter Cublai se contra hostes muniuit.

COBILA vigilat. Iurat & parat vindictam.

NOn autem latuit Cublai Imperatorem, quid consanguinei sui molirentur contra eum, & quàm acerbo animo contra ipsum concitati essent, publica facta conspiratione. Quapropter per caput suum & Imperialem coronam iurauit, quòd se defenderet ab illis, & vindicaret hostium suorum audaciam. Vnde in viginti duobus diebus comparauit exercitum maximum, nempè trecenta sexaginta millia equitum, & peditum centum millia, idq; ex his, qui vicini erant ciuitati Cambalu. Et quanquam longè maiorem potuisset congregare exercitum, tamen quia subitò & quasi ex improuiso voluit irruere in hostes, noluit diutius moram trahere in aggregando maiori exercitu, ne institutum eius Naiam hosti patefieret, & fugam meditaretur, aut ad tutiora loca exercitum suum perduceret. Habuit quidem Imperator tunc & alios exercitus in armis, sed quos contra diuersas miserat prouincias expugnandas, & hos quoq; reuocare noluit, quo minus hosti consilium suum

ſuum aperiretur. Interim autem mandauit, omnes vias maxima cuſtodiri diligentia, ne expeditio ſua vllo pacto Naiam hoſti innoteſceret, atq; præſentire poſſet aduentum ſuum. Vnde cuncti euntes & redeuntes à regis cuſtodibus tenebantur, ne vel aliquid rumoris ad Naiam perueniret. Rebus itaq; ſic ſe habentibus, conſulit rex Cublai aſtrologos ſuos, quando fata felicem ſibi indicarent profectionem, & qua hora itineri ſe accingere debeat. Qui omnes paribus votis regi cuncta felicia prædicunt, adeſſeq; aiunt tempus, quo de hoſtibus triumphet.

Iubet obſeruari vias.

Conſulit Magos.

CAPVT IIII.

Quomodo Cublai deuicerit Naiam.

IGitur Cublai Imperator cum exercitu ſuo ſoluens, profectus eſt vſq; ad planiciem, vbi Naiam adhuc præſtolabatur aduentum Caydu regis, qui illi ſuppetias erat laturus. Et Cublai ad collem quendam caſtrametatus, quieuit illa nocte cum exercitu ſuo. Populus verò Naiam nihil ſibi metuens, nec periculi aliquid adeſſe ſciens, inermis per planiciem vagabatur, genio largius vacans. Et tranſacta nocte, vt dies terris reddi cœpit, Cublai Imperator in collem aſcendens, exercitum ſuum in duodecim diſtinxit acies, tria millia militũ vna habente acie. Pedites verò iuxta milites tali collocati ſunt ordine, vt in quibuſdam aciebus duo pedites lanceas tenentes, duo militum ſtiparent latera. Rex verò ipſe ſedebat in caſtro quodam mirabili ſuper quatuor conſtructo elephantes, in quo etiam regale erat vexillum. At exercitus Naiam vbi vidiſſet inſignia & acies Cublai, vehementer expauit, quippe qui adhuc expectabant ſubſidium regis Çaydu. Et continuò currentes ad tentorium Naiam, qui cum concubina, quam adduxerat, dormiebat, excitauerunt illum. At ille quantocyus potuit, exercitum ſuum in acies diſpoſuit. Eſt autem conſuetudo omnium Tartarorum, vt tubis primùm clangorem edant, & tangant cuncta exercitus inſtrumenta, atq;

COBILAE profectio in hoſtem.

Acies.

Claſſicum

altis vocibus cantent, & tandem ſigno à rege dato, arma contra hoſtem corripiant. Sic quùm vterq; exercitus ſuas abſoluiſſent cantilenas, iubet Cublai buccinis ſignum dare, & hoſtem aggredi. Illico autem manus conſerere cœperunt, & tam atrox prælium inierunt, vt putares imbrem ſagittarum & iaculorum per aërem deſcendere. Baliſtis laxatis, mutuò gladijs & lanceis ſe conficiunt. Erat quidem Naiam profeſsione & nomine Chriſtianus, ſed non operum fidei ſectator, ſignaueratq; principale vexillum ſuum crucis ſigno, habens ſecum non paucos Chriſtianos. Cômmiſſum eſt itaq; prælium ab initio diei vſq; ad meridiem, & ceciderunt multi ex vtroq; exercitu, donec tandem Cublai ſuperior euaderet, & hoſtem in fugam verteret. *Victoria.* Mox autem vt populus fugere cœpit, Naiam captus eſt, & ingens multitudo in fuga ipſa occiſa.

CAPVT V.

Quomodo Naiam ſuffocatus fuerit.

Rex itaq; Cublai captum habens hoſtem ſuum, iuſsit vt confeſtim occideretur, qui auſus fuerat contra dominum ſuum arma mouere, & rebellionem excitare. Sed quoniam erat de proſapia ſua, noluit vt ſanguis regius de ſtirpe ſua funderetur, ne terra regium biberet ſanguinem, aut ſol vel aër viderent mala morte quenquam de regali progenie natum interire. *Suppliciũ Naiami.* Iuſsit igitur vt tapeti inuolutus atq; ligatus, tamdiu hinc inde duceretur, agitaretur, traheretur & impelleretur, donec contracto anhelitu ſuffocaretur. Hoc autem mortuo, optimates ſui & cunctus populus, qui euadere potuerunt, inter quos multi fuerunt Chriſtiani, ſponte ſe ſubmiſerunt dominio & obœdientiæ Cublai Imperatoris. Et tunc quidem quatuor prouinciæ acceſſerunt ditioni eius, quarum nomina ſunt, Funotia, Cauli, Barſcol & Sinchintingui.

CAPVT VI.

Compescit Cublai Iudæos & Sarracenos crucis Christi contemptores.

POrrò Iudæi & Sarraceni, qui in exercitu Cublai fuerunt, cœperunt Christianis, qui cum Naiam venerant, exprobrare, & dicere, quòd Christus, cuius signum Naiam in vexillo habuerat, non potuerit suis auxilio esse: hasq; contumelias cotidie Christianis obiecerunt, Christi potentiā vt inanem irridentes. Christiani verò qui ad regis Cublai obœdientiā venerant, indignum rati, vt talia ferrent conuicia, quæ gloriam Christi minuerent, conquesti sunt Imperatori, quales illis inferrentur iniuriæ. At ille conuocans Iudæos, Sarracenos & Christianos, ad Christianos conuersus ait: Deus vester & crux eius noluit quidē Naiam præsidium vllum ferre, verùm vos propterea nolite erubescere, quoniam Deus bonus & iustus, iniustitiæ & iniquitati patrocinari minimè debuit. Naiam domini sui proditor extitit, atq; contra omnem æquitatem rebellionem excitauit, & quidem Dei vestri auxilium in sua malicia implorauit. Sed ille, vt Deus bonus & rectus, noluit fauere illius criminibus. Vnde mandans Iudæis & Sarracenis, cæterisq; Christiani nominis blasphematoribus interdicebat ne vllus eorum Christianorum Deum aut crucem eius amplius blasphemare præsumeret. Sic illis silentium impositum est. Cublai verò tumultu sedato, cum victoria & gaudio ad ciuitatem suam Cambalu est reuersus.

Christiani victi excusantur.

¶Nō Deus volens iniquitatem tu es. Psal. 5.

CAPVT VII.

Qualiter magnus Cham remuneret milites suos parta victoria.

POrrò præfectos, exercituum Duces, atq; alios antesignanos milites, rex Cublai, quùm victor è bello redit, honorat hoc modo. Eum, qui ante præerat centum militibus, in gradum sublimiorem collocat, atq; mille præ-

ficit militibus: & sic gradatim reliquos belli Duces in digniorem ponit statum, donatq; illis aurea & argentea vasa, tabulas, priuilegia atq; immunitatem. Et hæc quidem priuilegia tabulis vel bracteis per sculpturas imprimuntur. Ex vno latere scriptura huius tenoris continetur: Propter Dei magni virtutem, & propter gratiam magnam, quam Imperatori contulit, nomen magni Cham benedictum sit. In alia verò latere sculpta est imago leonis cum sole vel luna, vel imago grifalchi, aut reliquorum animalium. Quicunq; autem habet tabulam cum leone & sole atq; luna, quando procedit in publicum, defertur pallium supra eum in signum magnæ autoritatis. Qui autem grifalchi habet imaginem, potest secum de loco vno ad alium ducere vniuersam cuiuscunq; principis vel regis militiã. Sicq; omnia in suum distributa sunt ordinem, tabulis indicantibus, quibus obœdire oporteat. Et si quis iuxta tabularum expressionem obœdire noluerit, contempseritq; præscriptam autoritatem, vt rebellis Imperatori, interficitur.

Diploma-ta regia.

CAPVT VIII.

De forma Cublai atq; vxoribus, filijs & ancillis eius.

REx Cublai est homo admodum pulcher, statura mediocri, non nimis pinguis, nec nimis macilentus, faciem habet rubicundam atq; candidam, oculos magnos, nasum pulchrum, & omnia corporis lineamenta debita proportione consistentia. Habet vxores IIII. quas legitimas censet, & succedit ei in regno primæ primogenitus. Et quælibet harum quatuor peculiarem curiam, eamq; regalem in proprio palatio tenet, habens circiter trecentas electas pedissequas & famulas, multosq; ministros eunuchos, & aliam familiam plurimam. Habet præterea rex ipse concubinas multas. Nam est inter Tartaros natio quædam, quæ dicitur Vngrac, quæ mulieres habet admodum formosas, & moribus conspicuas, de quibus nutrit in palatio suo

COBILAE concubinæ.

Vngrac natio Tartarica.

ſuo circiter centum, quæ ſcilicet elegantioris ſunt formæ: & ſuper has conſtituit matronas quaſdam, quarum officium eſt, vt illarum curam gerant; & diligenter conſiderent, quando in infirmitatem ceciderint, aut maculam aliquam contraxerint: alioquin regis complexibus frui non poterunt. Ex his concubinis ſex deputantur tribus diebus ac noctibus pro cuſtodia regiæ cameræ: & dum rex vadit dormitũ, aut è lecto manè proſilit, aſsiſtunt ei vt miniſtræ, atq; in cubiculo eius dormiunt. Quarta verò die ſex aliæ prioribus in dicto miniſterio ſuccedunt, tribus diebus & totidem noctibus regi obſequentes. Et his rurſum aliæ ſex ſuccedunt, continuaturq; hæc permutatio, donec omnes centum miniſterio regis fuerint adhibitæ. Porro de quatuor legitimis vxoribus habet rex Cublai XXII. filios, vocatuſq; fuit primæ vxoris primogenitus Chinchis, qui illi ſucceſſurus erat in imperio, niſi ante patrem in fata conceſsiſſet. Is itaq; reliquit filium, nomine Temur, qui eſt homo ſtrenuus, prudens, & in militia exercitatus, ſuccedetq; auo in imperio loco patris ſui defuncti. Cæterum de ancillis & famulabus ſuis habet rex Cublai XXVII. filios, qui omnes in aula ſua ſunt magni Barones.

Chinchis. *Temur.*

CAPVT IX.

De palatio eius, quod eſt in Cambalu, & loci amænitate.

TRibus anni menſibus, nempe Decembri, Ianuario & Februario, Cublai rex in regia ciuitate * Cambalu moratur, vbi palatium habet miro artificio extructum. Ambitus enim eius cõtinet milliaria IIII. quadratura quali bet vnum milliare complectente. Et eſt murus is ſpiſſus valde, decem paſsibus in altum conſurgens. Superficies eius extrinſeca colore albo & rubeo nitet. In ſingulis quatuor muri angulis palatium pulchrum & magnum, fortalicij loco conditum eſt. Sic in medio cuiuslibet quatuor murorum palatium egregium extructum eſt: eaq; in vniuerſum vocant.

* Hæc eſt Sera ciuitas & Serica regio Aeneas Syluis pag. 291. Chronicon Bergomatis pag. 359. & alij Cambaleſchiã.

Armamẽtarium. uersum octo sunt. In his conseruantur arma, instrumenta, tormenta & vasa bellica, nempe arcus, sagittæ, pharetræ, calcaria, frena, lanceæ, clauæ, funiculi arcuum, & reliqua quæ in bello necessaria sunt, singulaq; armorum genera in singulis posita sunt palatijs. Porro facies palatij, quæ meridiem respicit, quinq; habet portas, quarum media maior est omnibus, nec vnquam aperitur, nisi pro regis introitu. Nam nulli per eam patet ingressus nisi soli regi. Sed hæc habet duas minores collaterales portas, per quas ingrediuntur reliqui, qui regem comitantur. Quælibet verò reliquarum trium facierum, vnicam duntaxat in medio habet portam, per quam quisq; ingredi potest. Cæterum intra iam memoratum murum, alius murus cingit hoc regium castrum, habens vt prior murus, in angulis & meditullijs eorum octo palatia, in quibus continentur alia vasa & preciosa iocalia regis. *Regia.* In spacio verò medio interiori est regium palatium, habitaculum scilicet in quo rex moratur. Hoc palatium caret solario, pauimentum verò eius exteriori fundo præeminet decem palmis. Tectum eius altum est valde, pictura decoratum. Parietes aularum & conclauium auro & argento fulgent. Vbiq; picturæ pulcherrimæ & bellicarum rerum historiæ sese ingredientium oculis offerunt, viuaci colore & rutilanti auro coruscantes. *Numerus aulicorum regia mensa fruentium.* In aula maiori ad mensam simul recumbunt circiter sex hominum millia. Intra dictos muros, totum castrum ambientes, sunt plurima viridaria atq; prata lignis pomiferis atq; varijs consita arboribus. Discurrunt etiam per hæc viridaria animalia syluestria, vt cerui & animantia, ex quibus muscum colligitur, capreæ, damulæ, & aliarũ specierum animalia. Versus Aquilonem verò sunt viuaria, in quibus meliores quiq; pisces, qui haberi possunt, nutriuntur. In lacum illum ingreditur fluuius quidam, & rursus egreditur, cratibus ferreis loco introitus & exitus communito, ne pisces elabi queant. Extra palatium spacio vnius leucæ, est monticulus quidam centum passibus in altum erectus, cuius circumferentia milliaris continet spacium,

arbori-

arboribus semper virentibus consitus. In hunc montem iubet rex arbores quasq; optimas à remotis partibus adduci, onerans illis elephantos: extrahuntur enim cum radicibus & transplantantur in hunc montem. Et quoniam is mons perpetuò viret, vocatur Mons viridis. In cacumine eius est palatium egregium, viridi disterminatum colore, in quo magnus Cham sæpè genio vacat. Est & aliud magnificum palatium seu castrum iuxta magni Cham extructum castrum, in quo Temur primogenitus eius, illi in imperio successurus, cum aulicis suis magnificè & regaliter viuit. Nam amplissimam habet autoritatem & sigillum imperiale, verùm magno Cham vt domino subiectus.

Mons viridis.

Temur.

CAPVT X.

Descriptio ciuitatis Cambalu.

Ciuitas Cambalu in prouincia Cathai iuxta magnum sita flumen, ab antiquis temporibus insignis fuit & regalis. Sonat autem Cambalu ciuitas domini. Hanc magnus Cham transtulit in aliam fluminis partem: nam didicerat ab astrologis, quòd imperio rebellis futura esset. Ciuitas in quadrum constructa, in gyro complectitur viginti quatuor milliaria, quolibet quadrati latere sex habente milliaria. Muros habet dealbatos, altitudine XX. passuum, latitudinis decem, spissitudo tamen illa sensim ascendendo tenuior fit. Habet quælibet muri quadratura tres portas principales, quæ in vniuersim duodecim sunt, constitutis iuxta singulas magnificis palatijs. In angulis quoq; murorum sunt egregia palatia, vbi ciuitatis conseruantur arma. Transeunt per hanc ciuitatem vici & plateæ rectissimæ, vt ab vna porta liber aspectus pateat per ciuitatem ad portam oppositam, domibus elegantissimis palatiorum instar vtrinq; constructis. Porro in medio ciuitatis, ædes quædam magnifica est extructa, in qua campana pendet prægrandis, cum qua vesperi tria fiunt signa, post quæ nemini licet domum egredi vsq; ad initium sequentis

Cambalu significatum.

Ambitus.

Palatia.

Vicorum æqualitas

diei, nisi infirmorum aut parentum causa. Et qui noctu per ciuitatem ire necessitate cogente volunt, lumen secum deferre coguntur. Singulæ ciuitatis portæ à mille custodiuntur hominibus, non quidem propter hostium timorem, sed latronum & prædonum. Cauet enim rex summo studio, vt fures & prædatores arceantur.

CAPVT XI.

De suburbijs & mercatoribus ciuitatis Cambalu.

EXtra ciuitatem Cambalu duodecim sunt magna suburbia, singulis duodecim portis contigua, in quibus iugiter mercatores inueniuntur, & aduenæ homines. Nam propter curiam regis & multiplices mercantias innumerus indies confluit populus, qui in suburbijs illis rerum negocia tractat. Nec habent suburbia, vt aliâs fieri solet, domos, quæ à splendore & magnificentia domorum ciuitatis degenerent, solo regali excepto palatio. Intra hanc vrbem nullum hominis cadauer sepelitur, sed extra suburbia idololatrarum corpora comburuntur, & reliquarum sectarum funera sepeliuntur. Et quoniam ingens multitudo exterorum hominum semper illuc versatur, habentur in suburbijs circiter XX. millia meretricum: intra verò mœnia ciuitatis nulla sustinetur. Dici non potest, quanta vis mercimoniorum & opum in hanc vrbem conuehatur, putares toti orbi illa sufficere posse. Aduehuntur autem lapides preciosi, vniones, sericum & diuersarum specierum aromata ex India, Mangi, Catham & alijs regionibus. Nam vrbs hæc quodammodo omnium circumiacentium prouinciarum est centrum. Nec transit dies vlla per integrum annum, in qua non circiter mille quadrigæ serico oneratæ huc ab exteris negociatoribus conuehantur, ex quo per ingeniosos vrbis artifices mira parantur indumenta.

Sepultura extra vrbem.

Meretrices suburbanæ.

Vis mercium.

CA-

CAPVT XII.

Magnus Cham satellitio maximo stipatur & custoditur.

HAbet magnus Cham in curia sua XII. millia equitum, quos vocant Quesitam, id est, fideles Domini milites, qui corpus suum custodiunt. Et istis quatuor præfecti sunt duces, quorum quilibet tribus præest millibus. Horum officium est, vt diximus, die noctuq; regem obseruare, & eius custodiæ mancipatos esse. Vnde etiam à curia regis recipiunt impensas. Custodias autem suas tali distribuunt ordine, vt cùm per triduum dux vnus cum tribus millibus militum intra palatium regem stipauerit, tribus sequentibus diebus dux alius cum alijs tribus militum millibus, qui interim quieuerunt, obit hoc custodiæ munus, cui iterum dux alius cum militibus suis succedit: sicq; per totum annum hæc custodiæ obseruatur vicissitudo: non quòd regem tanta maneant pericula, sed vt magnificentia sua maior appareat.

Equitum aulicorum numerus.

Custodia.

CAPVT XIII.

De magnifico apparatu conuiuiorum eius.

POmpa, quæ in conuiuijs regis obseruatur, tali celebratur ordine. Qùum propter festum aliquod, aut aliam rationabilem causam, Imperator voluerit in maiori aula conuiuium instituere, mensa eius cæteris mensis sublimior ad Aquilonarem aulæ partem ponitur, & rex iuxta eam sedens vertit faciem ad meridiē, habens ad sinistram reginam maiorem, principalem scilicet vxorem, & ad dexterā filios atq; nepotes, & qui de regali sunt prosapia. Ipsorum tamē mensa est in demissiori loco, vt vix regis attingant pedes capitibus suis. Reliqui verò Barones & milites sedent adhuc in demissiori loco, habentes singuli vxores suas ad sinistram collocatas, tenetq; quilibet dux & nobilis gradum & ordinem suum, sicut & vxores eorum. Nam omnes nobiles

Festiuitas regiarum epularū.

Ordo discumbentium.

biles in curia Imperatoris tempore solennitatis pransuri, ducunt secum vxores suas. Et Impator ipse, dum in mensa sua recumbit, poterit ad omnes deflectere oculos suos, qui in aula illa conuiuantur. Porro extra aulam illam regiam sunt etiam aliæ aulæ collaterales, in quibus solennitatum tempore nonnunquam quadraginta millia hominum cibantur, quorum multi sunt aulici, alij verò feuda ab Imperatore renouantes: (a) ioculatorum quoq; & mimorum concurrentium non est numerus. Proinde in medio aulæ regiæ vas quoddam aureum erigitur, ex quo vinum, aut alius quispiam optimus potus in modum fontis scaturit, IIII. alijs dolijs aureis hinc inde sitis, quæ vini illius fluenta suscipiunt. Et ex his dolijs hauritur vinum, quod discumbentibus largiter opponatur. Nemo autem in hac discumbens aula alia quàm aureo vtitur poculo. Dici non potest, quantus sit apparatus, & quanta magnificentia in vasis & omnibus vtensilibus, quando magnus Cham in aula sua regia publicè discumbit. Porrò principes, qui regi discumbenti ministrant, omnes delicatissimo serico panno ora sua cooperiunt, ne ipsorum flatus seu halitus quoquo modo regium cibum aut potum contingere queat. Et cùm Imperator scyphum leuat vt bibat, omnes circumstantes citharœdi, & musicorum instrumentorum lusores, instrumentorum suorum chordas tangunt, & suauissimā edunt melodiam: atq; cæteri aulæ ministri interim genu flectunt. De cibis, qui ad mensam deferuntur, non est vt quicquam scribam, quàm opipari sint & delicati, & quàm magnificè atq; pompaticè inferantur. Prandio finito, accedunt citharœdi & harmoniaci quiq; concentores, ioculatores & nigromantici, qui miras melodias & miros gestus ante regis mensam edunt, quibus illius animum iucundum reddunt, & in hilaritatem soluunt.

Numerus aulicorum clientum &c.

Tubi, dolia & pocula aurea.

Proceres dapiferi ora velati.

Cæremonia rege bibente.

☿

Symphoniaci.

(a) Der Gauckler/ qui Græcis θυμελικοί, Suetonio Xystici, vti forsan ars eorum Cælio lib. 8. epist. Ciceronis Schœnobatica. Hos etiam antiquitus apud Indos excelluisse, memorat Aelianus V. H. li. 8. ca. 7.

pòst

pòst apud Aegyptios, Nicephorus Gregoras lib. 8. hodie apud Turcos, Chalcocondyles lib. 8.

☿ *Tartaricos Principes non nisi ad Symphoniæ cantū bibisse, docet Speculum histo. Vincentij lib. 32. cap. 22. De eadem re Itinerarium Monteuillani Angli.*

CAPVT XIIII.

Qualis magnificentia seruetur in natali regis.

SEruant omnes Tartari hunc morem, vt diem natalem domini sui honorificentissimè celebrent. Festum verò natale magni Cham Cublai est vigesimo octauo die Septēbris, & hunc diem celebriorem ducit quàm vllum totius anni diem, excepta festiuitate Calendarum Februarij, qua annum suum incipiunt. In natali itaq; suo rex induitur veste aurea preciosissima, & omnes aulici similiter optimis & melioribus, quæ habent vestiuntur indumentis, quibus singulis rex donat aureas Zonas magni valoris, & calceamenta de camuco parata, filo consuta argenteo, adeoq; singuli ad honorem regis ornare se student, vt nullus non regiam præ se ferat formam. Hæc autem pompa nedum in regis natali fit, verùm & in alijs festiuitatibus, quas Tartari per annum habent, numero tredecim: pro quibus rex annuatim aulicis suis preciosissimas largitur vestes, ornatas auro, margaritis, & alijs lapidibus preciosis, vnà cum Zonis & calceamentis, vt iam præmisimus. Nec sunt aulicorum vestes discolores à regia veste. Seruatur etiam hæc cōsuetudo apud Tartaros, vt in natali magni Cham omnes reges, principes & nobiles, qui ditioni illius subiecti sunt, mittant illi vt Imperatori suo donaria. Et qui conditionem aliquam aut officium ab eo impetrare cupiunt, postulationes suas duodecim Baronibus, qui ad hoc ipsum constituti sunt, offerunt, & quod illi decernunt, perinde est, ac si Imperator ipse respondisset. Astringuntur etiam omnes populi, cuiuscunq; sint fidei aut sectæ, siue Christiani,

COBILAE dies natalis.

Festa Tartarorum.

Apophoreta subiectorum ordinum.

Synedrion XII. Baronum.

Votum diuersarum religionū. siue Iudæi, siue Sarraceni, siue Tartari, cæteriq; pagani, vt Deos suos solenniter inuocent pro vita, incolumitate & prosperitate magni Cham.

CAPVT XV.

De initio anni, quod solenniter celebrant Tartari.

Anni Tartarici initium. IN die Calendarum Februarij, qui initium est anni Tartarici, magnus Cham & omnes Tartari vbicunq; sunt, maximum & solenne celebrant festum, omnesq; vnanimiter tam viri quàm mulieres student albis indui vestibus, vocantes diem illum festiuitatem alborum. *Albus color auspicatus habitus.* Nam credunt vestem albam bonum habere fatum: ideo vt toto anno fortuna illis sit propitia, in anni initio albis induuntur. Porrò ciuitatum rectores & prouinciarum præfecti, memores officij sui, mittunt Imperatori hoc die munera aurea & argentea, *Strenæ.* vniones & gemmas, pannos preciosissimos, & equos candidi coloris: vnde nonnunquam fieri solet, vt regi in hoc festo offerantur centum millia alborum equorum. Sic cæteri Tartari sibi inuicem munera mittunt ab initio anni, idq; ominis gratia, credentes omnia per annum felicius successura. In hoc deniq; festo omnes elephanti, *Numerus regiorum elephantorum.* quos habet Imperator numero quinq; millia, ducuntur ad curiam, vestiti tapetijs, in quibus pictæ sunt imagines variæ animalium & auium, portantes in humeris suis capsas plenas aureis & argenteis vasis, quibus opus habetur pro festo alborum magnificè celebrando. Multi quoq; cameli pulcherrimis cooperti pannis adducuntur, qui alia apportant, quæ pro tanto conuiuio sunt necessaria. Illucescente autem die Alborum, omnes reges, duces, Barones, milites, medici, astrologi, præfecti prouinciarum atq; exercituum, & alij Imperatoris officiales, ad aulam regis conueniunt, & quibus locus in ea contingere nequit ob hominum multitudinem, hi collaterales ingrediuntur

aulas.

aulas. Cunctis itaq; in suo ordine & gradu sedentibus iuxta cuiuslibet officij dignitatem, surgit vnus in medio, & alta voce clamat, Inclinate & adorate. Hac voce facta, consurgunt omnes celeriter & genu flectunt, fronteq; ad terram demissa, quasi Deum adorant, & id quatuor faciunt vicibus. Adoratione completa, vadunt omnes suo ordine ad altare, quod in aula positum consistit super vnam tabulam depictam rubeo colore, in qua scriptum est nomen magni Cham, arreptoq; thuribulo pulcherrimo, & redolentibus speciebus illi impositis, ad honorem magni Cham, cum multa reuerentia tabulam ipsam & altare suffumigant, & ad sua redeunt loca. Thurificatione ista nefaria completa, quilibet in conspectu Imperatoris offert munera illa, de quibus suprà diximus. His omnibus ritè peractis, parantur mensæ, & fit solennissimum prandium, edentes & bibentes cum lætitia magna. Quo finito, modulatores & ioculatores accedunt, & suis concentibus atq; gestibus omnium mentes exhilarant. In huiusmodi deniq; festis ducitur ad regem leo vnus domesticus, qui ad pedes illius vt catulus mansuetus iacens dominum suum agnoscit.

Votũ pro salute.

Epulum.

Leo cicur.

CAPVT XVI.

De feris, quæ magno Cham vndequaq; mittuntur.

TRibus illis mensibus, quibus, vt suprà diximus, Imperator moratur in ciuitate Cambalu, scilicet Decembri, Ianuario & Februario, omnes venatores, quos Imperator habet in singulis prouincijs, prouinciam Cathai circumiacentibus, venationi intendunt, omnesq; bestias grandiores, puta ceruos, vrsos, capreas, apros, damulas, & huiusmodi feras offerunt præfectis suis: qui si minori spacio, quàm in triginta diebus peragrari potest, distant à curia Imperatoris, mittunt huiusmodi captas bestias per quadrigas & naues ad Imperatorem, exenteratis tamen illis prius.

Venatorũ prouincialium officium.

Qui

Qui verò pluribus quàm triginta dietis ab eius curia distant, solùm pelles mittunt, quæ pro armis parandis sunt necessariæ.

CAPVT XVII.

Quomodo magnus Cham cum feris mansuefactis feras syluestres capit.

NVtrit domi magnus Cham varias bestias, domesticasq; factas secum ad venationes ducit, & mira afficitur voluptate, quoties videt domesticam feram cum syluestri pugnare. In primis autem habet cicuratos leopardos, qui mirum in modum venationi inseruiunt, multasq; capiunt bestias. Habet & lynces non minus ad venandum industrios, & item leones maximos atq; pulcherrimos, maiores illis, qui sunt in Babylonia, in quorum pilis radioli quidam varij coloris apparent, scilicet albi, nigri, atq; rubei, & illi quoq; docti sunt artem venatoriam. Nam plurimum prosunt venatoribus ad capiendum apros, vrsos, ceruos, capreas, onagros, atq; boues syluestres. Duci autem solent duo leones in vehiculo quodã, dum venatum itur, sequente vtrunq; eorum caniculo paruo. Habet quoq; Imperator multas aquilas cicuratas, quæ adeò efferatæ sunt, vt lepores, capreas, damulas, & vulpes capiant: inter quas aliquæ tam præfractæ sunt audaciæ, vt non vereantur cum magno impetu in lupos insilire, eosq; in tantum diuexare, vt ab hominibus sine labore & periculo capi possint.

Cicures leopardi. *Lynces.* *Leones.* *Aquilæ.*

CAPVT XVIII.

De spectaculo, quod magnus Cham in venatione facere solet.

Barones venatorũ magistri.

HAbet magnus Cham in curia sua duos Barones, qui regiæ præfecti sunt venationi, quorum vterq; decem præest millibus hominum, qui ea curant, quæ ad venationem sunt necessaria. Nam nutriunr canes magnos, &

ad

ad venationem assuefaciunt. Et quando magnus Cham cupit se venatione oblectare, & singulare ostentare spectaculum, duo memorati Barones ducunt secum illa viginti millia hominum, atq; canum magnam turbam, qui communiter circiter quinq; millia sunt, & cum rege in campum pficiscentes, vbi feras venari volunt, hoc pacto rem ipsam aggrediuntur. Rex cum nobilibus suis in medio planiciei locum tenet, & duo venatorij præfecti cum populis suis stant ad dextram & sinistram regis: vnius populus induitur vestibus rubeis, & alterius vestibus aërei seu cœlestis coloris. Stant autem singuli in vna acie seu linea, vnus scilicet alterius assistens lateri, & tantam campi occupant longitudinem, vt vix itinere vnius diei perueniri possit ab vna extremitate ad aliam. Habent autem canes memoratos secum. Et postquam sic in vnum ordinem digesti sunt, laxant canes suos in venationem, & ipsi procedentes in illo ordine, maximum capiunt ferarum numerum: nam & terra illa animalibus syluestribus plena est, nec vllum facilè ipsorum effugere poterit laqueos & canes.

Numerus hominum & canum venaticorum.

CAPVT XIX.

De aucupio magni Cham.

MEnse Martio ingrediente, discedit Cham magnus à ciuitate Cambalu, proceditq; ad campestria, quæ versus Oceanum sita sunt, ducens secum magnum aucupum numerum, circiter decem millia, qui habent falcones, accipitres, grifalchos, & alia rapacium auium genera aucupio idonea, numero circiter quingentas aues. Hi igitur aucupes per regionem illam se diffundentes, falcones & accipitres suos in capturam laxant auium, quibus regio illa plena est: & aues quæ capiuntur, deferuntur pro maiori parte ad regem. Rex verò sedet in ligneo habitaculo, quod gestant quatuor elephanti, leonum coopertum exuuijs, & intus deauratum, habens secum pro sua recreatione aliquos duces, & XII. accipitres electos. Porrò iuxta ele-

Aucupum

Auium venaticarũ.

Lectica regia.

phantes, qui regium portant habitaculum, obequitant multi nobiles & milites, regis latera stipantes. Qui cùm viderint fasianos aut grues, aut alias aues in aëre volitantes, indicant id aucupibus, qui iuxta regem sunt. Et hi id ipsum regi significantes, discooperiunt habitaculum regium, laxantq; falcones vel accipitres; & rex in lecto sedens, auium intuetur ludum. Migrant quoq; cum rege & alia decem millia hominum, qui in illo aucupio bini & bini per campos discurrunt, & aduertunt, quò emissi volitent falcones atq; accipitres, & si opus fuerit, illis subsidium ferant. Et hi lingua Tartarica vocantur Toscaor, id est custodes, certum scientes edere sibilum quo emissas vocant aues. Nec opus est, vt auceps, qui emittit auem, sequatur illam, quùm hi, de quibus iam diximus, intenti sint auibus capiendis, & solliciti sint, ne aliquo modo lædantur aut perdantur. Qui enim aui periclitanti viciniores sunt, hi tenentur illi subuenire. Quælibet autem emissaria auis tabellam paruam argenteam signo domini aut aucupis sui consignatam in pede gestat, vt si amissa fuerit, domino suo restitui possit. Quod si signum non cognosci possit, traditur auis Baroni cuidam, qui ob hoc ipsum vocatur Bularguci, id est custos auium perditarum. Nam conseruat omnes aues sibi oblatas, donec à dominis suis fuerint repetitæ. Idem fit de equis & alijs rebus in venatione amissis. Et qui rem quampiam in venatione repertam huic præfecto non ilicò tradit, sed ea aliquandiu vtitur, hic pro fure censetur. Vnde is perditarum rerum præfectus in venationibus locum tenet eminentiorem vexillo suo signatum, vt in tanta populi frequentia cognosci possit, & amissa facilè illi vel offerri vel ab eo repeti possint.

Toscaor.

Symbola venatic. auium.

Bularguci Baro.

CAPVT XX.

De magnificis tentorijs magni Cham.

Interim

INterim autem quo sic ludendo cum auibus aucupio intenditur, peruenitur ad planiciem quandam magnam Caciamordim, vbi sunt regis & omnium aulicorum præparata tentoria, numero circiter decem millia. Hæc autem tali ordine sunt disposita. Primum est ingens tentorium, sub quo commodè manere possunt mille homines, ingressum habens ad meridiem, & sub hoc morantur Barones, nobiles & milites. Iuxta hoc ad occidentem aliud est erectum tentorium, in quo regis est aula & consistorium, quod intrat, quando cum aliquibus vult loqui. Et huic in altera parte adiunctum est cubile, in quo rex dormire solet, & his mansionibus rursum aliæ aulæ & cameræ adhærent. Regiæ verò aulæ, hoc est, cubile regis, consistorium & habitaculum militum, sic disposita sunt. Sustentantur singulæ tribus columnis de lignis aromaticis cum varijs & elegantibus sculpturis fabricatis, & cooperiuntur exuuijs leonum nigri & rubei coloris. Nam discolores leones in partibus illis inueniuntur. Nec possunt tentoria illa à ventis vel pluuijs iniuriam vllam recipere, quùm coria illa, quibus teguntur, solidiora sint, quàm quæ facilè lædi possint. Intus verò parietes tentoriorum pellibus nobilissimis armelinorum & Zebellinorum sunt opertí, etiamsi in regionibus illis hæ pelles preciosissimæ habeantur, vt quãdoq; vix pro duobus millibus Byzantiorum aureorum pelles pro vna tunica sufficiant. Porrò funes, quibus hæc tria sustentantur tentoria, de serico sunt. Sunt præterea & alia erecta tentoria iuxta illa tria, in quibus vxores, filij & ancillæ regis morantur. Deinde etiam habent falcones, accipitres, bubones, grifalchi, & reliquæ aues, quæ aucupio inseruiunt, sua tentoria, in quibus continentur. Tanta enim est tentoriorum multitudo, vt à longe aduentantibus appareat illic insignem conditam vrbem. Confluit etiam vndiq; maxima multitudo hominum ociosorum, ad spectaculum illud contuendum, præter eos, qui in regis ministerio sunt, qui sua loca in tentorijs non secus habent, quàm in ciuitate Cambalu, vt sunt regis medici, astrologi,

Numerus & series tentoriorum.

Leones discolores.

Armelinarum & Zobellinarũ pellium ingens precium.

& cæteri vates. Manet verò rex in planicie illa per totum Martium, & capit innumera animalia, atq; infinitas aues. Nemini enim alioquin licet venationi intendere in omnibus regni illius prouincijs, saltem quæ in viginti diebus & citrà pedestri itinere attingi possunt: nec vlli permittitur canis aut volucris venaticus: & præsertim à principio Martij vsq; ad mensem Octobrem nemini permittitur, quocunq; etiam vtatur ingenio, capere ceruos, damulas, capreas, lepores, & huiusmodi syluestres feras. Hinc igitur est, quòd terra illa talibus abundat animalibus, & plærunq; adeò familiaria fiunt hominibus, vt transeuntia propè eos minimè horreant aut paueant conspectum illorum. Aucupio expleto, rex domum redit, & per dies tres celebratis conuiuijs, omnes quos ad hoc vocauit spectaculum, ad propria reuerti concedit.

Venationes interdictæ.

CAPVT XXI.

De moneta & opulentia magni Cham.

Moneta magni Cham non fit de auro vel argento, aut alio metallo, sed corticem accipiunt medium ab arbore mori, & hunc consolidant, atq; in particulas varias & rotundas, magnas & paruas scindunt, atq; regale imprimunt signum. Minimi denarij valent precium parui Turonensis: & maiusculi dimidium grossum Venetum: qui verò maiores sunt, habent valorem duorum Venetorum, aut quinq; aut decem. Sunt qui Byzantium aureum valent, aut duos aut quinq; Byzantios. De hac itaq; materia facit Imperator in ciuitate Cambalu cudi imensam vim pecuniæ, quæ pro toto sufficit imperio: nulliq; sub pœna mortis in omnibus regnis & terris suis licet aliam cudere vel etiam expendere monetam, aut illam recusare. Nec aliquis ex alio veniens regno, quod magno Cham non est subiectum, audet aliam expendere pecuniam in imperio magni Cham. Vnde fit, vt non rarò negociatores ex longinquis

¶ Vide Haythonū cap. 1.

Cambalu monetæ officina.

ginquis terris &regionibus ad ciuitatem Cambalu venientes, secum portent aurum, argentum, margaritas & gemmas, & pro illis accipiant monetam regiam. Et quoniam hæc in terris suis non recipitur, commutant rursus eam in imperio magni Cham pro mercimonijs, quæ secum abducant. Mandat quoq; nonnunquam Imperator his, qui in Cambalu morantur, vt qui aurum vel argentum, aut lapides preciosos habent, ea quantocyus officialibus suis tradant, & consuetam ab illis monetam iuxta illorum valorem recipiant. Hoc itaq; modo fit, vt mercatores & ciues indemnes seruentur, &nihilominus rex omne aurum &argentum corradens, maximum congreget thesaurnm. De memorata fictitia moneta soluit etiam officialibus & exercitibus suis stipendia, & quacunq; tandem re in curia sua opus habet, hac emit pecunia. Vnde quùm tantam vim pecuniæ ex re nihili conflet, & tamen per eam aurum & argentum plurimum consequatur, ea quæ curiæ necessaria sunt, emat, ministris suis stipendia soluat, cuilibet facilè constabit, nullum in mundo reperiri regem, qui diuitijs illum superet.

CAPVT XXII.

De duodecim præfectis prouinciarum, & eorum officio.

HAbet Cham magnus duodecim Barones aulicos, qui triginta quatuor præfecti sunt prouincijs: & horum officium est, vt singulis prouincijs duos præficiant rectores, atq; regijs exercitibus in locis, vbi morantur, de his, quibus opus habent, prouideant: & quicquid ordinant, regi indicant, qui sua autoritate id confirmat, quod illi statuendum duxerint. Hi multa beneficia & priuilegia passim concedunt, & propterea plurimum à populo obseruantur, & ambitur fauor eorum. Habitant in quodam magno palatio in ciuitate Cambalu, pro eorum officio deputato, in quo varias habent aulas & cameras pro se & mi-

¶ *Vide suprà cap. 14.*

nistris suis. Habent etiam assessores & notarios, qui illis à consilijs sunt, quiq; ea, quæ agunt, diligenter annotant.

CAPVT XXIII.

De cursoribus & nuncijs magni Cham, atq; multiplici mansione eorum.

¶ Habet idē de Cyro Xenophon & repetijt Zonaras pag. 29.

EXtra ciuitatem Cambalu multæ patent publicæ viæ, ad viciniores ducentes prouincias, & in singulis castra seu diuersoria sunt extructa cum pulcherrimis palatijs, viginti quinq; distantia milliaribus ab vrbe Cambalu, vbi diuertunt emissarij, & nuncij regis. Vocantur autem mansiones illæ Ianli, id est, mansiones equorum: nam expectāt ibi trecenti, aut quadringenti equi regis nuncios. Qui hinc soluentes, post viginti quinq; milliaria alia inueniunt diuersoria, prioribus haud dissimilia: & ea hoc ordine & distantia continuantur, vsq; ad extremos imperij limites: ita vt per vniuersum imperium in publicis vijs circiter decem millia inueniantur regis hospitia. Equorum verò numerus, qui in illis diuersorijs nunciorum officijs sunt deputati, est circiter ducenta millia. In locis quoq; desertis & syluestribus, vbi alioquin nulla est humana habitatio, huiusmodi regia inueniuntur diuersoria, triginta aut quadraginta milliarijs à se inuicem distantia. Ministratur autem pabulum equis & victus custodibus eorum ab his ciuitatibus & incolis, qui diuersorijs viciniores sunt, aut intra quorum terminos illa consistunt hospitia. Diuersoria autem, quæ in desertis posita sunt, recipiunt necessaria à regis curia. Igitur quando rex noua ex remotis partibus citò audire cupit, destinat equites dicto suo quantocyus parentes, qui vno die ducenta aut trecenta conficiunt milliaria, & paucis diebus immensum terræ peragrant spacium: quod in hunc modum fit. Emittuntur duo cum equis, qui concitatissimo cursu sine vlla mora ad proximum declinant diuersorium: vbi dimissis fessis equis, duos alios ascendunt, & ad sequens citissimè se transferunt diuersorium,

Ianli. Die Post, pferde / veredi.

Numerus regiorum diuersoriorum.

Celerium equorum.

Itinera cō ficiendi ratio.

rium, sicq; fit, vt continuè cursum suum eundo, & redeundo continuent, & mandata regis ad remotissima loca pauculis diebus perferant, & rursum ex remotissimis partibus noua ad regem portent. Sunt etiam inter iam dicta diuersoria alia habitacula spacio trium aut quatuor milliarium ab inuicem distantia, vbi paucæ sunt domus, in quibus habitant cursores pedestres, habentes singuli cinctoria plena sonoris tintinnabulis. Hi semper præparati sunt, vt quoties litteræ regiæ ad eos destinantur, citissimè illas ad proximum perferant habitaculum. Et priusquam ad illud veniant, à longè audientes cursoris venientis sonitum, præparati illum expectant, & susceptis litteris euestigio illas ad sequentem deferunt custodiam: sicq; literæ per varias transeuntes manus, sine vlla impediente mora ad locum illum deferuntur, quò peruenire debent. Et sæpè fit, vt rex in triduo noua perdiscat, aut nouos fructus recipiat à loco, qui decem dierum itinere à sua habitatione distat. Omnes autem memorati cursores liberi sunt ab omni tributi exactione, & præterea à regis quæstoribus bonam laboris sui accipiunt mercedem.

Hemerodromi, die Postboten

Eorundē immunitates.

☿ *Vt simili modo equos stabularios imperium Rom. aluerit, vt iisdem CONSTANTINVS MAGN. Cæs. fugiens vsus sit, Zosimus lib. 2. pag. 24.*

CAPVT XXIIII.
De prouidentia Imperatoris tempore caristiæ.

SOlet magnus Cham singulis annis nuncios suos mittere ad diuersas prouincias, imperio suo subiectas, ad inquirendum, num damnum aliquod à locustis aut alijs vermibus frumento sit illatum, aut alia pestis sterilitatē in prouinciam aliquam inuexerit. Et quùm sibi innotuerit, prouinciam aliquam aut ciuitatem detrimentum passam, remittit illi populo tributa pro illo anno, mittitq; de horreis suis blada pro victu & semente. Nam tempore magnæ vber-

O egregiū regem.

vbertatis emit rex copiosam vim frumenti, & per annos tres vel quatuor in thecis conseruat, vt cùm in vna regione frumenti penuria præualuerit, defectus ille ex regijs horreis sarciri possit. Vendit autē bladum suum minimo precio, vt pro vno modio in quadruplo plus pecuniæ exponendum esset, si ab alio quopiam emeretur. Similiter quando pestis aliqua animalia inuaserit, remittit anno illo consuetum tributum, venditis illis alijs pecoribus & armentis. Præterea ne viatores & cursores in prouincijs Cathai errarent, prospexit illis prudens imperator hoc consilio. Plantari fecit plurimas arbores, alia ab alia modico distante interuallo, easq; iuxta vias sic constituit, vt iter agentibus ceu digito ostendant veram semitæ lineam. Quantum verò numerum pauperum hominum per totum annum nutriat, & de horreis suis frumentum & panes illis elargiatur, incredibile putabis, si narrare perrexero: id tamen pro vero asserere possum, eum quotidie per totum annum circiter triginta millia pauperum pane pascere: nec vlli sinit fragmentum negari panis. Quapropter à pauperibus quasi Deus reputatur.

Arbores statuarum Mercurialium vsum præstātes.

Respectus erga egenos.

CAPVT XXV.

Qualis potus vini loco in prouincia Cathai fiat.

CONficiunt in prouincia Cathai potum optimum ex riso & varijs aromatibus, qui suo sapore etiam vini excellit suauitatem. Et qui eo auidius potiuntur, quàm ratio æquum esse iudicet, aut bibentis natura egeat, citius inebriantur, quàm si vinum bibissent.

CAPVT XXVI.

De lapidibus, qui vt ligna ardent.

PEr totam prouinciam Cathai ex montibus eruuntur lapides quidā nigri, qui in ignem missi vt ligna ardent, & accensi aliquandiu ignem conseruant, vt si vesperi accendantur, per totam noctem viuum ignem retineant. Vtuntur

tur autem multi ijs lapidibus, quod lignorum in quibusdam locis sit penuria.

¶ *Notetur hîc locus Aeneæ Syluij de Scotia: Pauperes, inquit, penè nudos ad templa mendicantes, acceptis lapidibus, eleemosynæ gratia datis, lætos abijsse conspeximus. Id genus lapidis, siue sulphurea siue alia pingui materia præditum, pro ligno, quo regio nuda est, comburitur &c.*

CAPVT XXVII.

De fluuio Pulisachniz & egregio ponte eius.

INdicauimus hactenus in hoc secundo libro situm, magnitudinem & negociationem ciuitatis Cambalu, itemq; ob[illegible] scripsimus de magnificentia, pompa, & opulentia magni Cham: nunc rerum ordo exposcit, vt finitimas quoq; regiones lustremus, & quid in illis vel fiat, vel inueniatur, breui sermone aperiamus. Igitur cùm Cham magnus me Marcum ad remotas partes pro quodam regni sui negocio destinasset, quod quatuor mensium spacio me in itinere retinuit, omnia diligentius consideraui, quæ vel eundo vel redeundo obtutibus meis occurrerunt: nam quùm à ciuitate Cambalu itinere decem milliarium recessissem, inueni fluuium quendam magnum, Pulisachniz nomine, in Oceanum sese exonerantem, per quem naues multæ cum plurimis mercibus ascendunt. Est autem in eo loco pons marmoreus pulcherrimus, trecentos in longitudine continens passus & in latitudine octo: arcubus verò seu fornicibus viginti quatuor innitens, sculptis leonibus vtrunq; eius superiorem marginem adornantibus.

ἀνακεφαλαίωσις.

¶ Pertexit autem Cathaynæ descriptionem, quod patet ex cap. 31.

Pons marmoreus.

CAPVT XXVIII.

De locis vltra fluuiũ Pulisachniz sitis.

TRansito fluuio & ponte, procedendo per milliaria triginta continuò occurrunt castra, aliæq; elegantes domus: Item vineæ electæ, & agri fertiles. Sed finito itinere triginta milliarium, peruenitur ad ciuitatem Geogui, quæ

Geogui ciuitas.

quidem magna est & pulchra, plurima habens monasteria idolorum. Fiunt ibi panni optimi, aurei & serici, itemq; sindones mundissimæ. Habentur & multa communia hospitia pro aduenis & viatoribus in illa ciuitate. Ciues autem sunt artifices & negociatores. Extra hanc ciuitatem peruenitur ad biuium quoddam, cuius vna via ducit per prouinciam Cathai, altera verò versus regionem Mangi ad mare. Ea quæ transit per prouinciam Cathai, habet ciuitates, castra, viridaria, & optimos agros, in quibus multi quoq; sunt negociatores & ingeniosi artifices: & homines illi multum sunt affabiles & omnibus familiares.

CAPVT XXIX.
De regno Tainfu.

Tainfense vinum. ITinere dierum decem à ciuitate Geogui confecto, peruenitur ad regnum Tainfu, quod quidem magnum est atq; cultissimum: nam sunt in eo vineæ multæ. In prouincia verò Cathai nullum crescit vinum, sed ab hac regione illuc defertur. *Arma.* Exercentur in hoc regno mercationes multæ, abundatq; artificibus, & omnia arma, quibus vtitur Cham pro exercitibus suis, fabricantur in eo. Hinc verò progrediendo ad Occidentalē plagam, venitur ad regionem amœnissimam, castris multis & ciuitatibus cultam, in qua etiā mercimonia fiunt magna. Emenso hinc itinere septem dierum, *Pianfu ciuit.* peruenitur ad ciuitatem quandam prægrandē, Pianfu nomine, in qua serici maxima est copia.

CAPVT XXX.
De castro Chincui, & rege eius ab hoste capto.

Darius. AB vrbe Pianfu duæ sunt dietæ ad castrum quoddam elegantissimum, Chincui nomine, quod quidam Darius nomine extruxit, hostis magni illius regis, quem presbyterum Ioannem * vocant. Est castrum illud adeò arte & natura munitum, vt præses eius Darius neminem metueret

Regem Indiæ. ¶ Vide suo loco.

etiam

etiam potentissimum regem: de quo plurimum circumiacentium prouinciarum præsides dolebant, vt hominem illum nemo vnquam superare potuerit. Porrò habuit presbyter Ioannes in aula sua septem iuuenes præfracti animi, qui iureiurando promiserunt illi, se Darium regem tradituros in manus illius. Qui vicissim illis multa bona policetur, si effectu id compleuerint. Illi igitur abeuntes ad curiam Darij veniunt, obsequijsq; illius se offerunt, dissimulata mentis malitia. Qui eorum minimè timens aut obseruans calliditatem & versutum animum, vt fideles ministros suo mancipauit obsequio. Factum autem est, vt illi per totum biennium id efficere nequiuerint, quod iam diu animo conceperant. Rex verò illis per omnia vt iam biennio probatis ministris confidens, animi recreandi gratia cum illis & alijs paucis militibus quodam tempore extra castrum per milliare vnum equitauit. Tunc proditores illi horam adesse putantes, qua excogitatam malitiam publicarent, euaginatis super eum gladijs captum duxerunt ad presbyterum Ioannem, sponsioni suæ satisfacturi. Qui mirum in modum lætus effectus, deputauit eum ad custodiam animalium, optimeq; custodiri iussit. Et elapso biennio, quo cum pastoribus rex captus vixerat, iussit eum presbyter Iohannes coram se regio apparatu decoratum adduci: & alloquens eum dixit: Experimento nimirum nunc didicisti, quàm nihili fuerit potentia tua, quando te in tuo regno capi feci, & per duos annos cum pecoribus deputaui: possem iam te, si vellem, occidere, nullusq; mortalium te eripere posset è manibus meis. Cui ille respondens ait: Verum ais, est ita. Tum rex Ioannes. Quia te adeò humiliasti, vt te nihil esse duxeris respectu mei, en volo te deinceps agnoscere pro amico: & pro victoria abundè satis mihi est, quod potuissem, si voluissem, te occidere: traditisq; illi equis & deputatis ministris, cum honore fecit eum reduci ad castrum suum. Et ille quoad vixit, presbytero Ioanni honorem exhibuit, & iussis quibusq; obediuit.

Emissarij in æmulũ.

Clemens factum.

Gratitudo

CAPVT XXXI.

De fluuio quodam magno, Caromoram nomine, & adiacente regione.

*Meminit infrà cap. 52.

Zinziber.

Fasiani.

Cianfu ciuit.

¶ *Diuersa est ab hac Canfu, de qua infrà cap. 64.*

TRansito itinere vltra castrum Chincui viginti milliarium, peruenitur ad flumen *Caromoram, quod ob nimiam latitudinem & profunditatem nullum habet pontem: fluit verò ad Oceanum. Sunt in littore eius multæ extructæ ciuitates & castra, in quibus multæ exercentur nundinationes. Abundat hæc regio Zinzibere, serico & auibus, præsertim Fasianis. Traiecto fluuio, post duorum dierum iter peruenitur ad nobilem ciuitatem Cianfu nomine, vbi de auro & serico pulcherrimi fiunt panni. Omnes incolæ huius ciuitatis & ferè totius prouinciæ Cathai idololatræ sunt.

CAPVT XXXII.

De ciuitate Quenquinafu.

Mangala rex.

Idem venator & auceps.

VLtra verò procedendo per iter dierum octo, inueniuntur passim ciuitates & oppida multa, agri pulcherrimi, & viridaria. Abundat terra serico & venationibus bestiarum atq; auium. Quod si vlterius alijs octo dietis progrediaris, peruenies ad ciuitatem grandem Quenquinafu nomine, quæ est regni Quenquinafu metropolis. Et regnum istud fuit olim opulentum, & magni nominis. Hodie præest illi filius magni Cham, Mangala nomine. Producit ea regio magnam copiam serici, & omnia ea quæ ad hominis vitam conseruandam sunt necessaria. Exercentur etiã in ea plurimæ nundinationes. Incolæ idola colunt. Extra ciuitatẽ est regale palatium in planicie situm, in quo Mangala cum aulicis suis versatur. Est quoq; in medio ciuitatis palatium quoddam elegantissimum, ab intrà parietes habens deauratos. Vacat rex cum aulicis suis venationi animalium & capturæ auium, quibus illa regio abundat.

CAPVT XXXIII.

De prouincia Cunchi.

REcedendo à dicta vrbe & palatio itinere trium dierum, itur per planiciem quandam pulchram, in qua ciuitates plures sunt & castra, & vbi abundantia est serici, vsq; dum veniatur ad regionem montuosam, vbi nedum in mótibus, verùm & in montium conuallibus inueniuntur ciuitates & castra, & sunt de prouincia Cunchi. Incolæ sunt idololatræ & terræ cultores. Sunt etiam in ea regione venationes leonum, vrsorum, ceruorum, capreolorum, damularum & id genus animalium. Patet regio illa itinere viginti dierum, habens montes & valles, atq; nemora multa, sed vbiq; pro viatoribus conuenientia inueniuntur diuersoria.

CAPVT XXXIIII.

De prouincia Achalechmangi.

IAm dictæ prouinciæ contigua est prouincia alia, nomine Achalechmangi, quæ est ad Occidentalem plagam: & sunt in ea multæ ciuitates & castra: sed principalior regionis ciuitas vocatur Achalechmangi, & est confinis prouinciæ Mangi. Hæc prouincia itinere dierum trium planiciem habet, deinde sequuntur montes & valles atq; nemora, patetq; itinere viginti dierum, habens ciuitates multas & oppida. In cæteris rebus non differt à priori prouincia: nam habet negociatores, artifices & cultores terræ: itemq; venatores multorum syluestrium animalium. Habet quoq; animantia, quæ muschum producunt. Crescit in hac prouincia Zinziber in magna copia, sicut & triticum atq; risum.

Mangi.
¶ Vide infrà cap. 53.

CAPVT XXXV.

De prouincia Sindinfu.

PRiori prouinciæ contermina est alia prouincia Sindinfu nomine, quæ etiam contingit prouinciam Mangi.

Sindinsensis filij partiuntur ciuitatem. Huius principalior ciuitas est Sindinfu, quæ olim fuit magna & locupletissima, habens in circuitu viginti milliaria. Habet etiam regem ditissimum & potentem: qui cùm tres reliquisset filios regni successores, trifariam diuiserunt ciuitatem, partes singulas proprijs cingentes muris, quæ tamen omnes intra priorem continebantur murum. Magnus verò Cham ciuitatem illam & regnum suæ subiecit ditioni. Per medium huius ciuitatis transit fluuius, qui dicitur Quiansu, habens in latitudine dimidium milliare, & est profundus valde atq; piscosus. Positæ sunt in ripis eius multæ ciuitates & castra. Ostia eius distant ab hac vrbe nonaginta dierum itinere. Naues & merces per ipsum ascendunt in maxima multitudine & copia. Transit etiam pons lapideus per ipsum in ciuitate Sindinfu, habens longitudinem vnius milliaris, & latitudinem octo passuum. Et supra ipsum construuntur manè variæ domunculæ, quæ artificum sunt officinæ, & serò iterum deponuntur. Est & alia super eum constructa domus, in qua manent regis ministri, qui à transeuntibus pedagia & vectigalia exigunt. Vlterius verò procedendo per iter quinq; dierum transitur per planiciem quandam, in qua sunt ciuitates, castra, & vilæ multæ, in quibus sunt sindones in magna copia. Reperiuntur etiam ibi animalia syluestria multa.

Quiansu Fl.

Pons milliaris longitudine.

CAPVT XXXVI.
De prouincia Tebeth.

Vastitas Tebethæ.

¶ Aliter de hoc nomine Haythonus cap. 16.

POst planiciem, de qua iam diximus, venitur ad prouinciam Tebeth, quam magnus Cham expugnauit atq; deuastauit: nam multæ in ea sunt ciuitates destructæ, & castra diruta. Patet autem in longum itinere viginti dierum. Et quoniam omnino in solitudinem est redacta, habitatoribus carens, necesse est vt viatores victualia secum ferant, quæ illis sufficiant per iter viginti dierum. Et postquam hominum habitatione cœpit destitui, feræ syluestres totam eam occupantes, periculosum iter transeuntibus fecerunt,

cerunt, præsertim noctu. Verùm contra hoc periculum mercatores & alij viatores tale excogitauerunt commentum. Nascuntur in regione illa maximæ arundines, quæ habent in longitudine passus quindecim: crassitudo verò in gyro tribus mensuratur palmis. Porrò inter duos viciniores nodos distantia est trium palmorum. Itaq; quãdo viatores noctu volunt quiescere, accipiunt fasces magnos de illis arundinibus, & in vnam ponunt congeriem, subiectoq; igne succendunt. Quæ igne correptæ incipiunt crepitare, tantusq; in eis excitatur stridor & fragor, vt eminus ad aliquot milliaria audiri possit. Quem terribilem sonitum animalia audientes, obstupescentes fugiunt tamdiu, donec crepitus ab auribus eorum euanescat, illisq; sic elusis, mercatores & viatores tuti pertranseant prouinciam illam. Porro equi & alia iumenta, quibus mercatores pro itinere vtuntur, hoc audito strepitu plurimum inhorrescunt, & multa in fugam conuersa dominis suis elapsa sunt: sed prudentiores viatores pedes eorum compedibus ligantes, vt quadam ea secum retinent, ne territa aufugiant.

Vafrum viatorum commentum.

CAPVT XXXVII.

De regione alia Tebeth, & turpi eius consuetudine.

PEracto itinere viginti dierum, transitaq; prouincia Tebeth, occurrunt ciuitates & villæ plurimæ, in quibus idololatriæ occasione pessima inoleuit consuetudo: nam nullus vir ibi ducit vxorem virginem, sed si quam ducere instituit, necesse est, vt prius à multis viris sit cognita: aiunt enim, mulierem non esse coniugio aptam, nisi prius fuerit strupata. Vnde quando viatores & aduenæ aliunde venientes hanc transeunt regionem, & quietis gratia tabernacula sua ponunt, mulieres eius loci habentes filias nubiles, ducunt illas ad peregrinos, aliquando viginti, quandoq; triginta aut plures iuxta numerum mercatorum seu aduenarum, rogantes eos, vt quilibet vnam è virgini-

Fœditas libidinum

¶ Simile quid memorat Iustinus de Cyprijs li. 18. Aelianus V. H. li. 4. ca. 1.

bus

bus sibi associet, atq; concubitu eius fruatur, quàm diu illic manserint. Illi igitur matronarum precibus victi, deligunt sibi ex puellis quas volunt, & matrimonio aptiores reddunt. Et cùm recedere volunt, nullam secum abducere permittuntur, sed parentibus fideliter restituunt. Exigit etiam puella ab eo, qui eam deflorauit, iocale aliquod, seu munusculum, quod ostendere posit ceu argumentum suæ deflorationis. Et quæ à plurimis viris fuit amata atq; corrupta, & multa habuerit talia iocalia, quæ ostendat procis, hæc nobilior habetur, faciliusq; & honorificentius maritari potest. Et quando honorificè vult incedere, suspendit ad collum omnium amatorum insignia: quantoq; pluribus fuit grata, tanto maiori honore digna iudicatur. Sed quando cum maritis nuptias inierint, iam non permittuntur amplius extraneis viris copulari, sed maritis suis fidem seruare coguntur. Et plurimum cauent huius regionis viri, ne in hac re alterutrum se offendant. Idololatræ sunt atq; crudeles homines, pro nullo reputantes peccato, si prædentur & latrocinia exerceant. Viuunt de venationibus atq; fructibus terræ. Inueniuntur etiam apud eos multa animantia, quæ muschum producunt, quæ Gadderi vocantur. Venantur incolæ huiusmodi animalia canibus, abundantq; muscho. Linguam habent propriam atq; peculiarem monetam, & pellibus induuntur bestiarũ, aut canabeo rudi. Pertinet hæc regio ad prouinciam Tebeth: nam est Tebeth latissima prouincia, diuiditurq; in octo regna, habens ciuitates & oppida multa. Terra montuosa est, suntq; in ea loca quædam, atq; quidam fluuij, in quibus aurum inuenitur. Vtuntur ibi quoq; corallio pro moneta: nam est is lapis apud eos in magno precio, & omnes fœminæ deferunt eum ad collum, appenduntq; ipsum quasi rem preciosam ad colla idolorum. Sunt in hac regione canes maximi, asinis æquales, qui syluestres capiunt bestias. Habent etiam falcones, & alias aues venaticas. Crescunt apud eos in magna copia cinamomum & aliæ species aromaticæ. Subiecta est prouincia ipsa magno Cham.

¶ Coüenerunt quæde Stymphalis habet Erasmus in prouer.

Lex egregio.

Impunitas latrociniorum.

Gadderi.

Tebetha regna.

Corallium monetæ vicẽ præstans.

Cinamomum.

CA-

CAPVT XXXVIII.

De prouincia Caniclu.

PRouinciæ Tebeth adiacet ab Occidente prouincia Caniclu, quæ regem habet, sed qui tributarius est magno Cham. Est ibi lacus, in quo tanta est margaritarum cópia, vt precium earum omninò vilesceret, si pro hominum libito asportari permitterentur. Vnde sub capitis pœna cautum est, ne vllus in hoc lacu piscari margaritas absq; magni Cham indulto præsumat. Sunt quoq; in hac prouincia animantia Gadderi, quæ muschum ferunt in magna abundantia. Scatet etiam lacus ille, qui margaritas in tanta copia nutrit, piscibus: & tota terra plena est syluestribus bestijs, puta leonibus, vrsis, ceruis, damulis, lyncibus, capreolis, & diuersis auium speciebus. Vinum non crescit in ea, sed loco eius potum optimum conficiunt ex tritico, riso, & alijs varijs speciebus. Inueniuntur ibi gariophylli in magna copia, qui colliguntur ab arboribus, quæ habent ramusculos paruos atq; album florem, ex quo natum pirum loco grani habet gariophyllum. Crescit deniq; ibi Zinziber in magna copia, cinamomum, & aliæ variæ aromaticæ species, quæ ad regiones nostras non deferuntur. Inueniuntur etiam in montibus huius regionis lapides, qui Turchisi nominantur, pulchri valde, sed qui absq; licentia magni Cham auferri non possunt. Incolæ huius terræ idola colunt, à quibus adeò sunt dementati, vt putent eorum promereri gratiam, si vxores suas & filias viatoribus abutendas prostituant. Nam quùm peregrinus quispiam apud eos hospitij gratia diuertit, confestim paterfamilias vxorem, filios, & reliquas mulieres, quæ in domo eius sunt, conuocat, mandatq; vt hospiti & socijs eius per omnia obediant: & ipse recedens, peregrinum & comites eius in domo sua relinquit, nec redit, donec illi abierint. Et peregrinus interim qui illo fruitur hospitio, suspendit pallium suum, aut aliud signum ante fores illius domus: & quando paterfamilias redit, atq; per signum

Lacus margaritarum ferax.

Gadderi.

Gariophyllum.

Zinziber.

Cyani.

Incolæ idololatræ & lenones.

illud animaduertit hospitem nondum discessisse, non intrat domum suam, sed iterum abit, foris expectaturus, donec ille emigrauerit. Et in hunc modum potest peregrinus duobus aut tribus diebus illo vti hospitio. Et obseruatur consuetudo ista per totam illam prouinciam Caniclu, nec quisquam putat sibi illud esse dedecori, si peregrino vxoris suæ & filiæ copiam fecerit, quod in deorum facit gloriam, sperans illos sibi magis propitios futuros. Moneta eorum sunt virgulæ quædam aureæ, certum habentes pondus, & iuxta pondus virgulæ est valor monetæ. Et hæc quidem est moneta maior. Habent etiam minorem, quam hoc modo faciunt. Coquunt sal in caldario, & postea faciunt ex eo in formellis massulas paruas, quas consolidatas pro moneta exponunt. Relicta hac prouincia, proceditur itinere decem dierum, & interim occurrunt castra & pagi multi, quorum incolæ easdem habent consuetudines, quas prouincia Caniclu, tandemq; peruenitur ad flumen, quod Brius vocatur, ad quod prouincia Caniclu terminatur. Inuenitur autem in hoc flumine aurum in magna copia, quod paglola dicitur: & in ripis eius crescit cinamamomum in maxima abundantia.

Moneta ex sale.

Brius Fl. aurifer.

CAPVT XXXIX.

De prouincia Caraiam.

Caraiæ septē regna.

Esētemur Rex.

Iaci ciuit.

Panis ex oriza.

TRaiecto flumine Brio, peruenitur ad prouinciam Caraiam, quæ septem continet regna. Subiecta est autem magno regi Cham, cuius filius, Esentemur nomine, meo tempore regno illi præfuit. Incolæ eius sunt idololatræ. Nutrit regio equos optimos: habet etiam linguam propriam & difficilem. Metropolis eius vocatur Iaci, & est ciuitas magna & insignis, in qua multæ fiunt nundinationes. Habitant etiam ibi pauci Christiani Nestoriani, & plurimi Mahumetani. Habent triticum & risum multum, licet triticeo non vescantur pane, quùm hunc digerere sine stomachi afflictione nequeant, sed ex riso panem conficiunt.

ficiunt. Faciunt quoq; potum ex varijs speciebus, sed qui eos facilius quàm vinum inebriat. Vtuntur pro moneta lapillis quibusdam aureis & albis, qui in mari reperiuntur. Fit in hac ciuitate sal plurimum ex aqua puteorum, de quo rex magnum habet emolumentum. Sunt viri in hac regione adeò stupidi & stolidi, vt non curent, si quispiam accedat vel vxores suas, modò illæ assensum præbuerint. Est etiam illic lacus valde piscosus, centum gyro complectens milliaria, Edunt homines illi carnes crudas, sed hoc modo paratas. Primò terunt illas minutatim, deinde condiunt eas oleis odoriferis atq; optimis speciebus, & sic deuorant.

Moneta è lapillis.

Adulteria licita.

¶ Id institutum Lacones egit. Vide Plutarchum.

CAPVT XL.

De regione quadam in prouincia Caraiam sita, in qua sunt maximi serpentes.

DIscedendo à ciuitate Iaci, peruenitur ad regnum aliud demenso scilicet decem dierum itinere, cuius metropolis dicitur Caraiam, cui præsidet Cogracam, filius Cublai Imperatoris. Et ab hac vrbe tota illa regio denominationem habet. Suppeditant ibi flumina plurimum auri, quod Paglola nominatur. Inuenitur quoq; in lacunis & montibus aurum, sed quod alterius est speciei. Incolæ sunt idololatræ. Nascuntur in hac regione serpentes maximi, quorum quidam in longitudine continent decem passus, & in complexu grossiciei decem palmos. Aliqui ipsorum prioribus carent pedibus, quorum loco vngulas habent in modum vngularum leonis aut falconis. Caput ipsorum est magnum, & oculi prægrandes, vt duorum panum adæquēt quantitatem. Os & rictum habent tam amplum, vt hominem deglutire valeant. Dentes quoq; magni & acerrimi rictui illi tam horrendo non desunt. Nec est homo aliquis, aut aliud animal, quod sine terrore serpentes illos aspicere, ne dicam adire possit. Capiuntur verò in hunc modum. Solet is serpens interdiu latitare in cauernis subterraneis, aut

Cogracam Cobilæ F.

Fluuij auriferi.

Draconũ venatio.

aut alijs ſpecubus in montibus vel petris repertis: nocte verò egreditur, circumiens terram, & potiſsimum aliorum animalium luſtrat latibula, quærens cibum quem deuoret: nec formidat vllius beſtiæ genus: deuorat enim beſtias magnas & paruas, leones & vrſos: & vbi ventrem exaturauerit, redit ad ſpeluncam ſuam. Et quùm terra illa admodum ſit ſabuloſa, mirum eſt quantam foueam corporis ſui pondere in arenam imprimat: putares dolium aliquod vino plenum per ſabulum volutatum. Venatores itaq; beluæ inſidiantes, interdiu figunt multos palos in ſabulum, fortes & acuto ferro in ſuperiore extremitate dentatos, & hos ſabulo tegunt, ne à ſerpente videri poſsint: multoſq; paſsim terræ infigunt, præſertim vbi in vicino norunt beluam latitare Et quando nocte ſolito more progreditur, vt eſcam ſibi quærat, & molem corporis ſui per cedentem arenam reptando & trahendo mouet, fit aliquando, vt pectus in latentem ſudem ferro acuminatam violenter immergat, & ſeipſum interficiat, aut graui læſione ſauciet: & tunc latentes venatores accurrentes belluam interficiunt, ſi adhuc viuit, & fel extrahunt, quod magno vendunt precio: nam eſt medicinale: vnde qui à rabido cane læſus fuerit, ſi vel modicum, quantum eſt pondus vnius denarij, de illo biberit, ſtatim ſanatur. Et mulier in partu laborans ſi vel tantillum de hoc felle guſtauerit, acceleratur partus eius. Sic qui hæmorrhoidam aut ficum anus ſuſtinuerit, & locum illum ſecretum hoc perunxerit felle, poſt paucos dies à morbo liberatur. Carnes verò illius ſerpentis vendunt in cibum: nam libenter veſcuntur ea homines. Abundant quoq; in hac prouincia equis optimis, & qui à negociatoribus in Indiam mercatus gratia ducuntur. Incolæ verò ſolent illis equis auferre de oſſe caudæ nodos duos vel tres, ne equus currens ſeſſorem cauda feriat, & ne caudam nunc huc, nunc illuc flectere poſsit: nam turpe hoc iudicant. Vtuntur in bello ſcutis & armamentis de corio bubalorum factis, & ſagittas atq; lanceas omnes intoxicant. Et priuſquam magnus Cham Cublai hanc prouinciam

Fel.

COBILA

uinciam suæ subiecisset ditioni, præualuerat apud eos ista detestanda consuetudo, vt cùm vir aliquis exteræ nationis bonis adornatus moribus, prudens in verbis ac factis & omni honestate conspicuus apud eos hospitaretur, occidebant eum nocte, putantes quod mores, prudentia, honestas, gratia, imò animi viri illius in domo illa deinceps manerent. Et hæc perfidia, seu discredulitas, effecit vt plures viatores illo loco occisi fuerint. Verùm magnus Cham vt regnum illud suo subiugauit dominio, eliminauit impietatem illam, & summam illam stultitiam. *Impia persuasio.*

CAPVT XLI.

De prouincia Arcladam.

EVntibus nobis de prouincia Caraiam, post quinq; dietas occurrit prouincia Arcladam, quæ etiam paret magno Cham. Metropolis eius vocatur Vnchiam. Vtuntur incolæ eius pondere auri pro moneta: nam argentum in regione illa, & multis alijs circumiacentibus regionibus minimè inuenitur. Qui autem argentum aliunde important, hi commutant illud pro auro, & multum lucrantur. Potu factitio vtuntur, ex riso & aromatibus confecto. Viri & mulieres regionis illius dentes cooperiunt subtilibus laminis aureis, quas sic illis adaptant, vt dentes ipsi in laminis quodammodo sedere videantur. Viri omnes militarem edocti sunt artem, quippe qui soli militiæ & venationi bestiarum atq; volucrum intenti sint. Mulieres verò domus curam gerunt, habentes seruos emptitios, qui eorum mancipati sunt obsequijs. Est quoq; in hac prouincia consuetudo, vt quùm mulier pepererit, quàm citò poterit, lectum deseret, surgensq; gubernationi domus intendit: & tunc maritus eius decumbit lecto quadraginta diebus, nati infantis curam gerens. Mater verò aliud nihil circa infantẽ agit, nisi quòd lac illi sugendum præbet. Et amici atq; consanguinei interim visitant virum illum decumbentem non secus quàm hîc puerperæ visitantur. *Vnchiam ciuit.* *Argenti raritas.* *Opercula aurea dẽtium.* *Viri puerperarum vicem obeuntes.* ☿

Aiunt enim, mulierem, quùm vterum gestaret atq; euacuaret, longo tempore grauiter afflictam, & nunc conueniens esse, vt diebus quadraginta ab infantis cura & labore quiescat: affert tamen viro cibum ad lectum. In hac prouincia idola alia non sunt, nisi quòd quælibet familia progenitorem suum adorat. Habitant plærunq; in locis syluestribus atq; montanis. Ad montes autem illos extranei non accedunt, quia aërem, qui ibi corruptus esse censetur, ferre non possent. Literas non habent, sed contractus suos & obligationes faciunt per tesseras, quarum medietatem seruat vnus, & aliam alius: quæ postea in vnum collatæ, signis conuenientibus adhibitis, rei causam exponunt. Non sunt in hac prouincia medici, sicut nec in Caniclu & Caraiam: sed quùm quis infirmatur, conuocant magos seu idolorum ministros, & illis exponit ægrotus morbum suum: tunc magi choream agunt, instrumenta quædam sonant, & in honorem Deorum suorum magnos reboant cantus, donec tandem vnus ex eis in chorea saltantibus & ludentibus à Dæmone corripiatur. Tunc chorea relicta, arreptitium in terra iacentem consulunt, ex qua causa id morbi illi acciderit, quidq; pro ipsius liberatione sit agendum. At dæmon per arreptitium respondet: Quia id vel illud fecit: aut quia hunc vel illum offendit Deum, ideo in hunc incidit morbum. Tunc magi orant, vt Deus illi noxam illam remittat, promittentes ægrotum illum, si conualuerit, de sanguine suo proprio sacrificium oblaturum. Quod si dæmoni videatur infirmum tali laborare morbo, vt hinc liberari non posit, respondere solet: Iste tam grauiter Deum illum offendit, vt per nulla sacrificia placari posit. Et si à morbo conualiturus sit, iubet vt tot arietes, nigra habentes capita offerat, tot etiam & tales paret potiones, tot ad se conuocet magos, totidemq; magas, per quorum manus sacrificium offeratur, & tum placetur illi Deus. Quo audito, consanguinei eius citò curant illa fieri, quæ dæmon iusit: occidunt arietes, & sanguinem ipsorum in cœlum spargunt, conuocatiq;

Deastri è maioribus

Symbola cōtractuū

Magorum præstigiatrix medicina.

catiq; magi cum sagis suis, accendunt luminaria magna, & domum totam thurificando suffumigant, sed & fumum de lignis aloes faciunt, atq; ius carnium in aëra spargunt vnà cum potione de aromatibus confecta: quibus omnibus ritè peractis, in chorea rursum saltant in honorem illius idoli, quod infirmo putatur propitium factum, cantant & horribiliter vocibus suis strident. His factis, interrogant rursum arreptitium, num per hæc idolum sit placatum. Si respondet, non, confestim parant se ad implendum aliud eius mandatum. Si autem respondet, sibi satisfactum, phanatici & incantatores sedent ad mensam, & carnes idolo immolatas comedunt cum magna lætitia, & bibunt confectiones, quas in dæmonum sacrificio libauerunt. Et finito prandio, quisq; ad sua redit. Et quùm æger ex diuina prouidentia sic morbum euaserit, & incolumitati restitutus fuerit, id cœci homines non vero Deo, sed dæmoni gratum ferunt.

☿ *Idem alicubi apud Hispanos fieri, meminit Strab. lib. 3. apud Tibarenos, Apollonius Argonaut. lib. 2.*

CAPVT XLII.

De prælio magno, quod fuit inter Tartaros & regem Mien.

ANno Domini M. CC. LXXXII. magnum est ortum bellum propter regnum Caraiam, cuius præcedenti capite meminimus, & regnum Botiam: nam misit magnus Cham vnum de principibus suis, Nescordim nomine, cum duodecim equitum millibus, qui prouinciam Caraiam à qualibet tutarentur infestatione. Erat autem dictus Nescordim vir prudens & strenuus, habebatq; sibi adiunctos milites probos & bellicis rebus assuetos. Horum aduentum vt audiuerunt rex Mien & rex * Bangala, perterriti sunt plurimum, putantes quòd ad regna eorum expugnanda venissent. Et conuocantes militias suas, coadunauerunt equites & pedites circiter sexaginta millia, elephantos

Nescordinus, legatus COBILAE.

* Vide cap. 45.

autem

autem duo millia, castra gestantes, & in quolibet castro erant positi duodecim viri armati, aut quindecim, aut sedecim. Cum hoc exercitu properauit rex Mien versus ciuitatem Vociam, vbi quiescebat Tartarorum exercitus, & per dies in campestribus illis quietis mansit. Audiens verò Nescordim, tantũ contra se venisse exercitum, plurimum timuit: tametsi metum illum omninò dissimularet. Roboratus est nonnihil animo, quòd sciret se in suo exercitu habere viros fortes & strenuos bellatores. Egressus itaq; virili animo vt pugnaret contra hostem, castra posuit contra nemus quoddam magnum, quod proceras & maximas habebat arbores, non nescius, quòd elephanti cum turribus seu castris illis portatilibus nemus ingredi minimè valerent. Tunc Mien rex audiens adesse Tartaros, contendit occurrere illis. Tartarorum verò equi elephantos adesse sentientes, quippe qui in prima acie constituti erãt, tanto terrentur pauore, vt nulla vi, aut vllo ingenio potuerint à suis sessoribus contra elephantos excitari. Coguntur igitur Tartari ab equis descendere, illisq; ad nemoris arbores ligatis, pedestres contra elephantos pugnaturi veniunt. Et quoniam in prima acie omnes milites balistas habebant, & sagittis iaciendis assueti erant, tantam sagittarum vim in hostem torquent, vti elephanti vulnerati, & sagittarum ictus minimè ferre valentes, fugam arriperent, omnesq; rapido cursu versus nemus proximum contenderent. Rectores verò eorum quùm summa vi illos in hostem arcere molirentur, incassum laborauerunt: nam dispersi sunt huc atq; illuc, & ingressi nemus portatilia castra ruperunt & armatos viros in illis sedentes deiecerunt. Quod videntes Tartari, currunt ad equos suos, illisq; conscensis cum magno impetu irruunt in acies regis. Hostis verò territus, quòd elephantorum dissipata esset acies, quantum potuit, manu se defendit. Et cùm vtrinq; atrociter pugnarent, atq; multi de vtroq; caderent exercitu, rex Mien cum suis tandem in fugam versus, Tartaris insequentibus, & plurimos adhuc interficientibus, victoriam reliquit.

Eiusdem stratagema.

Victoria.

Quibus

Quibus ſuperatis, Tartari in nemus properant, atq; elephantos capere conantur: verùm illis fugientibus nullum cepiſſent, niſi inter captiuos quidam illis auxilio fuiſſent. Ceperunt autem circiter ducentos. Ab hoc prælio & deinceps cœpit magnus Cham vti elephantis in exercitu, quos prius ad hoc aſſuetos officium non habuit. Paulò pòſt deuicit idem magnus Cham terras regis Mien, ſuoq; ſubiugauit imperio.

CAPVT XLIII.

De regione quadam ſylueſtri, & prouincia Mien.

Recedendo à prouincia Caraiam, peruenitur ad deſcenſum quendã, in quo ferè per tres dies itur in præceps, nec eſt ibi vlla habitatio, etiamſi ſit latiſsima quædam planicies, in quam tribus diebus per hebdomadam multi conueniunt homines mercandi gratia. Deſcendunt multi de *Permutatio auri et argenti.* magnis regionis illius montibus, aurum ſecum deferentes, quod pro argento commutant, nempe vnam auri vnciam pro quinq; argenti vncijs dantes: vnde de exteris nationibus multi illuc veniunt negociatores, qui argentum afferentes aurum aſportant. Ad montes verò illos excelſos, in quibus illi cum magna ſecuritate habitant, qui aurum in regione illa colligunt, nemo extraneorum venire poterit, quùm iter illud inuium ſit & adeò perplexum, vt potius teipſum perderes, quàm abſconditos inuenires homines. Poſthæc venitur ad prouinciam Mien, quæ à meridie confinis eſt Indiæ, & hæc maxima habet loca ſylueſtria & nemoroſa, in quibus innumeri diſcurrunt elephanti, vnicornes, *Monocerotes.* atq; aliæ feræ agreſtes, ſed nulla eſt ibi habitatio humana.

CAPVT XLIIII.

De ciuitate Mien & ſepulchro regis.

Itinere peracto quindecim dierum, peruenitur ad ciuitatem, quæ vocatur Mien, & hæc magna eſt atq; nobilis,

quippe quæ caput est regni, magno subiecta Cham. Habitatores eius linguam propriam habent, & sunt idololatræ. Fuit in hac ciuitate rex prædiues, qui moriturus iussit sibi parare sepulchrum in hunc modum. In quolibet capite seu angulo monumenti fieri iussit turrim vnā marmoream altitudinis decem passuum, spissitudine iuxta proportionem altitudinis seruata. In cacumine verò turres illæ rotundæ fieri iubebantur, atq; vnam earum vndiq; auro cooperiri. Super cacumen verò turris multæ suspendi debebant aureæ campanulæ, quæ ad flatum venti sonum quendam redderent. Alia autem turris argento debebat operiri, habens in sua summitate campanulas argenteas, quæ similiter tinnitum ederent flante vento. Hoc sepulchrum fieri iussit pro honore nominis sui, & vt memoria sua apud homines nunquam interiret. Et quùm magnus Cham sibi subijceret hanc prouinciam Mien, noluit vt exercitus violaret sepulchrum illud, quod rex ille fecerat ad honorem nominis sui: nam est mos Tartarorum, vt non præsumant violare ea, quæ spectant ad pietatem defunctorum. Sunt in hac prouincia multi elephantes, boues syluestres magni & pulchri, cerui & damulæ, aliaq; diuersarum specierum animalia syluestria.

Regis Miensis mausoleum.

Tartarorũ in mortuos pietas.

CAPVT XLV.

De prouincia Bangala.

BAngala (a) prouincia à meridie confinis est Indiæ, quam magnus Cham nondum subegerat, quùm ego in curia illius versarer, sed ad expugnandum exercitum miserat. Habet regio regem proprium atq; propriam linguam. Incolæ eius sunt omnes idololatræ: vescuntur carne, riso & lacte: habent bombycem in magna copia, & gratia illius multæ & magnæ fiunt ibi nundinationes, abundant etiam spico, galaga, zinzibere, saccato & alijs diuersis aromatibus. Sunt quoq; ibi maximi boues, qui crassitudine, sed non altitudine elephantos æquant. Fiunt in hac prouincia multi

Bombyx.

Boues elephanti magnitudine.

multi eunuchi, qui postea negociatoribus venduntur, distrahendi in diuersas prouincias. *Eunuchi.*

(a) Alijs est Bangella, Ptolemæo lib. 7. cap. 2. Baracura. Vide Vartomanum lib. 6. cap. 13. & seq.

CAPVT XLVI.

De prouincia Cangigu.

POst memoratam prouinciam Orientem versus sequitur prouincia Cangigu, quæ proprium habet regem, atq; propriam linguam. Incolæ eius idola colunt, & sunt tributarij magno Cham. Rex eorum habet circiter trecentas vxores. Inuenitur in ista prouincia aurum multum, & multa aromata, sed quæ non facilè distrahi possunt, quùm regio ipsa longè dissita sit à mari. Sunt quoq; in ea elephanti multi, & venationes multarum ferarum. Incolæ eius viuunt de carnibus, lacte & riso. Vino carent, sed de riso & aromatibus potum conficiunt bonum. Solent tam viri quàm mulieres pingere acubus facies suas, colla, manus, ventres & crura, facientes imagines leonum, draconum, & auium, adeoq; eas impressas firmant, vt non facilè aboleri possint; & quo quis plures huiusmodi habuerit imagines, eo pulchrior æstimatur. *Regis πολυγαμία.* *Incolæ cupidi.*

CAPVT XLVII.

De prouincia Amu.

AMu prouincia ad Orientalem sita plagam, magno subiecta est Cham, cuius incolæ idola colunt, habentq; linguam propriam. Abundant gregibus animalium, habentq; copiam victualium, & equos multos, eosq; optimos, quos negociatores in Indiam ducunt. Habent quoq; bubalos multos & boues, quia sunt illic pascua delicata. Tam viri quàm mulieres gestant in brachijs monilia aurea & argentea magni valoris.

CAPVT XLVIII.

De prouincia Tholoman.

PRouincia Tholoman diſtat ad Orientem ab Amu itinere dierum octo, ſubiecta magno Cham, habens linguā propriam, & idola colens. Viri & mulieres eius ſunt elegantis formæ: tametſi bruno ſint colore. Terra cultiſsima eſt, caſtra & ciuitates habens multas & fortes. Viri in armis ſunt exercitati, & ad bella aſſueti. Mortuorum ſuorum corpora comburunt, & oſsium reliquias capſæ includentes, in cauernas montium recondunt, ne vel ab homine, vel à beſtia tangi poſsint. Aurum eſt ibi in magna copia, & loco monetæ vtuntur auri glebis in mari repertis.

CAPVT XLIX.

De prouincia Gingui.

*Forſan Tingui, ab eiuſdem nominis ciuitate, de qua cap. 57.

A Prouincia Tholoman ducit iter verſus Orientem ad prouinciam * Gingui, iturq; duodecim diebus iuxta fluuium quendam, donec perueniatur ad ciuitatem grandem Sinulgu. Subiecta eſt regio magno Cham, & ſunt incolæ eius idololatriæ addicti. Parantur in hac prouincia panni elegantes de corticibus arborum, quibus æſtate induuntur. Sunt in ea plurimi leones, vt etiam præ timore eorum nullus audeat noctu extra domus dormire: nam quoſcunq; inueniunt, lacerant atq; deuorant. Naues, quæ aſcendunt & deſcendunt per flumen, propter leonum metum ad ripam non ligantur, ſed in medio fluminis ancoris eiectis retinentur, alioquin leones noctu naues ingrederentur, & quicquid viuum in eis reperirent, deuorarent.

Pāni è corticibus.

Canes leonē ſiſtentes.

Et licet leones illi ſint magni & feroces, ſunt tamen in eadem regione canes tam audaces & fortes, vt non vereantur leones inuadere. Et ſæpè fit, vt duo canes & vir ſagittarius equo inſidens leonem ſternant: nam cùm canes leonem adeſſe ſentiunt, magno latratu eum inuadunt: præſertim quando ſciunt ſe hominis auxilio fultos: non deſi-

nunt

nunt mordere leonem in partibus posterioribus atq; cauda: & licet leo sæpè rictum illis minetur, huc illucq; se vertens, vt illos dilaceret, tamen canibus magna cautela sibi prouidentibus, non facilè ab eo læduntur, præsertim cùm insequens eques tunc leoni iaculum infigere studeat, quando canes trucidare conatur. Fugit tamen leo, metuens ne propter canum latratum alij quoq; canes & homines prouocentur in eum; & cùm arborem apprehendere potest, ilico confugit ad eam, & ceu tuto fortalicio ea fruitur à tergo, versoq; rictu contra canes, tota vi sese tutatur contra illos. Vir autem eques appropians non cessat iaculari leonem, donec interficiat: nec aduertit leo iaculantis ictus, donec ruat: vsq; adeò faciunt canes illi negocium. Abundat regio ista serico, quod per mercatores ad diuersas portatur prouincias.

♃ Vide non dissimilem apud Curtium locum lib. 10. Meminit etiam Sabellicus Ennead. 10. lib. 8. pag. 766. Indiam canes habere tanta magnitudine, vt ne Leones quidem eis viribus pares sint.

CAPVT L.

De ciuitatibus Cacausu, Canglu & Ciangli.

Recedendo à prouincia Gingui plures passim occurrũt ciuitates & castra: & vbi absolueris iter quatuor dierum, offert sese Cacausu nobilissima ciuitas, quæ prouinciæ Cathai annumeratur, sita ad meridiem, & serico abundans, vnde preciosi fiunt panni atq; sindones, auro illis intertexto. Ab hac ciuitate tres numerantur dietæ versus meridiem ad ciuitatem aliam magnam, Canglu nomine, quæ sale abundat: nam est terra illa salsissima, & ex ea eliciunt sal hoc pacto. Congerunt terram in modum collis, & superfundentes aquam, quæ salsuginem terræ attrahat, eam iterum sub congesto colle hauriunt, & tam diu iuxta ignem coquunt, donec in salis coaguletur den- *Sal Canglensis.*

 sitatem.

sitatem. Vltra ciuitatem Canglu itinere quinq; dierum est ciuitas alia Ciangli nomine, per cuius medium transit fluuius magnus, nauibus mercibus oneratis cómodissimus: nam est illic emporium insigne.

CAPVT LI.

De ciuitatibus Tadinfu & Singuimatu.

VLterius procedendo post dietas sex versus meridiem peruenitur ad ciuitatem magnam Tadinfu, quæ regem ꝓprium habuit, priusquã subijceretur magno Cham: & habet quadraginta ciuitates iurisdictioni suæ subditas, quæ omnes elegantissima habent viridaria. Rursum eundo versus meridiem, absolutis tribus dietis, peruenitur ad aliam insignem ciuitatem Singuimatu nomine, ad quam à meridie magnus quidam currit fluuius, qui à loci incolis in duos diuisus riuos partim ad Orientem versus Mangi, & partim ad Occidentem versus Cathai fluit. Per hos riuos innumeræ nauiculæ cum mercibus adducuntur. A Singuimatu si versus meridiem duodecim dietis contendas, continuè occurrunt ciuitates & oppida, in quibus nundinationes multæ fiunt. Incolæ harum regionum sunt idololatræ, magno Cham subiecti.

CAPVT LII.

De fluuio magno Caromoran, & ciuitatibus Conigangui & Caigui.

PRiore continuato itinere peruenitur ad flumen magnum, Caromoran nomine, quod ex regno presbyteri Ioannis fluere dicitur. Occupat in latitudine spacium vnius milliaris: profunditas verò eius est tanta, vt oneratæ naues per ipsum ascendere & descendere queant: abundat etiam piscibus. Haud longè ab ostio huius fluminis, vbi scilicet ruit in Oceanum, sunt circiter quindecim millia

nauium, quas illic instructas habet magnus Cham, vt si necessitate ingruente nauigandum sit ad insulas maris, exercitus per paratas naues facilè adduci posit. Harum nauium plurimæ sunt tam magnæ, vt quindecim ferre posint equos, ac eorum sessores, cum victu & pabulo illis & istis necessario. Nautæ verò circiter viginti sunt in qualibet naui. Porrò iuxta stationem illarum nauium duæ sunt ciuitates iuxta fluminis sitæ ripam, quarum vna dicitur Conigangui & alia * Caigui. Traiecto verò illo flumine, mox venitur ad nobilissimam prouinciam Mangi, cuius præconium explicabitur in sequentibus capitibus.

* De his infrà cap. 55. & 60.

CAPVT LIII.

De prouincia Mangi, & pietate atq; iustitia regis.

HAbuit prouincia Mangi (a) regem quendam, Facfur nomine, diuitem & potentem, quo præter magnum Cham nullus in regionibus illis maior inueniebatur. Regnum eius fortissimum erat, & inexpugnabile putabatur, vt nemo ipsum inuadere præsumpserit. Vnde factum est, vt tam rex quàm populus bellorum & armorum vsum & exercitium amitterent. Erant singulæ ciuitates foueis atq; fossatis latissimis aquæ redundantibus cinctæ. Carebant equis, quia neminem timebant. Hincq; factum est, vt rex genio plus æquo indulgens, delicijs frueretur continuis. Alebat domi circiter mille domicellos, & aliud satellitium magnum & honorificum habuit. Fouebat tamen iusticiam, conseruabat pacem, & diligebat misericordiam. Nemo audebat proximum offendere & fraternam pacem interturbare, alioquin pœnam luisset. Tanta erat in regno illo concordia, vt artifices sæpè noctu dimitterent officinas suas apertas, & tamen nemo præsumeret intrare. Viatores & peregrini tutissimi per totum illud regnum ambulabant die ac nocte, nullum metuentes hominem. Erat quoq; rex ipse pius & misericors in pauperes, & non

Pacati & iusti imperij effigies.

deserebat

Respectus ad afflictos. deserebat eos, qui necessitate premebantur, aut penuria laborabant. Colligebat præterea singulis annis pueros & infantes à matribus suis abiectos, aliquando circiter viginti millia, & eos sumptibus suis nutriri faciebat: nam in regione illa pauperes mulieres communiter à se abdicant atq; abijciunt proprios natos, vt ab alijs collecti enutriantur. Rex tamen infantes, quos sic colligi iubet, tradit diuitibus quibusq;, quos in regno suo habet: præsertim illis, qui liberis carent, & vt in adoptionis suscipiant filios mandat. Eos verò quos ipse nutrit, matrimonio tradit puellis eiusdem conditionis, quas scilicet in pueritia à parentibus reiectas colligi fecit, & commodum suppeditat victum vnde viuant. *Expositi-tiorũ multitudo.*

(a) Hanc ad Sinarum regionem pertinere volunt. Infrà cap. 63. vt populosissimam celebrat. Et cap. seq. à COBILA in nouem regna distributam, ait. Ibidem ciuitates eius numerat 1200. Quod ad ipsum auctoris itinerarium attinet, tractat sequenti libri huius expositione tantùm duo regna, quod liquet è cap. vlt. Iam & illud indicandum erat, alios Sinas à morum elegantia, litteratura & artis typographicæ ante multas ætates notitia & vsu celebrare. Vide Goësium.

CAPVT LIIII.

Quomodo Baian, princeps exercitus magni Cham, expugnauit prouinciam Mangi.

COBILA proferendi imperij cupidus. ANno ab incarnatione Domini M. CC. LXVIII. magnus Cham Cublai inhians prouinciæ Mangi, hoc modo eam expugnauit, atq; suo subiecit imperio. Misit exercitum maximum ex equitibus & peditibus conflatum, illiq; ducem præfecit Baian Chinsan, quod sonat, lumina centum oculorum, quasi Baian centum habens oculos. Hic itaq; cum exercitu suo ad prouinciam Mangi perueniens, primo obsedit *Baian alter Argus.*

obsedit ciuitatem Conigangui, & vt imperatori suo obœdientiam policerentur, postulauit. Quibus id recusantibus, recessit, nulla ciuitati illata iniuria: atq; idem requisiuit à secunda ciuitate. Qua similiter recusante, processit ad tertiam,& deinde ad quartam &quintam,& ab omnibus simile accepit responsum. Sextam verò aggressus est ciuitatem cùm audacia multa: & hac vi expugnata, contra alias processit, breuiq; tempore duodecim obtinuit ciuitates: nam habuit in exercitu viros strenuos & fortes, optimosq; bellatores. Ad hoc misit magnus Cham post illum exercitum alium grandem priore non infirmiorem: sicq; factum est, vt contremuerint corda virorum Mangi, atq; dissoluerentur. Baian verò mouit exercitum contra metropolim Quinsai, vbi curia erat regis Mangi. Rex itaq; Mangi videns Tartarorum audaciam & fortitudinem, vehementer expauit, conscensaq; naui, cum maximo comitatu ad insulas quasdam inexpugnabiles se recepit, habens secum circiter mille naues, committens reginæ custodiam ciuitatis Quinsai, atq; magnum in eam collocans præsidiū. Regina verò virilem induens animum prudenter se gessit, atq; nihil eorum omisit, quæ od ciuitatis defensionem necessaria videbantur. Et quùm audiret ducem exercitus Tartarorum vocari Baian Chinsan, id est, centum oculi, plurimum territa est, elanguitq; virtus eius: præsertim quùm audisset ab astrologis suis atq; Magis, ciuitatē Quinsai à nullo expugnandam, quàm ab eo, qui centum haberet oculos. Et quoniam contra naturam esse videbatur, vt quisquam hominum centum haberet oculos, & ducis ipsius nomen præsagio quadraret, fato nolens repugnare, vocato duce exercitus Tartarorum, tradit illi liberè ciuitatem & regnum. Quo audito, totius regni ciues & incolæ ad magni Cham defecerunt obedientiam, excepta ciuitate vna, Sianfu nomine, quæ per triennium ad deditionem cogi non potuit. Regina verò migrauit ad curiam magni Cham, maximoq; ab illo suscepta est honore. Vir autem eius rex Mangi in insulis perseuerans, residuum vitæ suæ in illis consumpsit.

Quinsai regia.

Facfuris regis fuga

Regina agit viriliter.

Terretur Magorum & astrologorū prædictionib9

Dedit se hosti.

Habetur honorificè

CAPVT LV.

De ciuitate Conigangui.

Ciuitas prima, quæ prouinciam Mangi ingredientibus occurrit, vocatur Conigangui, & est magna, insignis, atq; opibus pollens, iuxta flumen Caromoram sita. Sunt ibi naues in maxima multitudine. Fit etiam ibi sal in magna copia, vt quadraginta ciuitatibus sufficiat, de quo magnus Cham magnum habet emolumentum. Incolæ huius ciuitatis, & omnium circumiacentium locorum idololatræ sunt, & comburunt corpora mortuorum.

Sal Coniganguensis.

CAPVT LVI.

De ciuitatibus Panchi & Cain.

Sirochus.

Vltra ciuitatẽ Conigangui versus Sirochum ventum itinere vnius diei, est ciuitas Panchi grandis & insignis in qua mercatura magna exercetur: & est in ea serici atq; victualium magna copia. Recipitur per eam regionẽ moneta magni Cham. Porrò, via quæ ducit à ciuitate Conigangui ad ciuitatem Panchi, pulchris est constrata lapidibus, ad dextram & ad sinistram fluentis decurrentibus: nec aliunde patet accessus in prouinciam Mangi, nisi per viam istam. Ab ista ciuitate Panchi ad ciuitatem Cain est iter vnius diei: & hæc quoq; insignis est ciuitas, abundans piscibus & venatione bestiarum atq; auium: præsertim phasiani in maxima ibi inueniuntur copia.

Fasiani.

CAPVT LVII.

De ciuitate Tingui.

Procedendo hinc per iter vnius diei, peruenitur ad ciuitatem Tingui, quæ tametsi magna non sit, habet tamen victualium maximam copiam. Sunt ibi etiam plurimæ naues: nam haud longè ab Oceano est sita: & intermedio spacio salinæ sunt plurimæ, positaq; est iuxta illas memorata

Salinæ.

rata

rata ciuitas Tingui. Recedendo verò ab hac ciuitate itinere, vnius diei versus Sirochum occurrit pulchra ciuitas, in pulcherrima sita regione, sub cuius præfectura sunt aliæ ciuitates multæ, numero viginti septem. Et ego Marcus iussione magni Cham tribus annis in hac ciuitate egi præfectum.

Auctor de se.

CAPVT LVIII.

Quomodo ciuitas Sianfu cum machinis fuit capta.

AD Occidentalem plagam est regio quædam Nauigui nomine, opulenta & amœna, in qua multi fiunt panni ex auro & serico, & vbi magna frumenti est copia. Ciuitas præcipua illius regionis * Sianfu vocatur, habetq; duodecim alias ciuitates sibi subiectas. Hæc ciuitas tribus annis obsessa expugnari non potuit ab exercitu Tartarorum, quùm subiugaretur prouincia Mangi: nam vndiq; cingitur aquis & lacubus, vt nulla ex parte adiri potuerit, quàm ab Aquilone. Interea verò quo à Tartaris obsidebatur, continuè accedebant & recedebant naues, victualium copiam adducentes: quod non parum affligebat magnum Cham. Illo enim tempore ego & pater meus atq; patruus fuimus in imperatoris aula: vnde accedentes eum, consuluimus & indicauimus illi, si nobis obtemperaret, quo pacto vrbs breui capi atq; expugnari posset, machinis scilicet quibusdam, quarum vsus in regione illa non fuit. Quo assentiente, parari fecimus per fabros lignarios Christianos, quos nobiscum habuimus, tres machinas seu catapultas tantæ magnitudinis, vt quælibet earum excuteret lapidem trecentarum librarum: quas nauibus impositas misit rex ad exercitum suum. Erigentes igitur eas ante ciuitatem Sianfu, proijcere cœperunt lapides grandes in ciuitatem: & primus cadens super domum quandam, impetu suo illam pro maiore parte confregit. Quod videntes Tartari, ciuitatē obsidentes, plurimum obstupuerunt.

Nauigui regio.

** alijs Sian, & collocatur in Chersoneso aurea.*

¶ Suprà cap. 54.

Auctor cũ patre docent modũ expugnãdæ vrbis.

Hi verò qui intra ciuitatem erant, videntes tantum illis ab hoste imminere periculum, vt etiam intra mœnia, & in domibus suis tuti non essent, magno concussi sunt terrore: & ne ciuitas tota lapidum iactu destrueretur, & homines quoq; opprimerentur, deditionē fecerunt, magniq; Cham se subdiderunt obedientiæ.

CAPVT LIX.

De ciuitate Singui, & flumine quodam magno.

A ciuitate Sianfu quindecim numerantur milliaria ad ciuitatem quandam, Singui nomine, quæ tametsi magna non sit, habet tamen maximam nauium multitudinem, ad ripam sita maximi fluuij, quo maior in orbe non putatur, nomine Quiam: nam latitudo eius in quibusdam locis habet milliaria decem, in alijs octo, & in quibusdam sex. Longitudo verò eius patet itinere centum dierum. Fluitant in hoc amne naues sine numero. Putares in toto mundo tot naues non reperiri. Est autem in hac vrbe emporium celebratissimum, & magna vis mercium per fluuium adducitur. Sunt & aliæ ciuitates plurimæ, numero circiter ducentæ ad ripam huius fluuij extructæ: nam fluit per terminos sedecim prouinciarum: nec est vlla earum, quæ non quinq; millia nauium habeat. Maiores verò harum regionum naues sunt singulæ vno coopertæ solario: nec habet vlla nauis plures quàm vnum malum pro velo expandendo. Canabeis funibus non vtuntur, nisi pro malo & velo: sed pilorchas, seu chordas faciunt de arundinibus magnis, quibus naues quandoq; per flumen trahuntur. Scindunt autem arundines illas magnas, quæ quindecim in longitudine continent passus, & scissuras colligantes & contorquentes, funes longissimos faciunt, vt quidam longitudinem contineant trecentorum passuum. Et sunt pilorchæ illæ fortiores funibus canabeis.

Quian fl.

¶ Meminit suprà cap. 35. Videtur autē Ganges esse.

Arūdines 15. passus longæ.

¶ Vide suprà ca. 36. & Chalcocond. li. 3. pag. 84. a.

CA-

CAPVT LX.

De ciuitate Caigui.

CAigui ciuitas quædam parua eſt, ſupra memoratum fluuium verſus Sirochum ſita, & creſcit in agro eius tanta vis bladi & riſi, vt inde ad curiam magni Cham deuehatur: nam ſunt inter vtrunq; locum multi lacus & fluuij, qui induſtria magni Cham in vnum ferè contracti riuum, nauibus ituris & redituris congruam præbent ſemitam: tametſi aliquando naues ſint exonerandæ, & frumenta per terram portanda, donec ad alium perueniatur lacum, vbi rurſum in naues recipiantur & vlterius deducantur. Iuxta ciuitatem Caigui inſula quædam eſt in medio fluminis ſita, in qua monaſterium eſt monachis plenum, qui idolis ſeruiunt: & eſt monaſterium illud caput omnium monaſteriorum, quæ idolorum ſeruitio ſunt conſecrata.

COBILAE ſolertia, in coniungendis lacubꝰ & fluminibus.

Monaſterium idolatricum cæterorũ princeps.

CAPVT LXI.

De ciuitate Cingianfu.

CIngianfu ciuitas eſt in prouincia Mangi ſita, in qua opera multa fiunt ex auro & ſerico. Sunt in ea eccleſiæ Chriſtianorum Neſtorianorum, quas ædificauit Marſarcis Neſtorianus, qui à magno Cham in ciuitate illa præſulatum obtinuit, anno ſcilicet Domini M. CC. LXXXVIII.

Marſarcis, Neſtorianorum Præſul.

CAPVT LXII.

De ciuitate Cingingui, & interfectione ciuium eius.

POſt receſſum à ciuitate Cingianfu itinere trium dierum peruenitur ad ciuitatem Cingingui, occurrentibus in itinere multis ciuitatibus & oppidis, in quibus mercantiæ fiunt, & artificia multa exercentur. Eſt autem Cingingui ciuitas magna & opulenta, omnibus abundans victualibus. Quùm Baian, dux militiæ Tartarorum, expugnaret prouin-

Baian.

¶ Suprà cap. 54.

 ciam

Alani Christiani ciam Mangi,misit multos Christianos, qui dicebantur Alani, contra hanc ciuitatem,qui tam acriter eam impugnare cœperunt, donec ciues eius deditionem liberam fecerunt. Ingressi igitur ciuitatem, neminem læserunt, quùm sponte magni Cham dominio se subiecissent. Inuenientes autẽ in ea ciuitate vinum optimum, idq; in magna copia,bibere *Ebrietas exitij causa.* cœperunt tam largiter,donec omnes inebriati sunt: & nocte mox insequenti omnes sopore pressi,nullam constituerunt custodiam. Quod videntes ciues, qui prius illos in pace susceperunt, subitò irruentes in dormientes, omnes *Vltio perfidiæ.* interfecerunt nullo euadente. Baian verò hoc audiens,misit alium exercitum magnum contra ciues illos, qui breui ciuitatem expugnans, in vindictam proditionis & infidelitatis omnes interfecit, nullo superstite relicto.

CAPVT LXIII.

De ciuitate Singui.

Singui ciuitas magna (a) & egregia continet in circuitu milliaria circiter sexaginta. Est in ea magna populi multitudo, sicut & tota prouincia Mangi populosissima est, *Medici & Philosophi Singuẽses.* sed nõ bellicosa: verùm habet mercatores & artifices multos: habet quoq; medicos complures, atq; philosophos. *Pontium multitudo* In ciuitate Singui sunt pontes lapidei circiter sex millia, tam altos habentes fornices, vt magnæ naues sine mali inclinatione transire possint. Crescit in montibus huius ciuitatis reubarbarum & Zinziber in maxima copia. Habet hæc ciuitas sub sua iurisdictione sedecim ciuitates, in quibus multæ fiunt mercantiæ, atq; plurima exercentur artificia. Ciues eius indumentis sericis vtuntur, nec non plurimi panni ex serico ibi parantur. *Singuis significatum & nobilitas.* Porrò vocabulum Singui lingua eorum sonat ciuitatem terræ, sicut etiam aliam habent vrbem, quam vocant Quinsai, id est ciuitas cœli, quòd hæ duæ vrbes nobilissimæ sint in partibus orientis.

(a) Ergo diuersa est ab ea,de qua suprà cap 59. Hanc enim paruam appellauit.

CA-

CAPVT LXIIII.

De nobili ciuitate Quinsai.

DIstat ab vrbe Singui quinq; dierum spacio alia vrbs insignis nomine Quinsai, quod sonat ciuitatem cœli: & est tam magna, vt maior in orbe non putetur. Et ego Marcus fui in hac ciuitate, & omnia diligenter lustraui, aduertens consuetudines eius & mores populi: & quæ illic viderim, breuiter & fideliter referam. Continet circuitus huius vrbis in gyro milliaria circiter centum: pontes verò lapideos habet duodecim millia, eosq; tam altos, vt naues magnæ erecto malo pertransire possint. Fundus autem ciuitatis est in loco paludinoso ferè vt Venetiæ: vnde si carerent pontibus, de vico ad vicum perueniri non posset. Habet artifices innumeros, atq; plurimos mercatores, vt incredibile putaretur, si numerum illorum recenserem. Magistri artifices nō operantur, sed habent ministros, quos ad hoc instituunt. Homines ciuitatis in magnis viuunt delicijs & præsertim mulieres, vnde & cæteris formosiores apparent. Versus meridiem est lacus magnus intra mœnia vrbis, qui triginta milliaria in circuitu suo continet, habens in littore plurimas domos nobilium, foris & intus ornatas. Sunt quoq; ibi delubra idolorum. In medio verò lacus sunt duæ paruæ insulæ, & in qualibet est elegantissimum castrum seu palatium, in quibus continentur præparamenta & vasa quæq; necessaria pro nuptijs & solennibus conuiuijs. Nam quicunq; ciues insignia volunt celebrare cōuiuia, illuc inuitatos ducunt, & cum honore suscipiunt. In hac ciuitate Quinsai sunt pulcherrimæ & elegantissimæ domus. Sunt quoq; per vicos plurimæ publicæ turres, in quas tempore conflagrationis vicini quiq; res suas portāt atq; ab incendio saluant: nam habet vrbs plurimas ligneas domos, & non rarò fit, vt ignis aliquas earum absumat. Ciues eius adorant idola: comedunt carnes equorum, canum & aliorum immundorum animalium: moneta vtuntur magni Cham. Collocauit magnus Cham in hanc vrbem

Quinsai significatum & magnitudo.

Auctor de se.

Vrbis pōtes.

Situs.

Artificum & mercatorū multitudo.

Luxus.

Palatia nuptiarū & conuiuiorum festiuitati destinata.

Turres ad incēdiorū necessitates.

maximam

Præsidiũ militare. maximam custodiam, quo rebellio caueatur, atq; furta & homicidia arceantur: in quolibet enim ponte interdiu & noctu decem habentur custodes. Est mons quidam intra mœnia huius vrbis, qui sustinet turrim, in cuius cacumine sunt tabulæ ligneæ, quæ in hunc vsum illic seruantur, vt quàmprimum ignis in vrbe conflagauerit, custodes malleo percutiant eas tabulas, cuius sonitu, qui per totam auditur vrbẽ, excitati ciues concurrunt, & ignem restinguunt. Pulsantur etiam hæ tabulæ, quando in vrbe tumultus aliquis & populi commotio nascitur. Omnes plateæ ciuitatis lapidibus sunt constratæ, vnde fit vt mundissima sit. *Thermæ.* Inueniuntur etiam in ea circiter tria millia thermarum, quibus homines pro abluendis corporibus vtuntur: nam hoc vnum gens illa studet, vt sit munda corpore. Distat hæc vrbs Orientem versus ab Oceano viginti quinq; milliaribus, *Canfu.* vbi in littore maris sita est ciuitas Canfu, portus commodissimus, ad quem locum infinitæ conueniunt naues ex India & alijs regionibus. A Quinsai verò transit fluuius ad portum illum, per quem magna vis mercium adducitur. *Mangẽsis prouinciæ nouem regna.* Prouincia Mangi, quùm sit latissima, diuisit eam magnus Cham in nouem regna, cuilibet proprium assignando regem. Et hi reges omnes sunt potentes, sed magno Cham subiecti, cui etiam singulis annis de omnibus regnorum prouentibus aliquid soluunt, & rationem reddunt. Et vnus illorum moratur in vrbe Quinsai, habetq; sub sua ditione centum & quadraginta ciuitates. Habet *Ciuitates.* autem vniuersa prouincia Mangi mille & ducentas ciuitates, & in singula posita sunt à magno Cham præsidia, ne *Præsidia.* rebellare audeant. Sunt verò custodes illi colluuies quædam multarum gentium, & stipendiarij vndecunq; conducti, ex diuersis exercitibus magni Cham delecti. Est in re- *γενεθλιαλογία.* gione illa, & præsertim prouincia Mangi, diligens obseruatio motuum cœlestium, vt etiam cuiuslibet nascentis pueri horoscopum accuratissimè obseruent, aduertentes diem & horam natiuitatis, & quis planetarum tunc dominium principale habuerit: his enim reguntur astrologorũ

indicijs

indicijs in cunctis factis & itineribus suis. Est etiam consuetudo in hac prouincia, quùm quis moritur, consanguinei eius canabeis induti saccis, extinctum corpus cum magno cantu efferunt, & pingunt in chartis imagines seruorum, ancillarum, equorum & denariorum, & ea omnia comburunt cum cadauere, credentes quòd defunctus his omnibus in alia vita fruiturus sit, atq; tale habiturus satellitium, quod illi obsequatur. Postea pulsant varia instrumenta musica, dicentes quòd dij sui cum tali honore & pompa eos suscipiunt, qualis illis in combustura ab amicis & propinquis exhibetur. In hac ciuitate Quinsai est palatium quoddā magnificum, in quo Facfur, prouinciæ Mangi olim rex, curiam suam habuit. Extremus murus, qui castrum illud per quadrum cingit, continet in suo ambitu milliaria decem, habetq; competentem altitudinem. Intra hunc murum sunt viridaria pulcherrima cum fructibus delicatissimis. Sunt quoq; ibi fontes & viuaria piscibus redundantia. In medio verò est palatium illud regium amplissimum quidem & pulcherrimum, quale vix in toto orbe inuenitur, habens viginti aulas æqualis magnitudinis, in quibus singulis decem millia hominum simul discumbere possunt. Sunt etiam omnes istæ aulæ regio more pictæ & ornatæ. Cæterum familiæ, qualem pater cum filijs, vxore & reliqua familia constituit, putantur esse in vrbe Quinsai sexcenta millia. Vna solùm in ea est Ecclesia Christianorum Nestorianorum. Est etiam consuetudo in hac vrbe & tota prouincia Mangi, vt quilibet paterfamilias scribat super ostium domus suæ nomen suum, & nomina vxoris atq; totius familiæ suæ, sed & numerum equorum suorum. Et quùm aliquis moritur ex familia sua, aut quùm domicilium mutat, delet nomen mortui aut discedentis, & adscribit nomen recenter nati, aut in familiam suam cooptati: & per hunc modum absq; magna difficultate sciri potest numerus hominum totius ciuitatis. Similiter hospites & tabernarij scribunt in tabulis, ante ostium expositis,

Ritus funerum.

Facfur R. ¶ *Suprà cap. 53.*

Regia.

Numerus familiarũ Quinsaę.

Christiani

Indices domesticorũ & equorũ.

positis, nomina viatorum & hospitum, qui ad diuersoria ipsorum declinauerint, & quo mense atq; die ingressi sint.

CAPVT LXV.

De prouentibus, qui magno Cham in vrbe Quinsai & prouincia Mangi penduntur.

Vectigal salis. EXigit magnus Cham singulis annis de sale, quod paratur in vrbe Quinsai & terminis eius, myriades octoginta aureorum. De rebus etiam alijs, præsertim mercibus, tantam recipit vim pecuniæ, vt vix numerari possit. Habet prouincia maximam copiam saccari, & aliarum multarum specierum aromaticarum. Recipit autem magnus Cham de centum mensuris aromatum tres & dimidiam. *Aromatū.* Idem facit de reliquis mercatorum bonis. De vino quoq;, quod ex riso & aromatibus conficiunt, non paruum habet emolumentum. Similiter ab artificibus, præsertim duodecim generum, habet commodum suum. De serico autem, cuius in prouincia Mangi maxima est copia, *Serici.* de centum vlnis decem exigit. Ego Marcus semel audiui computum fieri singulorum redditUum, qui magno Cham penduntur annuatim in regno Quinsai, quod est nona pars prouinciæ Mangi: ascenditq; summa omnium, sale tamen excepto, ad quindecim millia millium aureorum, atq; sexcenta millia. *Sũma fructuũ regni Quins. 15600000*

CAPVT LXVI.

De ciuitate Tampingui.

PRogrediendo à ciuitate Quinsai, & eundo versus Sirochum, continuè inueniuntur viridaria pulchra & optimè culta, donec vnius diei itinere expleto, perueniatur ad ciuitatem Tampingui insignem & pulcherrimam. Vltra hanc ciuitatem tribus diebus versus Sirochum eundo, inueniuntur

ueniuntur ciuitates & castra in maximo numero, vt è longinquo conspecta viatori quasi vna vrbs magna esse videatur: tanta vicinitate sunt coniuncta. Est ibi victualium magna copia. Crescunt ibi quoq; maximæ arundines, longitudinis quindecim passuum: in circumferentia verò continent quatuor palmos. Procedendo vltrà, triduiq; confecto itinere, occurrit Gengui, ciuitas grandis & pulchra, vltra quam per Sirochum eundo plurimæ aliæ viatori sese offerunt ciuitates & castra. Sunt etiam in ea regione multi leones, magni & feroces. At verueces nulli reperiuntur in ea, sicut nec in prouincia Mangi, sed boum, caprearum, hircorum & porcorum ibi magna est copia. Itinere quatuor dierum consummato, occurrit alia insignis ciuitas, Ciangiam nomine, in monte sita, qui mons fluuium quendam in duas secat partes, quæ paulo post in oppositas tendunt plagas. Vlterius procedendo itinere trium dierum, inuenitur ciuitas Cugui, quæ vltima est in regno ciuitatis Quinsai.

Gengui. *Ciangia.* *Cugui.*

CAPVT LXVII.
De regno Fugui.

RElicta à tergo ciuitate Cugui, patet ingressus in regnum Fugui, in quod si pedem moueris, itinere sex dierum eundum est per montes & valles, multis tamen occurrentibus ciuitatibus & castris. Habet regio illa copiam victualium: habet etiam venationes plurimas bestiarũ & volucrum: habet deniq; plurimos leones. Crescit ibi Zinziber in magna copia: crescit quoq; flos quidam haud dissimilis croco, alterius tamen speciei, sed qui croci præstat vsum. Comeduntur in hac regióne humanæ carnes cum magna voluptate, dummodo homines illi non morbo aliquo occubuerint. Quando ad bellum procedunt, quilibet ferro calido inurit sibi in fronte signum, nec vllus eorum equum ducit ad bellum, præter ducem exercitus. Vtuntur lanceis & spatis: & quos in bello peri-

Zinziber. *ἀνθρωποφαγία.*

munt, eorum bibunt sanguinem, & comedunt carnes: nam sunt homines crudelissimi.

CAPVT LXVIII.
De ciuitatibus Quelinfu & Vnquen.

ITinere sex illorum dierum completo, de quo iam diximus, peruenitur ad ciuitatem Quelinfu nomine, quæ magna est & celebris, sita super fluuium quendam, qui iuxta ciuitatis mœnia labens tres habet lapideos pontes, marmoreis supernè ornatos columnis. Hi pontes in latitudine continent octo passus, & in longitudine mille. Abundat in illa ciuitate sericum, zinziber & galanga. Viros & mulieres habet eximiæ pulchritudinis. Inueniuntur ibi gallinæ, quæ loco pennarum pilos habent vt catti, nigri scilicet coloris, sed oua edunt optima. Et quoniam regio illa plena est leonibus, periculosum est per eam ambulare. Ab hac ciuitate spacio quindecim milliarium est alia ciuitas Vnquen nomine, vbi saccarum in maxima crescit copia, & hinc portatur ad curiam magni Cham, quæ scilicet est in ciuitate Cambalu.

Gallinæ loco pennarum pilos habentes.

CAPVT LXIX.
De ciuitate Fugui.

PRocedendo vltrà per milliaria quindecim, occurrit ciuitas Fugui, quæ metropolis & caput est in regno Concha, quod vnum è nouem illis est regnis, in quæ prouincia Mangi est taxata. Moratur magnus exercitus magni Cham in hac vrbe, ad tuendum prouinciam & ciuitates eius, & ad reprimendum factiosos homines, qui parati sunt rebellionem mouere contra imperatorem. Transit per medium huius ciuitatis ingens quidam fluuius, cuius riuus in latitudine vnum occupat milliare. Et quoniam vrbs ista parum distat à mari Oceano, est ibi insigne emporium, ad quod ex India portantur plurimæ margaritæ, & alij

Concha regni Mangensis prouincia.

Margarita.

alij lapides preciosi. Est quoq; in ea vrbe maxima saccari copia, & victualium sufficientium. *Saccarum*

CAPVT LXX.

De ciuitatibus Zarten & Figui.

TRaiecto memorato fluuio, itur quinq; dierum itinere versus ciuitatem Zarten, & nullibi non occurrunt vel ciuitates vel castra. Abundat regio illa victualibus, habet montes & nemora: ex nemorum arboribus colligitur pix. Ciuitas verò Zarten grandis est valde, habetq; portum optimum, ad quem naues Indianæ mercibus onustæ veniunt sine numero: est enim illic vnum de maioribus emporijs, quæ in mundo inueniuntur: nam piper & aromata, quæ Alexandria ad partes mittit Christianorum, hæc ab illo emporio Alexandriam deferuntur. Penditur magnoCham in hac vrbe vectigal immensum: nam nulla adducitur nauis, à qua non habeat maximum commodum: parum enim abest, quin cuiuslibet speciei aromaticæ media pars illi sit soluenda. Est etiam in hac regione ciuitas quædam, Figui nomine, quæ celebris habetur in partibus illis, ob pulchras scutellas quæ in ea fiunt. Habet quoq; ipsa prouincia linguam propriam. Hæc tandem de prouincia Mangi dicta sufficiant: & licet de nouem eius regnis duo duntaxat explicuerimus, consultò tamen alia præterimus, stylum ad Indiam torquentes, in qua aliquanto fuimus tempore, & plurima, quæ in ea inueniuntur mirabilia, coràm positi vidimus, atq; vt ita dicam, manibus, contrectauimus.

Piper & aromata Alexand.

Vectigal iniquissimum.

MARCI PAVLI VENETI DE ORIENTALIbus regionibus, Liber tertius.

CAPVT I.

Quales naues in India ſint.

Argumẽtum huius libri.

IN HOC TERTIO LIBRO INDIAE regionem deſcripturi, à nauibus eius exordium faciemus. Maiores naues, quibus Indi per mare vtuntur, vt plurimum de abiegnis factæ ſunt lignis, habentq; ſolarium vnum, quod noſtrates nautæ operimentum vocant, ſupra quod circiter quadraginta ſunt manſiunculæ, pro mercatoribus paratæ. Habet nauis vna vnum gubernaculum, quatuor malos & totidem vela. Tabulæ clauis ferreis firmiſsimè compactæ ſunt, & fiſſuræ quæq; ſtupa obfirmatæ. Et quoniam pice in his regionibus carent, linunt naues ſuas oleo cuiuſdam arboris calce mixtum. Sunt in magnis nauibus circiter ducenti viri, qui eam remis per mare ducant. Capit verò nauis vna quaſi ſex millia ſportarum piperis. Adhærent quoq; his magnis nauibus aliæ nauiculæ, quæ piſcationi & ancoris iaciendis inſeruiunt.

Piciſ defectus.

CAPVT II.

De inſula Zipangri.

* Veteribus eſt Chryſe, hodie alio nomine Iapan

ZIpangri * inſula in alto mari ſita, diſtat à littore Mangi per mille milliaria atq; quingenta, & eſt magna valde. Habitatores eius albi ſunt, & decentis ſtaturæ, idola colentes, & proprium habentes regem, nulli tributarij. Eſt ibi aurum in maxima copia, ſed rex non ſinit illud extra inſulam facilè portari: & hæc cauſa eſt, quòd pauci mercatores ad illam concedunt prouinciam. Rex inſulæ palatium

Aurũ Zipangrẽſe.

palatium habet magnificum,cuius tectum aureis operitur bracteis, non secus quàm apud nos magnæ domus plumbo vel cupro operiuntur. Superficies quoq; superior aularũ & conclauium aureis laminis dicitur tecta. Inueniuntur illic margaritæ in magna copia, rotundæ & crassæ rubei coloris, quæ albos in precio & valore longe præcellunt. Sunt quoq; ibi alij lapides preciosi, qui vnà cum auro insulam ditissimam reddunt.

Palatium aureis bracteis tectũ

Margaritæ rubræ.

CAPVT III.

Qualiter magnus Cham misso exercitu contendit pro insula Zipangri expugnanda.

MAgnus Cham Cublai quùm audisset insulam Zipangri tantis pollere diuitijs, cògitare cœpit, quomodo eam suo subiugaret dominio. Missis igitur duobus ducibus, quorum vnus Abbatan, & alter Nonsachum vocabatur, duos magnos exercitus destinauit, qui eam expugnarent. Hi itaq; à portu Zarten & Quinsai soluentes cum multis nauibus, & magno equitum atq; peditum apparatu, nauigauerunt versus insulam Zipangri, & ingressi in eam multa damna intulerunt villis & castris in planicie sitis. Et antequam subiugarent insulam, ortum est inter eos perniciosum dissidium, vt neuter alterius obtemperaret voluntati & consilio: quo factum est, vt in nulla re prosperum haberent successum. Nec vrbem aliquam, aut vllum castrum præter vnum expugnare potuerunt. Expugnato autem illo vnico castro, omnes qui ad custodiam eius à rege Zipangri deputati erant, iussi sunt à duce exercitus gladio feriri: inter quos octo fuerunt, qui lapides quosdam preciosos in brachijs ligatos gestabant, tam efficacibus diabolicis inauguratos incantationibus, vt nullo modo vulnerari aut occidi ferro potuerint, quandiu illos lapides secum portarent. Et consilio adinuento, ligneo fuste percussi, interierunt.

COBILA

Abbatan & Nonsachum ductores regij.

Discordia rei infeliciter gestæ causa.

Fascinum

CA-

CAPVT IIII.

Franguntur naues Tartarorum, & multi ſubmerguntur.

ACcidit verò quadam die, vt magna in mari oborta tempeſtate, Tartarorum naues graui colliſione ad terram & ripam maris quaſſarentur. Et conſulentibus nautis, elongantur naues à terra, in quibus vterq; Tartarorum erat exercitus, ſed procellis maris vehementius ſæuientibus, franguntur plurimæ naues, & quidam ſubmerguntur, ſed plures correptis tabulis & lignis ad inſulam quandam paruam, à qua haud longè aberant, quæq; non multum diſtabat ab inſula Ziprangi, natando peruenerunt. Alij verò quorum naues integræ manſerunt, ad propria redierunt. Porrò eorum qui fractis nauibus incolumes ad inſulam peruenerunt, fuerunt circiter triginta millia. Et quoniam naues non habebant, quibus hinc diſcederent, nec victualia illis inſula ſuppeditaret, quippe quæ ab hominibus non habitabatur, nihil præter mortem expectabant.

30000. naufragi è Charybdi in Scyllam

CAPVT V.

Qualiter Tartari mortis euadunt periculum, & in Zipangri inſulam redeunt.

MAris verò tempeſtate ſedata, habitatores inſulæ Zipangri cum multis nauibus & grandi exercitu venerunt contra inermes Tartaros in inſula, ad quam natando appulerunt, vagantes, eoſq; in vniuerſum trucidare moliuntur, quippe qui omni auxilio deſtituti erant. Relictis itaq; in littore nauibus, terram ingrediuntur, hoſtem quæſituri. At illi prudenter aſpectum Zipangriorum fugientes, deliteſcunt haud longè à littore maris, tantiſper expectantes, donec illi in terram effuſi, à nauibus ſeſe elongauerunt: & ſubitò prorumpentes, naues apprehendunt, & ingreſſi eas, ab inſula ſalui recedunt, dimiſſis Zipangrijs in

¶ Sic ars deluditur arte.

in insula. Et rectà contendentes ad insulam Zipangri, acceptis hostium vexillis, quæ in nauibus inuenerunt, processerunt ad principaliorem insulæ ciuitatem. Cuius habitatores vt viderunt suæ gentis vexilla, existimabant suos cum victoria reuerti, & egressi illis obuiam, hostem incautè in ciuitatem intromittunt. Qua potiti, omnes qui in ea fuerunt, præter paucas mulieres expulerunt.

CAPVT VI.

Quomodo Tartari ab obtenta ciuitate iterum excluduntur.

REx verò Zipangri his auditis, mox alias conducit naues, & exercitum in insula conclusum reducit, atq; obsidet ciuitatem, quam occupârunt Tartari, tantaq; diligentia omnes ciuitatis introitus & exitus custodit, vt nullus ad hostem ingredi nec vllus egredi valuerit. Id enim in primis cauendum ducebat, ne inclusi Tartari magno Cham, principi suo, quod acciderat, indicare possent, alioquin de insula actum fuisset. Manet itaq; hostis inclusus & obsessus septem mensibus: & videntes se omni auxilio destitutos, restituunt regi Zipangri ciuitatem, liberiq; & salui ad propria redierunt. Et hæc gesta sunt anno Domini M. CC. LXXXIX.

Rex Zipãgrensis obsidet Tartaros.

Extorquet hosti deditionẽ.

CAPVT VII.

De idololatria & crudelitate virorum Zipangri.

COlunt viri Zipangrij varia idola, quorum quædam habent caput bouis, quædam caput porci, & quædam caput canis atq; aliorum diuersorum animalium. Sunt etiam quædam quæ habent quatuor facies in vno capite: alia tria capita, vnum super collum, & duo alia super vtrunq; humerum. Sunt rursus quædam, quæ habent quatuor manus, alia viginti, alia centum. Et quod plures habuerit manus,

Monstrosa idola.

Traditio maiorum. maioris putatur veritatis. Et cùm incolæ interrogantur, vnde hanc habeant traditionem, respondere solent, se patres suos in hoc imitari, nec aliud credere debere, quàm quod ab illis acceperunt. *Immanitas in exteros.* Est etiam hæc consuetudo apud Zipangrios, quando hominem extraneum capiunt, si ille potest se pecunia redimere, dimittunt eum: si autem precium non habet, quo se liberet, occidunt illum & coctum deuorant, conuocantes ad conuiuium illud consanguineos & amicos quosq;. *¶ Idem de Dragoien sibus infrà cap 17.*

CAPVT VIII.

De varijs insulis regionis illius, atq; fructibus earum.

IN littore maris Oceani, in quod desinit ab Oriente prouincia Mangi, circa insulam Ziprangi plurimæ inueniuntur paruæ insulæ, quæ à nautis numeratæ, putantur esse septem millia qradringentæ & quadraginta octo, quarum maior pars ab hominibus habitatur. *7448. paruæ insulæ* Nec est vlla, in qua non crescant arbores odoriferæ atq; virgulta suauem spirantia odorem. Inueniuntur ibi aromata in maxima copia. Verùm negociatores extranei illuc non veniunt, nisi habitatores Mangi, qui hyeme ad insulas nauigant, & æstate iterum redeunt. Nam flant in regione illa duo tantum venti oppositi, vnus hyeme, & alter æstate. Et quoniam in insulis illis non fui, nihil de illis scribere statui, sed stylum reducam ad portum Zarten, vt inde ad alias transeam regiones.

CAPVT IX.

De prouincia Ciamba.

Hæc itidē ad Sinarum pertinet regionē. SOluentes à portu Zarten, & nauigantes versus Garbinisum, peruenerunt ad prouinciam * Ciamba, quæ mille & quinquaginta milliaribus distat ab eo portu: & est magna valde, abundans opibus, idola colens, atq; propriā habens linguam.

linguam. Anno incarnationis Dominicæ M.CC.LXVIII. misit magnus Cham ducem quendam, Sagatu nomine, cum valido exercitu, vt prouinciam illam sibi subiugaret. Sed quum in prouinciam venisset, vidit ciuitates adeò munitas, & castra tam fortia esse, vt nulla vi illa posset expugnare. Combussit tamen villas, & incidebat arbores, tantaq; prouinciæ intulit damna, vt rex eius libens magno Cham tributarius fieret, modò dux ille ex prouincia recederet. Inierunt autem fœdus tale, vt rex Ciamba annuatim viginti pulcherrimos elephantos pro tributo magno penderet Cham. Et ego Marcus fui in hac prouincia, cuius rex tunc tantam habuit vxorum multitudinem, vt illi essent nati trecenti & viginti sex filij atq; filiæ, quorum centum quinquaginta iam arma ferre poterant. In hac regione plurimi sunt elephanti, & lignum alces in ea abundat. Inueniuntur etiam ibi nemora de lignis ebani.

Ciamben-se bellum.

Tributum

Auctor de se.

Regis πολυγαμία ϗ πολυτεκνία.

Hebanũ.

CAPVT X.
De Insula Iaua.

RElicta prouincia Ciamba nauigatur versus meridiem mille & quingentis milliaribus vsq; ad insulam magnam Iaua nomine, quæ in circuitu suo patet tribus millibus milliarium. Habet regem qui nemini est tributarius. ¶ Ibi est maxima copia piperis, nucum muscatarum, spici, galangæ, & cæterorum aromatum. Conueniunt illuc multi negociatores: nam multa lucrantur ex allatis speciebus. Incolæ insulæ idolatræ sunt: nec potuit magnus Cham hactenus eam suæ subijcere ditioni.

Iaua maior.

Piper.

Nux myristica.

¶ *Vide Vartomanum lib. 6. cap. 27. & seq. qui Gyauam nominat, item Itinerarium Monteuillani Angli.*

CAPVT XI.
De prouincia Boëach.

NAuigando ab insula Iaua, numerantur septingenta milliaria ad duas insulas, Sondur & Condur dictas: à qui-

Sondur. Condur.

quibus vltrà procedendo inter meridiẽ & Garbinum, sunt quingenta milliaria ad prouinciam Boëach, quæ amplissima & ditissima est. Regem habet proprium & propriam linguam. Adorant idola. Producit hæc prouincia vrsos domesticos, magnos vt leones, itemq; elephantos habet multos, & aurum copiosum. Vtuntur incolæ pro moneta glebis quibusdam aureis. Pauci sunt, qui ex alienis regionibus prouinciam hanc adeant, adeò inhumani sunt habitatores eius.

CAPVT XII.

De insula Petan.

Recedendo à prouincia Boëach, nauigatur per milliaria quingenta versus meridiem ad insulam Petan, quæ maiorem in partem syluestris & nemorosa est. Arbores eius odoriferæ sunt, & magnam præstant vtilitatem. Inter prouinciam Boëach & Petan per milliaria sexaginta mare adeò est vndosum, vt nautæ cogantur leuare gubernacula. Nam profunditas eius vix est quatuor passuum. Hinc venitur ad regnum Maletur, vbi maxima est copia aromatum: & habent incolæ eius propriam linguam.

Syrtes.

CAPVT XIII.

De insula quæ Iaua minor vocatur.

Iauæ minoris octo regna.

Vltra insulam Petan, per Sirochum nauigando, est Iaua minor, centum distans milliaribus à Petan: & hæc in circuitu continere dicitur circiter duo millia milliarium. Diuiditur insula in octo regna, habetq; linguam ꝓpriam. Producit etiam varia aromata, qualia in his nostris partibus nunquam visa sunt. Incolæ eius idola colunt. Protenditur hæc insula in tantum ad Austrum, vt polus arcticus, & stellæ eius minimè videri possent. Ego Marcus fui in hac insula, lustrauiq; sex eius regna, nempe regnum Ferlech, Basman, Samara, Dragoiam, Lambri & Fansur. In alijs verò duobus non fui.

Arctici poli depressio.

Auctor de se.

CA-

CAPVT XIIII.

De regno Ferlech.

Habitatores regni Ferlech, qui montana occupant, nullam habent legem, sed bestialiter viuentes, quicquid illis manè primo occurrit adorant, comeduntq; carnes omnium animalium mundorum & immundorum, atq; carnes humanas. Qui verò in maritimis habitant locis, Mahumeti sunt addicti legi, quam ex Sarracenis negociatoribus, illuc diuertentibus, didicerunt. *Adoratio rei occurrentis.*

CAPVT XV.

De regno Basman.

Habet regnum Basman linguam propriam, viuuntq; incolæ eius bestialiter. Agnoscunt magnum Cham pro domino, sed tributa ei non soluunt, nisi quòd interdum illi mittunt munera de feris syluestribus. Inueniuntur apud eos elephanti & vnicornes in magna multitudine. *Monocerotes.* Et sunt vnicornes paulo minores elephantis, pilum habentes bubali, & elephanti pedem. Habent caput vt aper, & more porcorum libenter morantur in luto, & alijs im̄undicijs. In medio frontis gestant cornu vnum, grossum & nigrum. Linguam habent spinosam, & hac lædunt homines & animalia. Abundat quoq; regio ipsa diuersis simijs magnis & paruis, hominibus similimis. *Simiæ hominibus similes.* Hos capiunt venatores, & totos depilant, nisi quod in barba & in loco secreto pilos relinquunt, & occisos speciebus aromaticis condiunt, & postea desiccant, venduntq; negociatoribus, qui per diuersas orbis partes corpora illa deferentes, homines persuadent tales homunciones in maris insulis reperiri.

CAPVT XVI.

De regno Samara.

IN regno Samara fui ego Marcus cum socijs meis quinq; mensibus, non sine magno tædio tempus expectans nauigationi aptum. Nam incolæ eius bestialiter viuentes, carnibus humanis edendis sunt assueti. Quapropter consortium eorum spernentes, castra lignea nobis haud longè à mari extruximus cum propugnaculis, in quibus tuti essemus contra incolas. In hoc regno nec vrsa minor nec maior, quam vulgò currum magnum vocant, apparet, vsq; adeò insula illa vergit in Austrum. Incolæ idola colunt. Sunt ibi optimi pisces, & in magna copia. Triticum verò illic non crescit, sed de riso panes conficiunt. Vineas quoq; non habent, sed potum ex arboribus hoc modo eliciunt. Sunt in ea insula arbores multæ & paruæ, habentes singulæ ramos quatuor, quos certo anni tempore incidentes, colligunt stillantem liquorem, qui tam largiter ex incisura profluit, vt per diem & noctem vrceum plenum colligant ex vno ramo. Quo euacuato, rursum adhibent ramo vrceum, & id tam diu frequentant, donec stillicidium illud desierit. Et hæc est vindemia eorum. Prouocant quoq; arborem ad largiora fluenta per aquarum rigationes, quas fundunt ad arboris radices, quando tardius cœperit emittere lachrymam. Sed is liquor non est tam sapidus, vt ille qui suapte fluit natura. Mittit quoq; hæc regio nuces Indicas in magna copia.

ἀνθρωποφαγία.

Potus ex arborum succo.

¶ Infrà cap. 19. & 22.

Nuces Indicæ.

CAPVT XVII.

De regno Dragoiam.

HAbet quoq; regnum Dragoiam homines syluestres, qui idola colunt, & linguam atq; regem proprium habent. Apud hos talis est consuetudo, quando quis grauiter infirmatur, propinqui & consanguinei eius conuocant magos & incantatores, illosq; interrogant, an ægrotus sit sanitatem recuperaturus. Et illi respondent id, quod dæmonum suggestione didicerint: Si dixerint, infirmum non posse liberari, quin illa ægritudine intereat, adsunt

Impietas in ægrotantes.

Z

adsunt qui infirmo os concludunt, ne respirare possit, ac sic occidunt, priusquã ab infirmitate extinguatur, & carnes eius incidunt, coquunt atq; deuorãt, & id potissimum faciunt propinqui & consanguinei infirmi simul congregati. Aiunt enim, si carnes illius putrescerent, conuerterentur in vermes, & illi tandem fame morerentur, de quo defuncti anima grauissimas passura esset pœnas. Porrò ossa in cauernis montium sepeliunt, ne ab homine seu bestia contingantur. Et quando hominem extraneæ nationis capiunt, si ille se pecunia non potest redimere, occidunt eum & comedunt.

Cum his conueniunt, quæ tradidit Mela. lib. 2. cap. 1. de Scythis Essedonibus, Strabo lib. 11. de Derbicibus, Procopius lib. 2. de bello Gotth. de Herulis.

CAPVT XVIII.

De regno Lambri.

Est aliud regnum in memorata insula, quod Lambri vocatur, in quo multa crescunt aromata, præsertim habentur ibi birci in maxima copia, quos posteaquam creuerunt, transplantant, & tribus annis in terra dimittentes, iterum cum radicibus euellunt. De illis bircis ego Marcus quosdam mecum in Italiam portaui, curauiq; seminandos, sed destituti calidiori regione, non creuerunt. Regni huius incolæ idololatræ sunt. Inueniuntur etiam quidam in hoc regno, qui caudas habent vt canes, longitudinis vnius palmi, & hi in ciuitatibus non habitant, sed in montibus. Habet quoq; hæc terra vnicornes & alia multa atq; diuersa animalia.

Birci.

Homines canina cauda.

CAPVT XIX.

De regno Fanfur.

IN regno Fanfur nascitur optima Camphora, quæ auro adæquatur. Incolæ huius regni panem de riso faciunt: nam

Camphora.

nam tritico carent. Potum ex arboribus eliciunt, vt iam suprà diximus. Sunt in regione ista arbores quædam crassæ, quæ habent corticem subtilem, sub quo inuenitur farina quædam optima, ex qua delicata præparant cibaria, quæ aliquoties non sine voluptate comedi.

Farina arborum.

CAPVT XX.

De insula Necuram.

AB insula Iaua numerantur per mare centum quinquaginta milliaria ad duas insulas Necuram & Anganiam. Populus autem insulæ Necuram valde bestialiter viuit. Regem non habet. Tam viri quàm fœminæ nudi incedunt, nulla corporis parte tecta. Habent nemora plena arboribus sandalorum rubeorum, nucum Indicarum & gariophyllorum. Habet quoq; copiam bircorum & diuersorum aromatum.

Gymni.

CAPVT XXI.

De insula Angania.

INsula Angania magna est, & incolæ eius bestialiter viuentes crudelissimi sunt & syluestres. Idola colunt; riso, lacte, & carnibus viuunt. Carnem quoq; humanam non abominantur. Sunt homines deformes: nam habent caput quasi caninum, & dentes atq; oculos canibus similes. Est in ea insula omnium aromatum mira copia. Sunt etiam ibi varij & diuersi arborum fructus.

Cynocephali.

CAPVT XXII.

De insula magna Seilam.

A memorata insula versus Carbinum, mille numerantur milliaria ad insulam Seilam, quæ vna putatur de melioribus mundi insulis, habens in gyro milliaria duo millia & quadraginta. Fuit tamen aliquando maior: nam vt fama

fama in illis partibus est, comprehendit olim in circuitu tria millia & sexcenta milliaria: sed vento impetuoso ab Aquilone multis annis irruente, mare tam importunè illisit ad littora, vt etiam temporis successu montes ruerent in mare, & plurima terra indies ab eo obsorberetur. Habet insula ditissimum regem, qui nulli tributarius est. Incolæ idololatræ sunt, & omnes nudi incedunt, nisi quòd obscœna loca panno quodam operiunt. Nullum habent bladum præter risum, de quo viuunt & de lacte. Habent copiam seminum sosimæ, de quibus oleum faciunt. Potum ex arboribus eliciunt, iuxta modum paulo superius expressum. Mittit hæc insula multos lapides preciosos, præsertim rubinos, sapphiros, topasios, amethystos, & alios nobiles lapides. Habet rex insulæ rubinum, quo preciosior in orbe non putatur esse. Nam habet longitudinem vnius palmi, & crassitudinem trium digitorum. Rutilat vt ignis ardens, omni carens macula. Obtulit magnus Cham insignem ciuitatem quandam illi regi pro hoc lapide: verùm recusauit rex, saltem eo nomine, quod à prædecessoribus suis illum habuerit. Homines huius insulæ bello nō sunt assueti: sed quùm belligerandum est, conducunt stipendiarios, præsertim Sarracenos.

Insula decrescens. *Gemmarū copia.* *Rubinus regius.*

CAPVT XXIII.

De regno Maabar, quod est in India maiori.

VLtra insulam Seilam spatio sexaginta milliarium, est prouincia Maabar, quæ & India maior appellatur, terra continens, non insula. Sunt in ea quinq; reges, & est ditissima. In primo eius regno, nomine Var, regnat Senderba, inueniunturq; ibi margaritæ in maxima multitudine. Nam est ibi inter continentem & insulam quandam sinus maris fermè vadosus, quippe qui in aliquibus locis profunditatem habet decem passuum, in quibusdam trium, & duorum, vbi leguntur margaritæ. Conueniunt illic multi

Maabar, India maior. *Var regnum.* *Senderba rex.*

mercatores, adducentes multas naues, magnas & paruas, & conducunt homines, qui in profundum maris se demittant, piscenturq; marinas conchas, ex quibus vniones colligantur. Porrò piscatores illi, quando aquam amplius ferre nequeunt, enatant, & rursus se præcipites dant in mare, quòd per diem multis replicant vicibus. Sunt etiam in sinu illo grandes pisces, qui homines facilè occiderent, nisi huic periculo succurreretur in hunc modum. Conducuntur à negociatoribus Magi quidam, qui Abraiamim dicuntur, & hi incantationibus suis & diabolica arte coniurant pisces illos, vt neminem lædere possint. Nocte verò quando à negociatoribus margaritarum piscatio intermittitur, relaxant Magi coniurationem suam, ne fures nocte sine periculo sese in mare demittant, & sustollant conchas cum margaritis. Porrò præter incantatores Abraiamim, nemo est qui illius coniurationis sciat verba. Et fit hæc vnionum piscatio nō per totum annum, sed duntaxat per Aprilem & Maium: verùm in tantillo tempore colligitur immensa margaritarum multitudo. Soluunt autem mercatores ex eis regi decimam partem, Magis verò tribuunt vigesimam partē, & piscatoribus quoq; commodam præbent mercedem. Cæterum à medio Maij margaritæ non inueniuntur amplius in illo loco, sed in alio quodam, qui trecentis milliaribus ab isto distat, & ibi colliguntur per Septembrem & Octobrem. Incedunt incolæ huius prouinciæ semper nudi, nisi quòd panniculo verenda contegunt. Rex quoq; ipse vt alij nudus incedit, deferens in collo torquem aureum, sapphiris, smaragdis, rubinis, & alijs preciosis lapidibus oneratam. Pendet quoq; in collo eius chorda quædam serica, cui innectuntur centum & quatuor preciosi lapides, margaritæ scilicet grandiusculæ, quæ eum admoneant centum & quatuor orationum, quas cotidie in honorem deorum suorum manè & vesperi obmurmurat. Gestat quoq; in vtroq; brachio & vtroq; crure tres aureos circulos, quibus preciosi inclusi sunt lapides. Ornantur deniq; digiti manuum & pedum eius

Vnionum captura.

¶ *Quomodo & vbi inueniantur margaritæ Plinius lib. 9. cap. 35.*

De ijsdem decimæ & vigesimæ.

Gymni.

Des Königes Rosenkrantz / oder Pater noster.

eius lapillis quibusdam preciosissimis, auro etiam inclusis. Habet circiter quingentas vxores, & iam nouissimè vni ex fratribus suis abstulit vxorem, fratre iniuriam dissimulante. *πολυγαμία.*

CAPVT XXIIII.

De regno Var, & varijs erroribus incolarum eius.

SVnt habitatores regni Var omnes idololatræ, multiq; eorum adorant bouem, vt rem sanctam, nec vllum occidunt. *Apis Indicus.* Quùm autem bos aliquis moritur, perungunt domos suas adipe eius. Sunt tamen quidam inter eos, qui licet boues non occidant, tamen ab alijs occisos comedant. Aiunt, in hac prouincia occisum diuum Thomam Apostolum, corpusq; illius adhuc in quadã conseruari ecclesia. *Thomas apostolus.* Sunt in ea prouincia multi Magi, augurijs & diuinationibus vacantes. *¶ Infrà cap. 27. & 43.* Sunt etiam ibi multa monasteria, in quibus idola coluntur: & his aliqui consecrant filias suas, quas tamen domi conseruant, nisi quando idolorum sacerdotes volunt sua sacra facere, tunc vocant puellas consecratas, & cum illis in conspectu idolorũ choreas ducunt, atq; magnos & inconditos reboant cantus. *Monasteria idolatrica.* Portant etiam hæ puellæ cibos secum, quos in mensa ante idolum ponunt, & interim quo cantant & tripudiant, putant Deos comedere de apposito cibo, & præsertim ius carnium profundunt illis, quo potissimum delectari ab illis putantur. His ceremonijs peractis, puellæ domum redeunt. Seruiunt autem idolis in hunc modum, donec maritatæ fuerint. Seruatur etiam in hac regione hæc cõsuetudo, vt quando rex mortuus ad comburendum ducitur, multi ex militibus eius, qui cum eo viui versati sunt, sponte ad cadauer eius in ignem se conijciunt, putantes in alia vita se ab eo nunquam dissociandos. *Ritus funerum.* Idem faciunt vxores, quùm mariti eorum defuncti comburuntur, sperantes se vxores illorum futuras in alia vita. Et quæ id

non faciunt, nullius pensi apud illos homines habentur. Est etiam alia detestabilis consuetudo in hac regione, vt quùm quis comerente iniquitate sua, publico iudicio condemnari debet, is pro magna gratia ducit, si impetret à rege, vt ad honorem alicuius idoli seipsum iugulet. Nam vbi id sibi à rege concessum fuerit, congregantur ad eum omnes consanguinei eius, & ad collum eius decem aut duodecim acutos ponunt cultellos, ipsumq; in cathedra collocatum circumducunt per ciuitatem, alta voce clamantes: Iste homo pro illius aut illius Dei honore seipsum occisurus est. Et cùm ad locum, vbi malefactores puniuntur, peruentum fuerit, arripiens manu sua vnum è cultellis, alta voce exclamat: Ego meipsum occido pro illius Dei honore: quo dicto, vulnus sibi ipsi infligit: & accipiens aliud ferrum, confodit se etiam cum illo. Et tot quidem vulneribus consauciat corpus suum, donec tandē moriatur, pro quolibet vulnere aliud & aliud sumendo ferrum. Consanguinei verò eius corpus illius cum magna lætitia comburunt. Sunt etiam huius regionis homines tam immundi, vt nullam luxuriæ speciem putent esse peccatum.

Condemnatorum nex spontanea.

ἀσωτία.

CAPVT XXV.

De multis & varijs consuetudinibus regni Var-

EST consuetudo in hac terra, vt tam rex quàm cæteri homines in terra sedere soleant. Et quùm ob hoc ab alijs redarguuntur, respondere solent: De terra nati sumus, & in terram conuertendi, ideo terram honorare volumus. Non sunt assueti ad arma: & quando ad bella procedunt, non induuntur vestibus & armamentis, sed ferunt secum scuta & lanceas. Nullum occidunt animal, sed quando volunt comedere carnes, satagunt vt per homines alterius nationis animalia mactentur. Tam viri quàm mulieres corpora sua bis in die lauant. Et si quis id intermitteret,

Vnde sedendi humi mos?

Lotionum vsus.

mitteret, pro hæretico iudicaretur. Homicidia & furta districtè iudicant. Vini vsus apud eos interdictus est. Et si quis vinum bibisse deprehensus fuerit, pro infami habetur, nec potest in iudicio testimonium dicere. Similiter hi in iudicio pro testimonio ferendo repelluntur, qui in mari nauibus se committere ausi fuerint: nam aiunt, homines illos desperati esse animi. *Nauigatio infamis habita.*

CAPVT XXVI.

De alijs quibusdam conditionibus huius terræ.

NOn producuntur in hoc regno equi, sed rex Var alijq; quatuor reges prouinciæ Maabar annuatim ingentem vim pecuniæ expendunt pro equis. Nam emunt singulis annis circiter decem millia equorum, qui ex regionibus Curmos, Chisi, Durfar, Ser & Eden à negociatoribus adducuntur, vnde maximũ habent emolumentum. Emuntur autem singulis annis alij & alij equi, quia equi in ea regione diu viuere non possunt: nec custodes eorum sciunt, qualiter illis ægrotantibus mederi debeant. Et si quando equæ apud eos pariant, habet fœtus aut retortos pedes, aut alium defectum, vt ad equitandum idoneus esse non posit. Non crescit vllum bladum in hac prouincia, præter risum, vnde equis conueniens pabulum dari non potest, nisi quod carnes coctæ cum riso illis edendæ proponuntur. Est in hac terra maximus calor, ideo incolæ eius nudi incedunt. Nec pluuia ibi descendit, nisi in Iunio, Iulio & Augusto. Et si in his mensibus non plueret, vnde aër refrigerari solet, nemo mortalium illic viuere posset ob intensissimum calorem. Habet regio multiplices & varij generis aues, quæ in partibus nostris minimè inueniuntur. *Equorum defectus.* *Pastus è carne & oriza.* ¶

¶ Nota hic non necessitatis sed insaniæ in equis nutriendis exemplum simile, quod de Theophylacto, Patriarcha Constantinopol. habet Cedrenus pag. 526.

CAPVT XXVII.

De ciuitate, in qua corpus diui Thomæ Apostoli sepultum est.

Thomas Apostol.

IN prouincia Maabar, quæ est India maior, seruatur corpus beati Thomæ Apostoli, qui in illa prouincia pro Christo passus est. Quiescit autem corpus eius in ciuitate quadam *parua, vbi multi sunt Christiani & Sarraceni, debito honore sancti venerantes corpus. Pauci verò illuc contendunt mercatores, quum merces ferè nullæ ad eum perueniant locum. Incolæ regionis illius dicunt Apostolum prophetam magnum fuisse, vocantq; eum Auarijam, hoc est sanctum virum. Et Christiani à longè venientes, & sancti corpus visitantes, asportant secum de terra illa, in qua vir sanctus occisus dicitur, & de ea in potum missa faciunt infirmos bibere, & credunt illos hinc melius habere, atq; à diuersis liberari infirmitatibus. Aiunt anno Domini M. CC. LXXXVII. tale apud eius tumbam factum miraculum. Quùm princeps terræ illius messem risi haberet multam, & locus illi sufficiens non esset ad recondendum risum, vsurpauit sibi domos & ecclesiam diui Thomæ, & in eas inuitis custodibus reposuit risum. Factum autem est, vt paruo post tempore nocte quadam sanctus illi appareret, & manu fuscinulam ferream tenens, & ad guttur eius applicans, minaretur illi exitium, dicens: Nisi domos meas, quas temerè occupasti, citius euacuaueris, mala peribis morte. Et ille euigilans, statim vt edoctus fuerat, ecclesiam Apostoli euacuauit. De qua visione Christiani lætificati, Deo & sancto suo gratias egerunt.

*Nomine Malpuria, vt Chronicon Bergomatis pag. 449. b.

Legenda de eius sepulcro.

CAPVT XXVIII.

De idololatria paganorum illius regni.

OMnes habitatores prouinciæ Maabar tam viri quàm mulieres nigri sunt, sed arte quadam nigredinem illam

iam corporibus illinunt, putantes eximiam nigredinem illis decori esse. Vngunt enim paruulos ter in hebdomada oleo de sosima expresso, & ex hoc fiunt nigerrimi. Et quo quis nigrior inter eos fuerit, hoc pulchrior æstimatur. Idololatræ etiam, qui inter eos sunt, deorum suorum imagines nigerrimas faciunt, dicentes deos nigros esse, & omnes sanctos. Dæmonem verò album pingunt, asserentes dœmones candidi esse coloris. Et quùm hi, qui boues adorant, ad bella procedunt, deferunt secum pilos bouis syluestris, eosq; ligant ad crines equorum suorum, quibus insident: pedites verò ad scuta & crines suos pilos illos ligant, credentes se in bello tutos esse ab omni periculo, nam bouem syluestrem magnæ sanctitatis esse affirmant. *Nigredinis bonor.* *Diaboli albi.*

CAPVT XXIX.

De regno Mursili, in quo adamantes inueniuntur.

VLtra regnum Maabat per mille milliaria est regnum *Mursili, quod nemini est tributarium. Habitatores eius lacte, carnibus & riso vescuntur, atq; idola colunt. In quibusdam huius regni montibus inueniuntur adamantes. Nam cùm pluit, egrediuntur homines ad riuos aquarum, qui de mõtibus descendunt, & in arena multos legunt adamantes. AEstatis quoq; tempore ascendunt montes cum magna difficultate ꝓpter feruentem calorem vndiq; æstuantem, periculo etiam magno sese exponentes, propter magnos serpentes, qui ibi in maxima versantur multitudine, & quærunt in vallibus montium atq; alijs decliuis & retrusis locis adamantes, & quidem fit, vt illos nonnunquã in magna reperiant copia, idq; in hunc modum. Morantur in montibus illis aquilæ albæ, quæ memoratis vescuntur serpentibus: & homines, qui per montes discurrunt, & sæpè ob prærupta saxa & præcipitia montium ad conualles peruenire non possunt, proijciunt in illas frusta recentium carniũ, videntibus aquilis, & hæc deinde ab aquilis sublata, non- *Vide infrà cap. 43.* *Adamantes.* *Albæ aquilæ.*

nonnullos habent adhærentes adamantes, quos homines hoc ingenio venantur. Aduertunt quò quis sublatam portet carnis portionem, & accurrentes abigunt aquilam, & lapillos carni adhærentes colligunt. Quod si aquilæ in valle proiectam comederint carnem, aduertunt lapidum scrutatores locum vbi aquila noctu dormit, & egesta stercora discutientes, eliciunt adamantes, si quos cum carne deuorauit. Reges & nobiles harum regionum emunt pulchriores adamantes pro se, reliquos sinunt in orbem per mercatores dispergi. *Arietum magnitudo.* Abundat prouincia ipsa victualibus, & præsertim tanti sunt in ea arietes, vt maiores in mundo non inueniantur.

CAPVT XXX.

De regno Laë.

Abraiamim. RECedendo à prouincia Maabar Occidentem versus, occurrit prouincia Laë, in qua habitant Abraiamim, qui *¶ Suprà cap. 23.* supra modum horrent mendacium: non ducunt nisi vnam vxorem: raptum & furtum execrantur: vino & carnibus non vtuntur, nullumq; occidunt animal. Idololatræ sunt, & auguria sectantur. Quando quippiam emere volunt, vmbram suam prius in sole considerant, & tunc iuxta errorem suum mercatum absoluunt. Cibo modico vtuntur, & magnas faciunt abstinentias. Vtuntur in cibo herba quadam, quæ plurimum digestionem iuuat. Nunquam per phlebotomiam sanguinem minuunt. *Causa nuditatis.* Nudi incedunt, nullam corporis tegentes partem, dicentes, se minimè erubescere, quod sine peccato sint. Boues adorant, & cum magna reuerentia perungunt se vnguento, quod de ossibus bouinis contritis faciunt. *Folia scutellarum vsum præstantia.* Scutellis, dum comedunt, non vtuntur, sed cibos super arida ponunt folia, decerpta ab arboribus, quæ poma paradisi proferunt, aut super alia folia arida. Super folia recentia non comedunt, nec virides herbas aut fructus comedunt: nam dicunt ista omnia, quùm virent, viuere & animam habere, ideo nolunt ea occidere, ne scilicet grande

grande committant peccatum, si vllam creaturam priuarent vita sua. Super nudam terram dormiunt, & cadauera defunctorum comburunt.

CAPVT XXXI.
De regno Coilum.

DVm descenditur à regno Maabar ad aliam mundi plagam, per milliaria quingenta occurrit regnum * Coilum, in quo sunt Christiani multi & Iudæi atq; pagani. Rex eius nulli tributa pendit. Est quoq; in ea regione lingua propria: & crescit ibi piper in magna copia. Nam nemora campestria arbustis eius plena sunt. Colligitur verò in Maio, Iunio & Iulio. Crescit etiam ibi herba quædam, vnde fit color, quo tinctores vtuntur, vulgò * Eudici dictus: quæ primùm in vasis aqua repletis humectatur, & deinde in sole torrefacta, in minutas diuiditur partes, qualis ad nos deferri solet. Sunt in illa regione tanti calores, vt molestissimum sit illic viuere. Flumina etiam adeò calescunt, vt ouum ad aquam eorum positum, citra magnam moram decoqui possit. Fiunt mercimonia multa in hac regione, propter ingens lucrum, quod negociatores hinc consequuntur. Inueniuntur quoq; ibi animalia multa, cunctis aliarum regionum animalibus dissimilia. Nam inueniuntur illic leones nigri, psittaci seu papagalli albi cum pedibus & rostris rubeis, & gallinæ nostris omninò dissimiles. Hanc diuersitatem putant accidere propter nimium calorem, qui ibi existit. Frumentum nullum ibi præter risum crescit. Potum loco vini faciunt ex saccaro. Habent plurimos astrologos & medicos. Nudi omnes incedunt, viri & mulieres, obscœnis locis panniculo opertis. Vacant supra modum rebus venereis. Adustione solaris caloris nigri fiunt & deformes, sed quod illis elegans esse videtur. Ducunt consanguineas in tertio gradu vxores, similiter nouercam defuncto patre, & ianitricem fratre defuncto: quod etiam per totam Indiam obseruatur.

* Alijs Colon, népe ciuitas & regnum, Ptolem. Curula Indiæ intra Gangem. Vide Lud. Vartóanum. li. 6. cap. 1.

* Isatis, Dioscoridi Glastus.

Æstus.

Leones nigri.

Psittaci albi.

Incolarũ libidines.

Matrimonia.

CAPVT XXXII.

De prouincia Comari.

Polus arcticus. Comari regio est in India, vbi polus arcticus videri potest: ab insula verò Iaua vsq; ad regionem istam videri non potest: quùm omnes intermediæ regiones vltra æquinoctialem sint circulum. Est regio ista valde syluestris, habetq; animalia multa & dissimilia animalibus aliarum regionum, præsertim simias hominis effigiem exprimentes. Discurrunt quoq; illic leones & leopardi in magna copia.

CAPVT XXXIII.

De regno Eli.

EVndo à prouincia Comari versus plagam Occidentalē per trecenta milliaria, peruenitur ad regnum Eli, quod proprium habet regem & propriam linguam. Incolæ eius idola colunt. Rex ditissimus est, habetq; thesauros multos, sed non est potens in populo: licet regio ipsa natura munita sit. Est in ea magna copia piperis, zinziberis, & aliorum nobilium aromatum. *Iniuria in peregrinos.* ¶ Si quando nauis aliqua onerata præter rectorum eius intentionem ad illam prouinciam appulerit, puta tempestate aut alia necessitate id cogente, habitatores eius rapiunt quicquid in naui inuenerint, gubernatoribusq; eius aiunt: Instituebatis ad aliam diuertere prouinciam cum mercibus vestris, sed Deus noster & fortuna vos ad nos direxit, & idcirco accipimus, quod Deus & fortuna nobis miserunt. Sunt in hac regione multi leones & feræ agrestes.

¶ Imò etiam in Byzantino imperio morem fuisse, vt naues tempestatibus in littus eiectæ non modò non adiuuarentur, sed diriperentur, eumq; vsq; ad Andronici Comneni tempora durasse, scripsit Nicetas pag. 38.

CA-

CAPVT XXXIIII.

De regno Melibar.

POst regnum Eli peruenitur ad regnum Melibar, quod in India maiori est ad Occidentalem plagam, & habet regem proprium nulli tributarium, atq; linguam propriam. Incolæ eius idola colunt. Inueniuntur in hoc regno, sicut & in regno Gozurath, illi propinquo, piratæ multi, *Piratæ.* qui singulis annis cum centum nauibus vagantur in mari, & capiunt transeuntes mercatores, atq; bona eorum prædantur. Ducunt secum vxores & filios, & tota æstate versantur in mari, præcludentes mercatoribus semitam, vt non facilè euadere posſint laqueos eorum. Nam cum viginti nauibus occupant in transuersum centum milliarium spatium, quinq; milliarium spatio vni aſsignato naui. Et cùm vident aduentare nauim aliquam mercatorum bonis oneratam, signum faciunt cum fumo, proximiori id indicantes naui, & hæc rursum naui tertiæ sibi collaterali id significat, vnde fit, vt ferè in momento temporis omnium nauium gubernatores sciant adesse nauim, quam diripiant. Concurrunt igitur tot naues quot necessariæ sunt ad prædandum nauem aduentitiam, & hominibus quidem *Ludibria* captis nihil mali inferunt, sed exponunt eos in littus ma- *in spolia-* ris, & rogant eos, vt eant & alias adducant merces, tran- *tos.* seantq; per terminos eorum. Est in hac regione mira abundantia piperis, zinziberis, & Indicarum nucum.

CAPVT XXXV.

De regno Gozurath.

ESt regno Melibar vicinum aliud regnum, quod Gozurath vocatur, habetq; regem & idioma proprium. Et ést hoc regnum in India minori ad plagam Occidentalem. Apparet in hoc regno polus arcticus super Horizontem *Polus arcticus.* sex brachiorum altitudine, hoc est, septem vel octo gradibus cœlestibus. Sunt in hoc regno plurimi piratæ, qui

cùm mercatores ceperint, cogunt eos bibere tamarendos cum aqua maris, & illico fluxum patiuntur ventris. Quod ideò faciunt, quia mercatores, quando à longè vident aduentare piratas, solent deglutire margaritas & lapides preciosiores, ne illis per piratas eripiantur: sed illi horum astutiam non ignorantes, cogunt eos illico egerere glutitos lapides. Est in hac regione copia endici, piperis & zinziberis. Sunt etiam ibi arbores, de quibus bombyx in magna colligitur copia. Hæc arbor crescit sex passibus in altum, & fructum producit per viginti annos, deinde ad nihilum valet vltra. Paratur etiam in hoc regno corium quoddam nobilissimum, & quo vix melius inueniri potest.

Piratarũ astus.

Bombyx.

Corium nobile.

CAPVT XXXVI.

De regnis Tana, Cambaëth & alijs quibusdam.

A prædicto regno itur per mare ad regna Tana, * Cambaëth, Semenath & Resmacoram, ad Occidentalem scilicet sita plagam, in quibus mercimonia multa fiunt. Vnumquodq; autem illorum regnorum habet regem & idioma proprium. De his scribere multa non præualeo, quia sunt in India maiori, quam intactam ferè relinquam, nisi vbi maris littus contingit.

* Haythono cap. 6. Combaëch.

¶ *Nota auctoris institutũ.*

CAPVT XXXVII.

De duabus insulis, in quibus viri & mulieres separatim habitant.

VLtra regnum Resmacoram per quingenta milliaria versus meridiem, in alto mari sunt duæ insulæ triginta milliaribus à se inuicem distantes, in quarum vna morantur viri sine mulieribus, vocaturq; insula masculina: & in alia fœminæ sine viris, & hæc quoq; vocatur insula fœminina. Sunt autem Christiani, & habent inter se ma-

trimonia.

trimonia. Mulieres nunquam veniunt ad insulam virorum, sed viri visitant mulieres, moranturq́; cum illis tribus continuis mensibus, vnusquisq; scilicet cum vxore sua in domo propria. Post hæc reuertuntur ad insulam suam, vbi per residuum anni tempus manent. Et retinent mulieres filios masculos secum vsq; ad decimum quartum annum, postea mittunt eos ad patres. Mulieres aliud nihil agunt, nisi quòd curam habent filiorum, & fructus quosdam legunt. Viri verò laborant, & curam habent, quomodo vxores & filios nutriant. Vacant piscationibus, & infinitos capiunt pisces, quos recentes & desiccatos vendunt negociatoribus, & hinc multum habent lucri. Vescuntur lacte, carnibus, piscibus & riso. Abundat mare illud cetis & magnis piscibus. Viri regem non habent, sed Episcopum suum dominum agnoscunt, subiecti Archiepiscopo de Scoira.

Consuetudo cũ mulieribus trium mẽsium.

¶ Idẽ de Brachmanibus legimus apud Cedrenũ. pag. 126.

Episcopus loco regis.

CAPVT XXXVIII.

De insula Scoira.

PRocedendo vlterius versus meridiẽ per q̃ngenta milliaria, occurrit alia insula Scoira nomine, cuius incolæ Christiani sunt, & habent Archiepiscopum. Exercentur in ea insula multa mercimonia, nam abundat bombyce & piscibus. Præter risum aliud non habent frumentum. Omnes nudi incedunt, & viuunt lacte, carnibus & piscibus. Deferuntur à piratis multa bona ad hanc insulam, quæ rapta illic vendunt. Illi autem scientes non Christianis, sed Sarracenis & idololatris illa ablata, libenter ea emunt. Sunt in hac insula inter Christianos multi incantatores, qui pro libito suo naues in mari reuocare possunt, vt volunt: etiam si prospero nauis vehatur vento, illi arte sua diabolica possunt contrarium excitare ventum, qui nauem etiam inuitam reducat.

Archiepiscopus Scoirensis

Incantationes in nauigantes.

CAPVT XXXIX.

De magna insula Madaigascar.

Recedendo ab insula Scoira, & versus meridiẽ per mille nauigando millïaria, peruenitur ad Madaigascar, quæ inter maiores & ditiores mundi computatur insulas. Continere dicitur in gyro quatuor millia milliarium. Habitatores eius Mahumetani sunt, nullum habentes regem, sed quatuor senioribus per totam insulam parent. Producit hæc insula plurimos elephantos, vt nulla in orbe sit regio, quæ plures illa habeat. Est in ea, sicut & in alia insula, quæ Cuziber vocatur, magna eboris nundinatio. Nam in toto orbe nõ putatur maior esse elephantinorum dentium copia, quàm in his duabus insulis. Non comeduntur in hac insula aliæ quàm camelorum carnes, quùm illæ saniores incolis sint. Est autem illorum animalium maxima & penè infinita multitudo in hac insula. Sunt præterea in hac insula multa nemora sandalorum rubeorum, quorum gratia multæ ibi fiunt mercantiæ. In mari verò cete grandia capiuntur, ex quibꝰ ambrum colligitur. Sunt ibi leones, leopardi, cerui, damulæ & capreæ multæ, aliarumq; bestiarum & auium multiplex venatio. Inueniuntur deniq; ibi variæ species auium, quæ in terris nostris nunquam visæ sunt. Confluunt passim ad hanc insulam multi mercatores, facilimeq; illuc nauigare possunt propter maris fluxum: nam à prouincia Maabar venitur in viginti diebus ad hanc insulam Madaigascar, iuuante nauem fluxu maris: difficilimè reuerti possunt, quùm vix in tribus mẽsibus aduersum fluxum superare possint. Nam tota vi mare in meridiem fertur.

Aristocratia. *Elephantes.* *Ebur.* *Ambar.*

CAPVT XL.

De maxima aue Ruc.

Svnt & aliæ insulæ vltra Madaigascar versus meridiem, sed quæ difficilimè adiri possunt, propter velocissimum

maris

maris cursum. Et in illis certo anni tempore apparet mirabilis species auis, quæ Ruc appellatur, aquilæ quidem habens effigiem, sed immensæ est magnitudinis. Aiunt, qui illas viderunt aues, plærasq; alarum pennas in longitudine continere duodecim passus, spissitudinem verò eius proportionem tenere longitudinis: & totum auis corpus pennis in proportione respondere: auis verò ipsa tantæ est fortitudinis, vt sola sine aliquo adminiculo elephantem capiat, & in sublime sustollat, atq; rursum ad terram cadere sinat, quo carnibus eius vesci possit. Ego Marcus, *Auctor de se.* quùm primum hæc de illa aue audissem, putabam esse gryphonem, qui inter quadrupedia dicitur esse pennatus, leoni ex omni parte similis, nisi quòd faciem habet aquilæ similem: sed hi, qui aues illas viderant, constanter asserebant, nihil illis commune esse cum vlla bestia, & quod duobus, vt reliquæ aues, incederent pedibus. Habebat meo *COBILA* tempore magnus Cham Cublai nuncium quendam, qui in insulis illis tamdiu captus tenebatur, donec incolis earum satisfactum esset: & hic postliminio domum reuertens, mira retulit de conditione illarum regionum, & de varijs animalium specibus, quæ in illis inueniuntur.

CAPVT XLI.

De insula Zanzibar.

INuenitur etiam illic alia quædam insula, quæ in gyro continet duo millia milliarum, habens regem proprium, & linguam singularem. Incolæ verò eius idola colunt. Sunt homines illi corpore grosso, sed breui. Et si staturæ longitudo corpulentiæ responderet, gigantes videri possent. Sunt fortissimi, vt etiam vnus tantum ferre posset *Incolarũ robur.* onus, quantum alij vix quatuor. Comedit etiam vnus tantũ cibum, qui quinq; nostratibus sufficere possit. Sunt omnes nigri, & nudi incedunt, verenda duntaxat tegentes. *Voracitas* Capillorum tam densam habent crispitudinem, vt cum aqua deliniti vix extendi in longum queant. Os est illis

Deformitas. illis magnum,& nares sursum patentes. Aures quoq; habēt grandes & oculos horribiles. Mulieres etiam ob oculos prominentes, os magnum, & nares grossas admodum deformes sunt. Viuunt lacte, carnibus, riso & dactylis. Carent vino, sed conficiunt potum optimum ex riso, saccaro, & alijs speciebus. Veniunt illuc multi mercatores propter ebur & ambrum. Nam sunt ibi plurimi elephanti & cete grandia. Viri huius insulæ fortes & bellicosi sunt. Et licet non habeant equos, tamen cum elephantis & camelis ad bella procedunt, extruentes castella lignea super elephantos, quæ tanta sunt, vt quindecim vel viginti viri muniti ex vno pugnent portatili castro. Pugnant autem cum lanceis, gladijs & lapidibus: & sunt huiusmodi castra asseribus cooperta. Porrò quando ad bellum procedere volunt, exhibent potum elephantis, quem ipsi pro vino in terra bibunt, quo audaciores sint in bello. Abundat ista insula leonibus, leopardis & alijs varijs bestijs syluestribus, quæ in alijs regionibus non inueniuntur. Habet præterea speciem animalis, quod Giraffa vocatur, habens collum longissimum, passuum scilicet trium, cuius anteriora crura multo longiora sunt posterioribus. Caput eius est paruum, & color varius, albus scilicet & rubeus cum roseis punctis per corpus dispersis. Est autem animal mansuetum, neminem lædens.

Elephantes turriferi.

Giraffa animal.

¶ Infrà cap. 45. Vide Leonē Afrum lib. 9. item Itinerarium Alberti, Com. Leōsteinij

CAPVT XLII.

De multitudine insularum Indiæ.

SVnt præter memoratas insulas etiam plurimæ aliæ insulæ in partibus Indiæ, prioribus quidem vt principalioribus subiectæ: quarum numerus ob multitudinem earum certò haberi nequit. Et quidem si nautis credimus, & his, qui diu sulcauerunt maria, est numerus earum duodecim millia & septingentæ, computanda tam habitatas quàm non habitatas.

Insulæ 12700.

CA-

CAPVT XLIII.

De prouincia Abasiæ.

DEscripsimus hactenus obiter insulas & regiones Indiæ vtriusq;, maioris scilicet & minoris: maior incipit à prouincia Maabar, & terminatur ad regnum Rescomoran: minor verò incipit à regno Ciamba, & terminatur ad regnum Murfili. Nunc breuiter attingemus Indiam intermediam, quæ propriè Abasia appellatur. Igitur Abasia est regio maxima in septem diuisa regna, quibus singulis singuli præsunt reges. Et hi omnes sunt Christiani, præter tres Sarracenos. Christiani crucem auream in fronte gestant, quod eis in baptismo imprimitur. Sarraceni verò habent signum à fronte vsq; ad medium nasi. Sunt etiam illic multi Iudæi, qui ignito ferro in vtraq; maxilla signati sunt. Contingit hanc regionem alia quædam prouincia, Aden dicta, in qua beatus Thomas Christi fidem docuisse dicitur, & multos ad eandem conuertisse. Postea transtulit se ad regnum Maabar, in quo pro Christo mortem obijt.

ἀνακεφαλαίωσις. Maior & minor India. Abasiæ regna. Stigma crucis aureæ. Aden. ¶ *Infrà cap. 46. Thomas Apostol.*

CAPVT XLIIII.

De quodam episcopo Christiano, violenter à Sultano circumciso.

ANno à Christo nato M. CC. LXXVII. rex vnus, & qui principalior erat in regnis Abasiæ, deuotione motus voluit Ierosolymam visitare, atq; sepulchrum Domini. Et quùm id consiliarijs atq; aulicis suis indicasset, illi omnino dissuadent propositum arripere iter, scientes plurima in itinere esse discrimina, præsertim quùm illi per multas Sarracenorum terras ambulandum esset: sed vt episcopum aliquem sui loco mitteret, consulunt, qui adeundo terram sanctam munus perferret in Ierusalem. Acquiescit rex sano consilio, mittitq; Episcopum cum regia oblatione. Veniens autem Episcopus in regionem Aden, quam Sarraceni

Prudens consilium

inhabitabant, & Christianos implacabili persequebantur odio, comprehensus à Sarracenis, ad regem Aden ducitur. Rex verò cùm ex eo didicisset, quod nuncius esset regis Abasiæ, missus ad terram sanctam, minis nititur cogere hominem, vt abnegato Christi nomine, Mahumeti suscipiat legem. Episcopus verò constanti animo in Christi perseuerans fide, respondet se potius mortem subiturum, quàm deserto Christo, Mahumeto nomen dare. Tunc Sultanus ille iubet episcopum in iniuriam Christi & despectũ regis Abasiæ circumcidi, & circumcisum iterum mittit ad regem Abasiæ. Quo cognito, rex Abasiæ, volens Christi vlcisci iniuriam, coacto in vnum magno exercitu cum peditibus, equitibus & elephantis castella gestantibus, mouet expeditionem contra regem Aden. At Sultanus conuocatis alijs duobus regibus, cum valido exercitu properat in occursum regis Abasiæ, commissoq; prælio, plurimi de exercitu Aden interficiuntur, & euadit rex Abasiæ victor. Et intrans cum exercitu suo in interiora regni Aden, cœpit deuastare regionem, & occidere Sarracenos, qui conglobati illi resistere conabantur, sed in cassum, mansitq; per integrum mensem in regno illo, & illatis plurimis damnis, victor cum magno honore domum redijt, gaudens impij Sultani vltam perfidiam.

Constãtia Episcopi.

Iniuria legato illata vindicatur bello.

CAPVT XLV.

Quàm diuersæ bestiæ inueniantur in prouincia Abasiæ.

VIuunt habitatores Abasiæ carne, lacte & riso: oleo verò vtuntur de sosima facto. Habet regio ipsa multas ciuitates & oppida, in quibus plurimæ fiunt negociationes. Inuenitur ibi buchiranus optimus & bombicini panni in magna copia. Habent quoq; Abasini plurimos elephantos, sed qui ibi non nascuntur, verùm ab alijs regionibus & insulis importantur. Giraffæ autem, leones, leopardi, onagri, & diuersæ auium species, quæ alibi non visuntur,

Abasini.

Giraffæ.

visuntur, in magna ibi nascuntur abundantia. Habet præterea regio illa gallinas pulcherrimas, & struthiones grandes, asinis haud minores, aliarumq; bestiarum & auium multiplicem venationem. Habet psittacos, & epimachos pulcherrimos: habet deniq; cattos diuersarum specierũ, quorum aliqui humanam in facie exprimunt effigiem. *Struthiones.* *Feles humanam faciẽ repræsentantes.*

CAPVT XLVI.

De prouincia Aden.

HAbet prouincia (a) Aden regem proprium, quem Sultanum vocant, habens sub se Sarracenos, qui supra modum exosos habent Christianos. Habet autem regio ipsa multas ciuitates & castra, & præsertim habet portum optimum, ad quẽ ex India plurimæ appellunt naues, aromata deferentes. Et negociatores quidem Alexandrini illic ementes aromata, ponunt ea in naues paruas, atquè septem diebus per flumen quoddam ducentes, postea humeris camelorum imponunt, & triginta dierum itinere per terram vsq; ad fluuium AEgypti deportant, & rursus in naues exonerantes, tandem vsq; ad Alexandriam perducunt. Nec potest compendiosior haberi via ab Orientis partibus vsq; Alexandriam. Negociatores verò illi ducunt secum plurimos equos, quando nundinandi gratia in Indiam concedunt. Exigit autem rex Aden ab illis mercatoribus, qui per regionem suam aromata & alias merces ducunt, vectigal maximũ, vnde plurimum ditescit. Quùm * Sultanus Babyloniæ obsideret ciuitatem Aconensem, & eam expugnaret, anno scilicet Domini M. CC. XCI. misit Sultanus Aden in auxilium eius triginta millia equitum & quadraginta millia camelorum, non quòd vsq; adeò illius cuperet augeri felicitatem, sed quòd omnes maluit extinctos Christianos. A portu Aden eundo versus Septentrionem, sita est ciuitas Escier, quadraginta distans milliaribus ab illo portu, & habet sub se multas alias ciuitates & castra, sed quæ omnia sunt de dominio regis Aden. *Cómercia Alexand.* * Is fuit Melecasseraf. Au&or Haythonus cap. 53. *Escier.*

Est quoq; iuxta hanc ciuitatem optimus portus, à quo innumeri equi ducuntur in Indiam. Abundat hæc regio thure albo atq; optimo, quod de paruis arboribus, abietibus tamen similibus, stillat. Incolæ crebris incisionibus perforant harum arborũ cortices, vt thus extrahant, tametsi calor quoq;, qui ibi maximus est, plurimum eliciat liquoris. Habet quoq; regio ipsa palmas cum dactylis: sed præter modicum risum nullum producit frumentum, verùm aliunde importandum est. Abundat autem piscibus optimis, præsertim tunnis, qui ibi optimi habentur. Vinum non habent, sed ex dactylis, riso & saccaro optimum faciunt potum. Verueces, qui in hac regione inueniuntur, sunt statura parui, auribus omninò carentes, sed loco earum cornua parua habent. Equi, boues, cameli atq; oues vescuntur piscibus, qui quotidianus illorum sunt cibus, quùm illic ob immensum calorem herbæ & frumenta ex terra haberi non possint. Fit autem tribus anni mensibus piscium captura, scilicet Martio, Aprili & Maio, tantusq; illorum capitur numerus, vt non facilè explicari possit. Hos pisces siccant & seruant, atq; per totum annum animalibus edendos pabuli loco proponunt. Vescuntur autem animalia libentius desiccatis piscibus, quàm recentibus. Fiunt etiam ab incolis panes bis cocti ex piscibus, idq; in hunc modum. Concidunt pisces minutatim, atq; contundunt in modum farinæ, & postea commiscent & subagitant quasi pastum panis, atq; ad solem desiccari faciunt, & viuunt ipsi & iumenta ipsorum de illis panibus factitijs per totum annum.

Thus album. *Tunni.* *Pastus è piscibus.* *Item panes.*

(a) Hæc Ptolemæo lib. 6. cap. 7. creditur esse Arabia emporium. Vide Vartomanum lib. 2. cap 4. & Damianũ Goësium de Diensis vrbis oppugnatione.

CAPVT XLVII.

De regione quadam, in qua Tartari habitant.

Scripsi

SCripsi hactenus de regionibus Orientalibus ad meridiẽ expositis, nunc quasdam in Septentrionali plaga positas, quæ suprà in primo libro sunt omissæ, breuiter attingam, & quæ de illis didici, annotabo. Igitur in interioribus Aquilonis partibus multi habitant Tartari, quorum rex est de progenie Imperatoris Tartarorum: & seruant ritus & mores antiquorum Tartarorum. Sunt omnes idololatræ, coluntq; vnum Deum, quem Natagai appellant, putantes illum terræ habere dominium, & omnium eorum quæ ex ea producuntur. Sonat enim Natagai in lingua eorum Deum terræ. In honorem illius Dei multa faciunt simulachra & imagines. Non habitant in ciuitatibus vel oppidis, sed in montibus & campestribus regionis illius: suntq; in maximo numero, frumento carentes, & lacte atq; carnibus viuentes. Est magna pax & concordia inter illos, pariq; voto suo obediunt regi. Habent equorum, camelorũ, boum, ouium & aliorum pecorum ferè infinitum numerum. Sunt etiam apud eos vrsi maximi atq; vulpes insignes. Sed & onagri in magna illic inueniuntur multitudine. Inter parua verò animalia est quædam species apud illos, quæ delicatissimas suppeditat pelles, quas vulgo Zebellinas vocant. Sunt quoq; alia quàm plurima syluestria animalia ibi, de quibus multam percipiunt carnem ad comedendum.

¶ Redit auctor ad Borealem plagam.

Prisci Tartari.

Natagai.

¶ Vide suprà lib. 1. cap. 58

Zobellinæ pelles. ¶

¶ Iornandes pag. 598. videtur Saphirinas pelles nominare: de quarum veteri commercio ibidem. Adde hic insuper, quæ de pellibus satiuis, & ipsis delicatissimis, habet Sigismundus Herbersteinius Comment. rerum Moschouit. pag. 106. & seq.

CAPVT XLVIII.

De regione alia, ad quam propter lutum & glaciem difficilis patet accessus.

SVnt etiam regiones aliæ in hac Septentrionali plaga, sed priore adhuc interiores, quarum vna est montosa, varia producens animantia, vt sunt rhondes, armelini,

Armelini.

Vulpes nigræ. erculini varij, vulpes nigræ & alia quædam, quæ hominibus illis lenissimas præbent pelles, & ad nostras per mercatores deferuntur regiones. Equi verò, boues, asini, cameli, & alia quæcunq; corpulenta animalia, ad illa loca accedere nequeunt, vsq; adeò est regio illa paludinosa & stagnis plena, nisi in medio hyemis, quando omnia frigore rigent & constricta sunt dura glacie. *Paludes itinera intercludêtes.* Cæteris verò temporibus, tametsi multa illic sit glacies, & magnum frigus, non est tamen glacies illa tam solida, vt currus & iumenta ponderosa ferre possit, quinimo homines ipsi cum magna difficultate possunt pertransire terram illam, vsq; adeò stagnantur omnia loca aquis & paludibus. Patet regio hæc versus Septentrionem itinere tredecim dierum, in qua supra modum abundant animantia ea, quæ memoratas preciosas suppeditant pelles, vnde incolæ multa assequuntur lucra. *Canes iugales.* Nam accedunt eos mercatores, & abducunt pelles illas in magna copia. Introducuntur autem in regionem ipsam hoc modo. *¶ Conuenit Herbersteinij pag. 91. b.* Habent canes maximos asinorum instar, qui rhedis trahendis sunt assueti. Carent autem vehicula illa rotis, facta de lignis leuibus & planis, vt duo homines in vno sedere & vehi possint, ne facilè in luto mergantur propter latitudinem eius. Igitur quando mercator aliquis venit, imponitur vehiculo, & ligantur ordine quodam sex canes ad vehiculum illud trahendum, & quocunq; à ductore, qui cum mercatore in rheda sedet, diriguntur, illuc trahunt rhedam, transeuntes per lutum & aquam. Nec possunt vltra vnius diei spacium laborem illum sustinere: sed transacto die, alij ad rhedam ligantur canes, quùm pagi multi passim in regione illa inueniantnr, & illic canes in hoc officium nutriantur. Per hunc itaq; modum potest mercator ad interiora illius peruenire regionis. Non autem ponuntur magna onera super rhedas, quùm canes præter mercatorem, aurigam & pellium fascem nihil ferè aliud trahere possint. Fit igitur, vt negociator quolibet die mutet vehiculum, canes & aurigã, donec perueniat ad montes, vbi emat pelles.

CA-

CAPVT XLIX.

De regione Tenebrarum.

EST adhuc alia regio, prioribus regionibus multo versus Aquilonē interior, quippe quæ extremum Septentrionis occupat locum, quam obscuritatem appellant, eo quòd multo per annum tempore ibi sol non appareat, & tunc nedum noctu ibi tenebræ sint, verùm & interdiu aër in modū crepusculi caliginosus sit: cuius regionis homines pulchri sint, magni & corpulenti, sed pallidi. Regem non habent nec principem, cui pareant, sed in morem bestiarum viuentes, quod libet faciunt, nec mores nec ciuilitatem vllam curantes. Tartari verò, qui illis hominibus sunt confines, sæpè regionem illam obscuram ingredientes, rapiunt animalia illorū, & quicquid inueniunt, aliaq; multa inferunt damna. Et quoniam propter subitò irruituram noctem periculum direptoribus imminet, vt illud euadant, hac vtuntur cautela. Quando regionem ipsam, prædam abducturi, intrare disponunt, accipiunt secum equas pullos habentes, illosq; in ingressu regionis custodibus committunt, vt illic expectent, donec ipsi cum præda reuertantur, vt quùm illis noctu sit regrediendū, equæ nocturni itineris obseruatrices rectà ad pullos suos contendant, omni vitato discrimine. Laxant enim noctu equabus habenas, illasq; liberè, quo suo instinctu feruntur, ire permittunt: & hæ naturali ad filios tracti affectu, ducunt sessores suos ad pristinum locum, quem ipsi in tenebris minimè inuenire potuissent. Habent etiam huius regionis incolæ varia animantia, de quibus preciosas abstrahunt pelles, & ad alias deferentes regiones, magna hinc reportant lucra.

Tartarorum excursiones.

Astus.

¶ *Videtur alludere ad Hyperboreos, de quibus Pomponius Mela lib. 3. cap. 2. Esse autem Scythas Hyperboreos, Rossos, docet Nicetas pag. 18 a. Nam Iouius de legatione Moschouitarum variat, & Hyperboreorum nomine Inugros & Vgolicos accipit.*

CA-

CAPVT L.

De prouincia Ruthenorum.

Moschi. ¶ Vide Herberſteinium, Gaguinũ. &c.

INhabitant Rutheni prouinciam maximam, quæ ferè vſq; ad polum arcticum excurrit: & ſunt Chriſtiani, Græcorum ritum in Eccleſiaſticis ſeruantes officijs. Sunt albi & pulchri, tam viri quàm mulieres, flauos habentes capillos. Tributa pendunt Tartarorum regi, cui ad Orientalem plagam confines ſunt. Eſt etiam apud eos ingens copia precióſarum pellium. Habent quoq; mineras multas argenti. Regio verò ipſa eſt frigidiſsima, quippe quæ ad mare protenditur congelatum. Sunt tamen in eo mari inſulæ quædam, in quibus Grifalchi, herodij ſeu falcones in maxima inueniuntur copia, & inde ad diuerſas mundi partes deferuntur.

MARCI PAVLI VENETI LIBRI III. & vltimi de regionibus Orientalibus finis.

FRA-

FRAGMENTVM DE REBVS ORIENTALIBVS,
è Speculo historiali Vincentij Beluacensis.

HELMAESTADII.

M. D. LXXXV.

VITA VINCENTII BELVAcensis è Chronico Philippi Bergomatis.

Incentius Gallus, natione Burgundus, Beluacensis apud Gallos dictus, ordinis Prædicatorum, Historicus atq; Theologus clarissimus: per hoc ipsum tempus (anno Christi 1252.) claruit: & tantum litterarum studijs adhibuit: vt nullis vnquam laboribus vel vigilijs, vel occupationibus ab earum cultura potuerit euocari: quin semper aut legeret aut doceret, aut scriberet. Tantus itaq; fuit: vt post se parem mundus habere non potuerit. Nam REGE FRANCORVM PETENTE, ET SVMTVS PRÆBENTE, *innumerabiles historias, tam morales quàm historicas, multis sub voluminibus comprehendit. Et primò scripsit Speculum historiale in lib. 32. Item Speculum naturale in lib. 33. Et Speculum morale in lib. 3. Speculum doctrinale in lib. 13. Item de gratia Dei lib. 4. De laudibus Beatæ Virginis Mariæ lib. 1. De laudibus S. Iohannis Euangelistæ lib. 1. De institutione puerorum lib. 1. Consolationem super mortuo lib. 1. Item epistolarum ad diuersos lib. 1. Et alia nonnulla.*

E Trithemio de scriptoribus Ecclesiasticis.

V*Incentius Gallus, natione Burgundus, ordinis Prædicatorum, dictus Beluacensis, vir in diuinis scriptu-*

 ris

ris studiosus & exercitatus, ac veterum lectione diues, ingenio subtilis, & sermone compositus, tantum litteris studium adhibuit, vt nullis vnquam laboribus, vigilijs vel occupationibus ab earum cultura potuerit euocari, quin semper aut legeret, scriberet vel prædicaret. Tantus itaq; fuit, vt post se necdum habuerit parem, si ardua, quæ scripsit, opuscula ex multis laboriosè collecta, æqua lance cum cæteris ponderemus. Nam petente, & sumptus ministrante, rege Francorum, grande & admirabile opus speculorum de omni (vt ita dixerim) re scibili in multis voluminibus maximis laboribus comportauit, quod ita prænotauit atq; distinxit.

Speculum historiale	lib. 32.	Deus est substantia.
Speculum naturale	lib. 33.	Quoniam multitud.
Speculum morale	lib. 3.	In omnibus tuis me.
Speculum doctrinale	lib. 13.	Quoniam multitud.
De gratia Dei quoq;	lib. 4.	Liber generationis.
De laudibus S. Mariæ	lib. 1.	Si Deum ore proph.
De laudibus S. Ioann. E.	lib. 1.	Beatus Ioannes Euã.
De institutione puero.	lib. 1.	Filij tibi sunt erudi.
Consolationẽ sup mort.	lib. 1.	In primis igitur ad.
Epistolarũ ad diuersos	lib. 1.	

Alia insuper nonnulla edidit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Claruit sub Friderico II. Imp. Anno Domini M. CC. XL.

FRA-

FRAGMENTVM DE REBVS ORIENTALIBVS, è Speculo historiali Vincentij Beluacensis.

LIBRI XXX.

CAPVT LXIX.

De interfectione Dauid, Indiæ regis, à Tartaris.

ANno Domini M.CC.III. secundum quosdam, Tartari post occisionem domini sui exierunt in populorum destructionem. Hi etenim prius adhuc in terra sua, videlicet Tartaria, quæ affinis est Indiæ, residentes, contra regem Dauid, dominũ suum, videlicet presbyteri Iohannis, quondam dominatoris & imperatoris Indiæ, filium conspirauerunt, eumq; dolosè machinando interfecerunt. Antea siquidem ab antiquo Tartaria Indiæ regi fuerat subiecta, eiq; pacificè & quietè debita, vsq; ad tempus illud, exoluerat tributa. Cumq; prædictus Rex ab eis tributum solitum expeteret, præcipiens insuper, vt in armis vel in angaria aliqua deseruirent, illi super aggrauatione manus Domini sui conquerentes, inierunt pluries consilium, vtrùm ei simpliciter obedirent? an ei, prout possent, obuiarent? Tandem vnus eorum, nomine Chingischam, qui sagacior & antiquior videbatur, dedit consilium, vt mandato regis contradicerent, & omnes vnanimiter in eum exurgerẽt eumq; ac suos, quos inuenire possent, occiderent. Ad executionem autem, inquit, tanti facti oportet, vt omnes in vnum & vnanimiter congregemur, & vnus de quinq;, qui super

Dauid, rex Indiæ.

Chingischã fit Tartaris auctor externi iugi excutiendi.

alios quatuor, ex omnibus quinarijs eligatur, qui quaternio nuncupetur, eiusq; præcepto in omnibus obediatur ab illis, & qui non obedierit, occidatur. Similiter etiam super nouem sit decimus, & super XIX. XX. & sic vsq; ad mille, & etiam vsq; ad millies millia, deniq; vsq; ad infinitum ascendendo. Tandem vnus omnes superexcellens tanquam Dominus & Cham, id est, Imperator vel Rex habeatur, cui omnes vsq; ad mortẽ per omnia obœdire teneantur. Omnes autem consilium hoc concorditer approbantes, ipsum in dominum sibi cum successoribus suis elegerunt, eisq; prædictam obœdientiam in perpetuum se seruaturos promiserunt, & vsq; hodiè seruauerunt. Hic igitur electus, altera die conuocatis omnibus, in montem altum ascendit, eosq; exhortans ait: Scitis, quòd vsq; nunc tria in nobis peccata semper inundauerunt, videlicet mendacium, furtum & adulterium. Nunc ergò, ne vindicante Deo in executione huius facti, vel aliâs in posterum impediamur, de cætero nos omnes à prædictis abstinere ipsi promittamus, ita quòd si quis in aliquo eorum prolapsus inueniatur, sine vlla misericordia occidatur. Quod cùm omnes se obseruaturos in perpetuum promisissent, licet iam iniquitas mentita sit sibi, præcepit omnes illos armis paratos congregari, eosq; in duabus aciebus diuisos vna die à duabus partibus, æqualiter à medio terræ distantibus, terram Domini sui Dauid ingredi, ac velociter eam percurrentes, nulli parcere sexui vel ætati. Illi ergo causa seruitutis excutiẽdæ, triumphiq; obtinendi, quàm plurimum armati de terra sua exeuntes, arcubus & sagittis clauisq; siue fustibus, tanquam armis suis potioribus, præmuniti, quorum maxima pars erant pedites, minor in bobus equitantes, minima verò in asinis & iumentis ac pullis equorum confidentes, Domini sui terram simul à duabus partibus inuaserunt, eamq; totaliter infusione sanguinis intinxerunt. Rex autem Dauid aduentum eorum audiens improuisè, nec vllatenus valens resistere, cum ab vna parte exercitus effugere vellet, ab altera præuentus est & oppressus, tandemq; cum * tota familia sua

Designatur Rex.

Fert leges.

Venit ad arma.

* Variat Paulus Venetus li. 1. cap. 64.

Debellat cum Indo.

sua prætér vnicam filiam membratim detruncatus, quam videlicet superstitem prædictus Chingischam sibi vxorem accepit, & de ea, vt dicitur, filios generauit.

CAPVT LXX.

De Rabbanata, Monacho Nestorino.

Rabbanata verò Monachus Christianus, sed tamen Nestorinus, quia viuente Dauid rege, fuit ei familiaris, & fortasse quandoq; consiliarius, post mortem ipsius Dauid à filia eius, vxore Chingischam, tandem est euocatus, & eidem occasione antiquæ patris sui amicitiæ, & quia Christianus erat, consiliarius ac pœnitentiarius eius factus est, Tartarisq; familiaris est effectus, ipsa tamen duntaxat viuente Chingischam permittente. At illa mortua, factus est idem Monachus Tartaris extraneus, & ab eis elongatus. Ipse autem Rabbanata, tum mediante regis Dauid filia, tum etiam mediante Curiæ frequentia, multa de consilijs & factis Tartarorum nouerat, multaq; diuinando eisdem reuelabat. Propter quæ nimirum ad tempus ab ipsis est magnus arbitratus, & ab illis, qui curiam Chingischam & Baronum eius frequentabant, sanctus est reputatus. Postea verò in Armeniam maiorem transijt, ibiq; in Tauris ciuitate per aliquod tempus latuit. Sed postea diligenti inquisitione per Fratres Prædicatores, qui de mandato Papæ ad Tartaros ibant, & ad ipsum etiam Rabbanatam litteras deportabant, ac per viros religiosos & alios fide dignos, inuentum est, quòd mercator erat, & vsurarius ac diuinus & hæreticus, fideiq; catholicæ & orthodoxæ inimicus. Licet etiam ea confiteretur oretenus, latebras tamen libenter quærebat, nec vnquam comedens ab aliquo de Fratribus se videri permittebat. Talis semper vixit, talisq; moriens, qualis vixerat, sicut credere dignum & iustum est, ad infernum descendit.

Rabbanata Monachus impostor.

Taurisium.

CA-

CAPVT LXXI.

De exteriori qualitate Tartarorum.

Tartarorum tetra species.

SVnt autem Tartari homines turpissimi, quàm plures parui, oculos habent grossos & prominentes, multum coopertos palpebris, ita quòd valde parua est apertura in eis. Latas habent facies, latas frontes, nasosq; perlatos. Sunt autem imberbes, excepto quòd in superiori labio & in mento raros habent pilos & quasi volatiles. Graciles sunt in cingulo generaliter omnes, exceptis paucis. Omnesq; ferè sunt staturæ mediocris.

Rasura.

Rasuram faciunt prope verticis summitatem, quæ descendit inferius per tempora ab aure vsq; ad aurem, sedetq; rasura illa super caput eorum ad ferri equini modum. Raduntur iterum à parte posteriori, & longos habent capillos ac trecas retrò *iuxta* aures. Talem etiam rasuram habent omnes illi, *qui cum* eis sunt, vt * Romani & Sarraceni & alij. Sed facies hominum eorum dissimiles sunt faciebus Tartarorum. Ipsi verò Tartari leues & agiles sunt quàm plures, ac benè equitantes.

* Videtè Romania oriũdos dicere. De eo nomine alibi à nobis explicatũ.

Disciplina equestris.

A pueritia quippe discunt equitare currendo post armenta equorum & aliorum animalium. Cumq; maiores effecti sunt, cum patribus suis in bellis quasi continuis equitant, nullusq; illorum pedes vadit, sed omnes etiam minimi garconnes equis aut bobus insident: quia breuissimas tibias habent. Incomposito itaq; gradu incedunt, & pedites ire diu nequeunt. Mulieres eorũ turpissimæ sunt, & equitant sicut & viri. Equos autem habent, qui non ferrantur, nec hordeo vtuntur, multumq; sunt disciplinabiles ac magni laboris, & castrati sunt, & nares fissas habent.

Sermo.

Præterea Tartari modo interrogatorio clamosa loquuntur in gutture rabido & horribili. Cantantes mugiunt vt tauri, vel vlulant vt lupi, voces inarticulatas in cantando proferunt, & hanc cantilenam alai alai communiter ac frequentissimè canunt. Turpissimè bibentes caput quatiunt, & quod bibunt velut equi in guture trahiciunt. In tentorijs semper habitant, & non in villis vel vrbibus.

Pastores

Pastores enim pecorum rurales sunt, ac gregibus ouium & caprarum, armentisq; bouui & camelorum & equorum superabundãt. In hyeme manere consueuerunt in planicie, in æstate verò pascuorum vbertatẽ sectantur in montibus. In luctationibus & in sagittationibus delectantur tanquã in suis potissimis gaudimonijs & exercitationibus. Christianis autem debiliores sunt corporibus. Venatores quidem mirabiles sunt, & ordinati ac serrati ad venandum pergunt, ita quòd animalia venaticia fugando coram se ducunt. Deniq; concludendo ea quasi de seipsis choream vnam faciunt. Et tunc sagittando vndiq; interficiunt & capiunt. Vilissimè comedunt. Panem non habent nec curant, mensalibus non vtuntur, nec manutergijs, eduntq; manibus illotis. *Vita pastoralis.* *Palæstrica.* *Venationes.* *Mos comedendi.*

CAPVT LXXII.

De cultu ac ritu religionis eorum.

VNum quidem Deum Tartari credunt, ipsumq; omnium esse tam visibilium quàm inuisibilium factorem, & tam bonorum in hoc mundo, quàm pœnarum esse datorẽ. Nec tamen orationibus vel laudibus vel aliquo ritu ipsum colunt. Nihilominus etiam habent idola quædam de filtro ad imaginem hominis facta, quæ ponunt ex vtraq; ostij tentorij parte, & quiddam de filtro in modum vberum fœminæ subtus illa, eaq; credunt pecorum suorum custodes esse, ac beneficium pullorum & lactis eis præstare. Alia verò de pannis sericis faciunt, illaq; multum honorant. Quidam ea ponunt in pulcro curru cooperto ante ostium tentorij, & quicunq; in curru illo aliquid furatur, sine vlla miseratione occiditur. Cùm autem idola huiusmodi facere volunt, omnes maiores Dominæ, quæ sunt in statione, conueniunt, eaq; cum reuerentia faciunt. Deinde ouem interficiunt, eamq; mãducant, & ossa eius igne comburunt. Cùm etiã aliquis puer infirmatur, prædicto modo faciunt idolum, & ligant super eius lectum. Duces quoq; millenarij *Religio.* *Idola.*

Sacrificia. &centenarij semper habent hircum in medio suæ stationis, & idolis prædictis offerunt primum lac omnis iumenti ac pecoris. Sed & quando primò bibere vel cómedere incipiunt, primitus eis de cibarijs suis vel de potu offerunt. Cumq; bestiam aliquam interficiunt, offerunt cor eius idolo, quod est in curru in aliquo scypho, & vsq; in mane dimittunt. Tunc quoq; de præsentia idoli auferunt illud, ac decoquunt & ipsum manducant. Primo etiam Imperatori * factum idolum ante stationem honorificè ponunt, cui multa munera offerunt. Sed & equos solent ei offerre, quos nullus audet vsq; ad mortem ascendere. Alia quoq; animalia eidem offerunt, quæ occidunt ad manducandum, & nullum ex ossibus eorum confringunt, sed igne comburunt. Huic etiam idolo ad meridiem tanquam Deo inclinant, & aliquos nobiles inclinare faciunt, qui se ipsis reddiderunt. Vnde Michaëlem, magnum ducem Russiæ, occiderunt, cùm nollet se imagini Chingischam inclinare. Solem etiam ac Lunam & ignem & aquam & terram venerantur, & adorant, primitias eis potus ac ciborum offerentes, mane scilicet potissimum antequam comedant vel bibant.

* Chingischam vt paulo pòst.

Michaël, Dux Russiæ.

CAPVT LXXIII.

De legibus ac statutis eorum.

Lex de Imperatore creando. Statutum est autem inter Tartaros, & à Chingischam, primo eorum Domino confirmatum, vt quicunq; in superbiam erectus autoritate ꝓpria sine principum electione voluerit Imperator esse, occidatur sine vlla miseratione. Propter hoc & vnus de principibus, nomine Cuiucham, nepos ipsius Chingischam, occisus est ante electionem ipsius: quia regnare volebat non electus. Aliud quoq; statutum habent, quòd omnem terram sibi debeant subiugare, nec cum aliqua gente pacem habere, nisi subdatur eis, quo vsq; veniat tempus ipsorum interfectionis. Anni LXXX. debent pugnare, & XVIII. tantummodo regnare. Post hoc, vt ipsi

Cuiucham

Alia de militia.

vt ipsi dicunt, ab alia natione debent vinci, vt vaticinatum est eis. Nesciunt tamen, quæ illa sit. Et qui euadere poterunt, vt dicunt, legem illam tenere debent, quam tenent illi, qui bello eos deuincent. Ipsi namq; Tartari diuinationibus, augurijs, auspicijs, veneficijs & incantationibus multum intendunt, & cùm illis à Dæmonibus respondeatur, Deum sibi loqui credunt. Est etiam statutum Chingischam illius primi, quòd per millenarios, cẽtenarios ac decanos eorum exercitus debeat ordinari. Porrò edictum generale Cham est, vt vbicunq; capiantur à Tartaris vel à seruis eorundem mulieres, quantæcunq; sint, ab ipsis teneantur, eisq; pro sua voluntate abutantur, easdem in seruitutem sibi perpetuam, si voluerint, reseruantes. De equis quoq; tale est edictum Cham generale: Quicunq; Tartarus equum rapere potuerit, vndecunq; & vbicunq; inuenerit, & cuiuscunq; sit, ipse verus possessor illius habeatur, dum tamen Tartari nón sit. Porrò de viatoribus tale est edictum generale ipsius: Quicunq;, inquit, Tartarus seu Tartari seruus aliquem in via inuenerit, dum tamẽ non sit mercator habens bullam Tartaricam, ille inuentoris, vel accipientis eum sic, seruus habeatur, & si sit Tartari seruus, donec à domino suo repetatur. Sunt autem duo genera Tartarorum, diuersa quidem habentia idiomata, sed vnicam legem ac ritum, sicut Franci & Teutonici.

De fœminis.

De equis.

De viatoribus.

Duo genera Tartarorum.

CAPVT LXXIIII.

De superbia eorum & impietate.

TAntæ verò impietatis & arrogantiæ sunt, vt Dominũ suum Cham filium Dei appellent, & ipsum loco Dei super terram venerantes adorent, dicentes, factoq; ostendentes, illud in eis esse impletum: Cœlum cœli Domino terram autem Dei filio homini. Nam & ipse Cham se filium Dei appellat, & in litteris suis sub hoc nomine mandat omnibus. Eiusq; subditi, videlicet Tartari, de mandato ipsius principes suos Bayothonoy & Bato violenter ab

Magni Cham diuini honores.

omnibus nuncijs, ad ipsos venientibus, faciunt adorari cum triplici genuum flexione, triplici quoq; capitum suorum in terram allisione. Deniq; supra modum gloriantes, & ad totius mundi dominium in breui se venturos præsumentes, ita adeò desipiunt, vt maiorē Domino suo Cham neminem in mundo fore credant, vel etiam coram se nominari Papam vel alium maiorem sustineant. Omnes homines, qui in mundo sunt, veluti pecudes reputant, seq; solos hominibus præferentes, Papam & omnes Christianos canes appellant, ipsos etiam idolatras esse affirmant, quia ligna & lapides, id est, quia signum crucis, in lignis & lapidibus impressum vel insculptum, adorant. Somnia verò obseruant, & maleficis artibus intendunt. Habentq; magos secum vel diuinos, per quos à Dæmonibus, in idolis habitantibus, sibi responsa dari petunt, Deumq; sibi, vt dictum est, loqui credunt, quem scilicet Deum Ythoga, seu Comani Cham appellant, quem mirabiliter reuerentur ac timent, eiq; multas oblationes & primitias ciborum & potuum offerunt, ac secundum eius responsum vniuersa faciunt. Solem patrem esse Lunæ, eò quod lumen à Sole recipiat, dicunt, omniaq; per ignem purificari credunt. Dies ac menses maximeq; lunationes & annos & tempora obseruant. Nullius diei vel temporis abstinentia inter illos seruatur, nullaq; dies cæteris dignior vel celebrior reputatur. Ad cæterorum hominum societatem incommunicabiles & inamicabiles sunt, vt etiam cum eis colloquium habere dedignentur, & in ludis & vbiq; præferri volunt. Vnde cùm in eorum exercitu duo Christiani Georgiani, ab ipsis inuitati, cum duobus Tartaris luctarentur causa ludi, & duo Tartari absq; vlla læsione corporum à Georgianis ad terram essent submisi, alij Tartari de eorum prostratione supra modum indignati, frementes in Georgianos illos irruerunt, ita quòd eorum vnicuiq; brachium vnum extorquendo confregerunt.

Papa & Christiani Tartaris canes.

Ythoga Pythius.

Sol Lunæ pater.

Barbarica insolentia.

CAPVT

CAPVT LXXV.

De ipſorum cupiditate & auaritia.

TAnta verò in eis cupiditas exardeſcit, vt cùm aliquid, quod ſibi placeat, vident, ſtatim aut nimia importunitate extorqueant, aut violenter auferant ab illo, cuius eſt, velit nolit. Pecunias ſuas committunt ad vſuram, ita quòd accipiunt de decem denarijs vnum ad vſuram per menſem, poſt primum iterum decenarium de quolibet decenario decimato per vſuram iterum accipiunt vnum denariũ. Itaq; miles quidam in Georgia de quingentis * iperperis à Tartaris acceptis, per annos V. retentis, coactus fuit eis VII millia reddere pro vſuris. Quædam etiam Domina Taſtarica pro L. ouibus, quas cuidam cōmiſerat, & ille per VII. annos tenuerat, petijt ab illo pro vſuris illarum ouium iperpera VII. millia, quæ omnia ille coactus exoluerat pro vſura. Præterea ſuper tributarios ſuos aggrauant onus exactionis, vt in terra Anagh, magni videlicet cuiuſdam terræ Baronis. Primò ſiquidem Cham ſuum habet tributum ad minus XV. drachmas, ſeu * Aſperos, qui benè valent XXX. ſterelingos. Secundò Dominus ſpecialis. Tertiò Dominus prouincialis. Quartò nuncij ſolennes. Quintò frequentes, quæ ſunt eis, Xeniorum præſentationes. Poſt hoc etiam nuncij ſuperuenientes cum equorum àngarijs, quibus prouidetur in expenſis. Præterea de quolibet ruſtico laborãte accipiunt Aſperos tres, ac de quolibet boue tres, & de ſex pecoribus III. Et munera quidem benè accipiunt, ſed non ſequuntur retributiones: quia pro nullo dato alicui aliquid retribuunt, vel etiam gratis reddunt, quinpotius quæcunq; quandocunq; illis dantur, ea ſibi deberi tanquam omnium Dominis arbitrantur. Itaq; manus eorum ſemper ad accipiendum eſt porrecta, ſed ad dandum collecta. Cumq; infinitis abundent gregibus pecorum & armentorum, multumq; in eis nutriendis & multiplicandis delectentur, præ nimia tenacitate auaritiæ vix aut nunquam animal comedunt ſanum

Tartarorũ rapina

Vſura.

* Monetæ Tartaricæ genus eſt.

Immodicæ expilationes.

* Aſperi hodie quoquè Turcis in vſu ſunt, & 40. nòſtratem thal. valere aiũt

aut viuum, sed quando mortuum est, statimuè moriturum, vel mutilatum, aut aliqua molestia consimili afflictum. Deniq; cùm abundent tabernacula ipsorum, manum egeno & pauperi non porrigunt. Hoc tamen solum laudabile, quoad quid habent, quòd vbicunq; in prandio vel cœna aliquis eis superuenerit, libenter illud, quo vescuntur, ei comunicant, ac volentem secum comedere non excludunt.

Hospitalitas.

♃ Conueniunt Thracum mores apud Thucyd. lib. 2. Sanctius autem Vlpianus ff. lib. 1. de officio Proconsulis: Quantum, inquit, ad Xenia pertinet, audi, quid sentiamus. Græcum prouerbium est, οὔτι πάντα, οὔτι πάντῃ, οὔτι παρὰ πάντων.

CAPVT LXXVI.

De effrenatione eorum & luxuria.

Iactantia.

SIc autem in malitia sua effrenati sunt, vt nullatenus se debere vel posse refrenari putent à destructione, quam cœperunt. Exemplumq; tale de seipsis non verentur ponere. Nos, inquiunt, sumus quasi sagittæ de manu sagittantis emissa, quæ nunquã desistit, donec obstaculum eam repellens, & confringens inueniat. Super multitudine quoq; gentis suæ gloriantes, nullam gentem eis posse resistere innuunt, per hoc exemplum, quod in medio proponunt. Nos sumus, aiunt, vt fluuius magnus aquarum multarum, qui pro sua profunditate nimia transuadari nequit, cuius impetus inundans absorbet quæcunq; inuenit, licet à paruo fonte oriatur, & à pluribus riuulis deriuetur. Cæterum etiam minimi Garconnes eorum accipiunt & rapiunt mulieres per ciuitates eis subiectas, scilicet Georgiæ, Turquiæ, Persidis, Armeniæ maioris & minoris, exceptis etiam illis, quæ prouidentur à communitatibus ipsis. Ijdemq; Garconnes ipsorum ac nuncij quoscunq; equitantes ibidem inueniunt, si equitaturis indigent, faciunt illos de equis descendere, ac ducunt eos vbi voluerint. Oculos incontinentes penitus habent Tartari, plenos incessabilis delicti, omnibus pecudibus se indifferenter commiscent, sicut

¶ Id scilicet est, ἀλαζονοχαυνοφλυάρους agere, vt Archestratus apud Athenæum.

Impunitas rapiendi mulieres & equos.

Fœditas libidinũ.

ſicut & Sarraceni. Nam in illis ſemper viguit Sodomiæ peccatum, & in Tartaris eſt etiam diffuſum. Præterea vxores ſibi Tartari accipiunt quotquot volunt, & ſuſtentare poſſunt, nullusq; conſanguinitatis vel affinitatis gradus in eis obſeruatur. Nam vxor Tartari cùm mortua fuerit, ille omnes ſorores eius vel filias earum, ſi ſibi placeant, ſingillatim vel ſimul in vxores accipit. Perſonæ tres tantum ab eorum excluduntur matrimonio, ſcilicet mater & filia & ſoror. Omnes enim alias perſonas ſibi vel vxoribus, quas habent, vel habuerunt, aliter attinentes, ſibi liberè accipiunt vxores. Cumq; Tartarus vxorem acceperit, non reputat eam vxorem ſuam, donec ab ipſo conceperit ac pepererit. Vnde ſi ſterilis ſit, ipſe ſi vult, eam dimittit. Item maritus dotem pro vxore non recipit, donec illa ei puerum pepererit. Similiter hæc mulier à patre vel à matre donec ipſa pepererit.

πολυγαμία.

CAPVT LXXVII.

De crudelitate ipſorum & fallacia.

CRudeles adeò ſunt, vt nec ſenem reuereantur, neq; puerorum miſereantur. Effuſio ſanguinis apud eos tanquam effuſio aquæ reputatur, humanorumq; corporum proſtratio tanquam ſtercorum coaceruatio computatur. Nec ſolùm in vnam gentem, ſed etiam in Chriſtianorum & omnium aliorum hominum exardeſcunt extinctionem. Carnes humanas deuorant vt leones, tam aſſas igni quàm elixas, & hoc quandoq; cauſa neceſsitatis, quandoq; cauſa delectationis, quandoq; cauſa timoris & horroris incutiendi populis hoc audituris. Itaq; in occiſione hominum exultantes gloriantur, & in multitudine occiſorum anima eorum mirabiliter delectatur. Itaq; de rupibus homines præcipitant, alios colla ponendo ſuper lapides excerebrant, aliiſq; lapidibus ipſum terendo collum occidunt. Intrantes domos homines etiam timore mortis abſconditos, infixo cultello in corde, occidunt, & ſanguine eorum adhuc de vulneribus effluente, ſedent & comedunt ac bibunt,

Belluina ſæuitia.

ἀνθρωποφαγία.

bunt, dicentes, iterumq; percutientes: Ecce modo iacetis hîc vos inimici noſtri. Multa quoq; in eis eſt doloſitas, fallacia & mendacitas. Vnde cùm ante munitionem aliquam obſidentes longo tempore ſtant, blandè loquuntur obſeſſis, multaq; illis promittunt, vt ſe in manus eorum tradant. Et ſiquidem illi ſe reddiderint eis, dicunt illis: Exite ad nos, vt ſecundum morem noſtrum numeremus vos. Cumq; ad eos exeunt, quos comperiunt eſſe artifices, ſibi reſeruant, alios autem omnes præter illos, quos ſibi pro ſeruis retinere volunt, cum lapidibus ſuper lapide excerebrant. In bellis etiam quoſcunq; capiunt, occidunt, niſi fortè aliquos obſeruare velint, vt illos in ſeruitute ſemper teneant. Occidendos autem per centenarios diuidunt, vt cum bipenni ab eis interficiantur. Ipſi verò diuidunt hos per captiuos, & vnicuiq; ſeruo ad interficiendum dant X. vel plures vel pauciores, ſecundum quod maioribus placet. Deniq; ſi aliquid promiſerint illis, qui ſe reddiderunt, nihil obſeruant, ſed quaſcunq; poſſunt occaſiones contra eos quærunt & opponunt. Hoc itaq; ſemper in eis oportet attendere, quod ſæpius fraudulentia doloq; magis pugnant quàm fortitudine.

Perfidia.

CAPVT LXXVIII.

De victu eorum.

Sordes in victu.

PORrò in victu ſunt homines immundiſsimi atq; ſpurciſsimi. Neq; enim menſalibus nec manutergijs vtuntur, nec panem habent vel curant, ſed quidam etiam ipſum comedere dedignantur. Olera quoq; vel legumina non habent, nec aliquid aliud quàm carnes, vt comedant. De quibus etiam tam paucas manducant, quòd aliæ nationes vix inde viuere poſſent. Porrò omne carnium genus præterquam mulæ, quia non gignit, comedunt, & hoc turpiſsimè rapaciterq;, tangentes pinguia digitos ſuos lambunt, & ocreis ſuis tergunt. Solent tamen maiores aliquos habere panniculos, cum quibus ad vltimum tergunt. Manus comeſturi

comesturi non lauant, nec postea scutellas. Et si aliquando eas brodeo carnium abluunt, iterum loturam cum carnibus in olla reponunt. Aliter etiam non lauant ollas vel cochlearia vel alia huiusmodi vasa. In carnibus autē equinis plus delectantur quàm in alijs. Catos etiam & canes edunt, & catos libentissimè comedunt. Vinum libentissimè bibunt, quando habere possunt. Lacte iumentino, quod ipsi Kamaus vocant, quotidie, sicut & homines cæteri vino forti se inebriant. Cumq; Calendas aut festiuitates sacrorum suorum celebrant, cantui vel potius vlulatuli atq; potationibus vacant. Et quamdiu potationes huiusmodi durant, nulli negotio intendunt, nullumq; nuncium expediunt. Quod & Fratres ordinis Prædicatorum, qui ad illos à Papa missi sunt, in eodem exercitu commorantes per VI. dies continuos, probauerunt. Carnes autem humanas deuorant vt Leones, assas igni & elixas comedentes. Cumq; capiunt aliquem sibi contrarium & inimicum valdè, conueniunt in vnum locum comesturi eum in vltionem rebellionis sibi factæ, sanguinem eius auidè sugentes velut sanguisugæ infernales. Deniq; cùm eis victualia deficerent in obsidione cuiusdam vrbis Kimorum, de decem hominibus accipiebatur vnus ad manducandum. Pediculos etiam comedunt, vxor viri, & amicus amici de capite vel aliunde illos extrahentes atq; dicentes, vtinam sic possim facere de inimicis domini mei hîc astantis. Apud ipsos autem est peccatum magnum, si aliquid de cibo vel potu perire permittunt. Ideoq; ossa, nisi prius extrahatur medulla, dari canibus non permittunt.

ἱπποφαγία. *Symposia in sacris.* *Immanitas in captiuos.* *Φθειροφαγία.*

CAPVT LXXIX.
De habitu illorum.

Habitus autem eorum communis & solennis est talis. Capillos habent omnes, cuiuscunq; coloris sint, qui non sunt profundi in se, sed quasi Laicorum mitræ super capita iacent planè. In posteriori verò parte extentam

Ornatus capillorū.

nn habent

habent caudam ad vnius palmæ longitudinem, & in latitudine tantundem, & etiam in cauda dilatantur aliquantulum in maiorem. Oræ capillorum ipsorum in anteriori parte & in lateribus habent quandam reflexionem extra ad grossitudinem digiti, sed non in parte posteriori. Duæ quoq; ligaturæ in eisdem oris supra aures insutæ sunt, quibus sub mento colligatis, capellum inhærere capiti faciunt, ac ne à vento vel aliquo alio euellatur, infigunt vel imprimunt. Super has quoq; ligaturas duæ sunt ligulæ paruæ volatiles ad decorem, siue potius ad terrorem. Huiusmodi ergò forma capellorũ est Tartaris, omnibusq;, quotquot sunt cum eis. *Habitus.* Habitus autem Tartaricus, quo totum corpus eorum super induitur, exceptis bracis, in pluribus est nigri coloris. In latere sinistro, antequam induatur, diuisus est & apertus, ab vmbilico & suprà in anteriori parte æqualiter à latere in latus se extendens, & inferius vltra genua non descendens. In parte posteriori descendit plus aliquantulũ quàm in anteriori, non extensus vltra costas, vel dilatatus, ac vsq; ad humeros retrò suprà extensus duabus ligulis latitudinis trium digitorum, insutis super humeros parti posteriori, & inferius rectè descendentibus, partiq; anteriori per vmbilicum, à latere in latus se æqualiter extendentes, insuuntur. Ab ipso autem indumento nec brachia nec latera nec pectus nec aliqua anterior pars ab vmbilico & suprà, exceptis duabus ligulis, sunt cooperta. Quidam etiam ipsorum supra dispositionem prædictam in duobus lateribus habent fissuram. Hæc est forma specialis indumenti, quo à cæteris hominibus discernuntur Tartari. *Armatura.* Armati sunt autem corijs, superpositis lamnis ferreis coniunctis, lamnisq; vel corio brachia cooperiunt superius sed non inferius. Cùm autem sagittas arcu traijciunt, dextrum brachium à tota armatura exuunt, factoq; tractu reinduunt. Hac vtuntur tantummodo Barones ac pugnatorum Duces, eorumq; signiferi & Cunestabuli. Vnde nõ creditur decima pars ipsorum eam habere, aut ipsam deferre. Capellos habent de corio multiplicato ad modum

modum

modum patellulæ, gladiosq; paruos, vt Sarraceni, longitudinis vnius brachij & vnius incisionis seu cæsuræ. Cultellis nesciunt pugnare, nec portant illos apertè. Non vtuntur scutis, paucissimi quoq; vtuntur lanceis. Cùm autem vtuntur eis, à latere percutiunt ex ipsis, vinculo in summitate lanceæ ligato, & in brachio ipsam portant. Quidam autem vncos habent in fine lancearum. Super omnia verò innituntur arcubus & sagittis & cursu equorum.

CAPVT LXXX.

Qualiter in pugna se habent.

IN bellis etiam astutissimi sunt: quia iam per LXXX. annos & amplius cum cæteris gentibus, vt dicitur, dimicauerunt. Licet etiam superius dictum sit, quòd in anno Domini M. CC. II. iuxta quosdam de terra sua eggressi sunt. Quidam tamen dicunt, quòd citius exierunt, & fortassis āte illum exitum vltimum multis iam annis pugnauerant, in quibus & Domini sui terram & alias propinquas regiones vastauerunt, ita quòd à terra sua non ex toto recesserant. Cùm autem ad bellum ire volunt, cursores præmittunt, qui secum nihil præter filtra sua deferunt. Et hi quidem nihil rapiunt, domos non comburunt, bestias non occidunt, sed homines tantùm vulnerant, aut perimunt, si possunt, vel saltem in fugam mittunt. Nihilominus autem principes exercitus ex omni parte mittunt prædones, & post hoc ad inueniendum homines ac iumenta mittunt alios, qui valdè sunt ad quærendum sagaces. Cùm autem vident hostes, vadunt ad eos, & vnusquisq; iacit tres sagittas, vel quatuor contra sibi oppositos, & si superare nō possunt eos, regrediuntur ad suos. Hoc autem in fraudem faciunt, vt aduersarij sequantur illos ad loca, in quibus insidias posuerunt. Tunc enim illos circundant, & vulnerant & occidunt. Porrò si magnum contra se exercitum vident, aliquando per vnam dietam vel duas ab eo diuertunt, aliamq; terræ partem inuadunt, & homines interficiunt, terramq;

Vsus rei militaris.

Consuetudo bella gerendi.

vastantes destruunt, ac si nec hoc quidem facere possunt, ad X. vel XII. dietas retrocedunt. Aliquando etiam in loco tuto morantur, donec aduersariorum exercitus separetur, & tunc furtim veniunt, subitoq; totam terram depopulantes irruunt. Deniq; sicut dictum est suprà, non tam viribus pugnant, quàm dolo & fallacia. Cùm itaq; volunt ad pugnam accedere, acies ordinant, Ducesq; vel principes bellum non intrant, sed à longe contrà stant. Iuxta se verò pueros & mulieres in equis habent, & aliquando etiam super equos ponunt imagines hominũ, vt credatur esse multitudo magna bellantium. Contra faciem hostium vnam aciem captiuorum suorum transmittunt, & alias fortiorum hominum acies ad dextram & ad sinistram mittunt, vt aduersarij illas non videant, sicq; illos circundant, & in medium colligunt, & ex omni parte pugnare incipiunt. Si fortè aduersarij fortiter pugnant, faciunt eis *viam vt* fugiant, moxq; vbi fugientes ab inuicem separati sunt, insequuntur illos, pluresq; tunc in fuga, quam in bello possent, occidunt. Itaq; nunquam libenter congrediuntur, si aliud possunt, sed homines equosq; sagittantes vulnerant & occidunt. Cumq; tam homines quàm equi debilitati sunt sagittis, tunc facilè congrediuntur cum eis.

Alia confligendi cum hoste.

CAPVT LXXXI.

Qualiter regiones inuadere solent.

Incursiones hostiles.

CVm autem inuadere pergunt aliquam regionem, in vnum ordinem procedentes ante faciem suam occupant terræ altitudinem, & situm, in quo positus est, vnusquisq; tenet, nec ad dextram vel sinistram diuertere partem audet. Itaq; regionẽ illam ingressuri, & accepturi, omnes de nocte ad montes circumadiacentes ascendunt. Et mane facto, cursarios ad planiciem, de quibus suprà dictum est; præmittunt. Illi verò de planicie cursarios euitare nitentes, fugiunt ad montes, vbi se saluare posse credunt, statimq; occiduntur à Tartaris, ibidem latentibus, & ad ipsos descen-

descendentibus. Itaq; qui volunt regiones suas ab illorum inuasione seruare, debent contra illos homines ad pugnam priusquam ipsi per terram incipiant diffundi, mittere. Postquam enim spargi per aliquam terram incipiunt, nullus iam congruè de terra illa potest alteri auxilium præbere: quoniam ipsi cateruatim homines quærunt, & occidunt. Et sic quidem se in castris includunt Tartari. Tria vel quatuor millia hominum aut plures circa munitionẽ, qui eam obsideant, ponunt, ibiq; nihilominus per terram ad hominum occisionem se diffundunt. Tales etiam qui se munitionibus includunt, porcos suos incarceratos esse dicunt, magisq; de talibus quàm de alijs securi sunt & gaudent: quia iam illos esse suos asserunt. Cùm autem inimicis ad pugnam occurrunt, primis currentibus terminos vltra quos non gradiuntur, ponunt. Similiter faciunt etiam secundis ac tertijs & omnibus alijs. Iterumq; quando refugiunt, termini sunt eis positi, vltra quos nullatenus fugiant. Cùm enim aduersariorum fortitudini se præualere posse non credunt, ante illos fugiunt, & quasi se ab illis fugati faciunt. Cumq; illi armati Tartaros inermes diu insecuti fuerint, ac præ grauitate armorum & viæ longitudine lassati iam non amplius sequi potuerint, tunc Tartari super equos recentes ascendentes, se super illos conuertunt, & in eos & capiendo & occidendo insiliunt. Aliquando etiam fugiendo cedunt eis, vt eis locum inter ipsos intrantibus faciant, ipsiq; se dispergunt & dilatant, vt ita dispersi ad sibilum vel clamorem vnius in vnum congregati, hostes vndiq; circumcingant & conterant. In omnibus autem terris, quas destruunt Tartari, semper sequitur fames.

Obsessi Tartaris vincti porci.

Insidiosa eorundem fuga.

CAPVT LXXXII.

Qualiter munitiones obsident.

PORro cùm aliquam munitionem obsident, vndiq; illam, ne quis ingredi vel egredi possit, circumdant,

fortissimeq; machinis & sagittis impugnant. Nec die vel nocte à prælio cessant, vt illi, qui sunt in munitione, non quiescant. Ipsi tamen Tartari vicissim quiescunt: quia ne nimis fatigentur, acies diuidunt, ita quòd vna succedit alteri in pugna. Proijciunt etiam ignem Græcum, & aruinam hominum, quos occidunt, ipsam liquefactam super domos proijciunt, & vbicunq; super illam pinguedinē venit ignis, ardet velut inextinguibilis. Extingui tamen potest vini aut cereuisiæ superfusione. Et si super carnem ceciderit, extinguitur manus confricatione. Cùm autem hoc modo vi præualere nō possunt, introitum munitionis vel fontes aut etiam fluuium obstruunt, vel fluuium deriuando illam submergunt. Alioquin munitionem suffodiunt, & armati sub terra ingrediuntur. Vnaq; pars cum hominibus intra munitionem pugnat, altera verò pars ignem apponit, vt comburatur. Si verò nec sic præualent, ante munitionem sedent, suamq; munitionem contra illam faciunt, ne grauentur ab illis fortasse iaculis aut sagittis. Et aliquando stant ante munitionem per multa tempora, scilicet per XII. annos & amplius, sicut vidit Frater Iohannes de Planocarpi in Alania. Porro quando obsidentes castrum vel vrbem, habitantibus in ea se præualere non posse vident, non longè ab illa fugiunt, & aliquantulum latitant. Cumq; obsessi eos longè recessisse, vel etiam omninò à finibus illis abscessisse, credunt, tunc quasi securi munitionem aperiunt, at illi statim in eos irruunt, vrbemq; vel castrum accipiunt. Ciuitatem etiam centum portarum in Perside, quæ vocatur Sapham, non sua virtute, sed aquarum inundatione, quas illuc deriuari fecerunt, acceperunt. Sic quoq; multas terras plus fraudulentia vel ingenio quàm viribus acceperunt.

Ignis Græcus.

Pinguedo humāa fomentū incendiorū.

Diuturnæ obsidiones

Sapha ἑκατόμπυλος.

¶ *Infrà cap. 89.*

CAPVT LXXXIII.

Qualiter erga captos vel deditos se habent.

Vt au-

VT autem superius iam dictum est, blandè loquuntur obsessis, multaq; fallaciter, vt in eorum manus se tradant, promittunt eis. Cùm illi se reddiderint, vel capti fuerint, omnes occidunt, exceptis artificibus, quos ad opera sua reseruant, vel si quos alios retinere pro seruis acceptant. Nobilibus & honestis hominibus nunquã parcunt, & si fortè aliquos casu reseruant ex illis, nec prece nec precio vlterius de captiuitate exire permittunt. Occidendos autem, vt dictum est suprà, per centenarios diuidunt. Cumq; homines de obsesso castro tanquam sibi repugnantes occiderunt, in signum victoriæ ac gloriæ, certitudinisq; numeri occisorum, atq; ad terrorem cæteris hominibus incutiendum, vnum ex illis quasi millenarium in aliquem locum excelsum & eminentem erigunt, capite subuerso, pedibus erectis, alijs hominibus occisis iacentibus in terra ꝓstratis. Itaq; cùm cepissent, vt dictum est, Drubaldi ciuitatem in Perside, ad suæ crudelitatis ostensionem, & auditeris incutiendum timorem, omnibus habitatoribus illius decapitatis, aures rebellium sibi iam mortuorũ absciderunt, duosq; summarios oneratos auribus in aceto positis ad Cham transmiserunt. Deniq; cum nullis hominibus pacem faciunt, nisi eis subijciantur, sicut antiquum Chingischam apud eos præceptum habetur. Hæc sunt autem, quæ ab illis petunt, qui eis se subijciunt, videlicet vt cum eis contra omnem hominem in exercitum vadant, & vt de omnibus tam de hominibus quàm de alijs rebus decimam illis reddant. Vidit etiam Frater Iohannes de Planocarpi supradictus, scilicet de ordine Fratrum minorum, quendam in Rusia Sarracenum ex parte Cham missum, qui de tribus pueris vnum petebat, secumq; ducebat. Similiter etiam ducebat viros, qui vxoribus carebant, & mulieres, quæ viros non habebant. Præcipiebat nihilominus, vt vnusquisq; quantumcunq; etiam paruus puer diei vnius, vel quantumcunq; pauper siue mendicus, pro tributo solueret vnam pellem vrsi albi vel nigri, & vnum castorem nigrum, vel aliquid tale, quod tantundem valeret. Principes

Punica fides.

Trophæũ barbaricũ

πόλεμ⊙ ἄσπονδος.

Insolentia aduersus proceres. δωροδοκία.

autem eis subiecti cùm ad illos veniunt, habentur vt aliæ viles personæ, nec vllum ab eis honorem accipiunt. Oportet etiam vt eis munera magna præsentent, præcipueq; Ducibus & vxoribus eorum & officialibus millenarijs ac centenarijs. Quinetiam non solùm ipsi, sed eorum quoq; serui valde importunè petunt ab eis, & à nuncijs, quando mittuntur ab ipsis. Aliquibus inueniunt occasiones, vt eos occidant, & aliquos veneno vel potionibus perimunt, vt ipsi soli in terra dominium habeant. Itaq; quos sub tyrannidem suã redigunt, confringunt & atterunt, terribilibus oculis intuentes ac dentibus infrementes in eos, quos subiugare non possunt.

CAPVT LXXXIIII.

De Sclauis eorum.

Conditio mancipiorum.

TVrcos & Salimanos, id est Sarracenos & Comanos, & etiam Tartaros seruos suos & Christianos, ad se de diuersis locis adductos, quos in bellis sibi mediante gladio acquisiuerunt, Sclauos suos faciunt. Quos & nudos, & in penuria victus extrema penè spiritus exalantes, verberant etiam & affligunt, prout volunt. Eosdem etiam sine caussa, si eis placet, occidunt. Ritus autem Christianos, & quaslibet sectas, & quorumlibet hominum cultus, securè & liberè obseruari permittunt inter se. Et vbicunq; etiam dominantur, nec curant de quorumlibet hominum consuetudinibus, dummodo sicut ipsi præcipiunt, in omnibus eisdem seruiatur. Itaq; Mahometi lex in eorum exercitu à Sarracenis quotidie quinquies palàm, omnibus audientibus, proclamatur, & etiam per omnes ciuitates, in quibus ipsi Sarraceni habitant, & qui eorum dominio subiugantur. Ipsi quoq; Sarraceni in exercitu eorum, & in omnibus eorum ciuitatibus, ad perfidiam suam nefandam exhortantur & attrahunt homines ac peruertunt, vt errorem eorum sequantur. Sunt etiam mulieres plurimæ inter eos captiuæ. Nam præter artifices operum, quos sibi vtiles æstimant,

Libertas omniũ religionum.

æstimant, & ideo de ciuitatibus captis illos in perpetuam seruitutem sibi reseruant, mulieres quoq; iuuenculas virgines aut coniugatas captas sibi focarias faciunt, easq; in nuditate & extrema famis penuria seruire cogunt. Hominum quoq; decimas, vt dictum est, accipiunt, & ipsos in seruitutem redigunt. Decem enim pueros computant, & vnum accipiunt, & de puellis idem faciunt. Quos omnes ducunt in terram suam, & in seruitutem tenent perpetuã. Quidam etiam viuentes vnum de Sclauis suis eligunt, vt in tumulo ipsorum viuus ponatur cum eis, quando in morte sepeliendi sunt. Deniq; adeò subiectis suis odiosi sunt, vt etiam multi, qui cum eis in exercitu sunt, si haberent fiduciam, quòd nostri eos non occiderent, ex omni parte contra illos pugnarent, sicut ipsimet Fratri Iohanni suprà dicto dixerunt. *Decimæ captiuorũ*

CAPVT LXXXV.
De mulieribus eorum.

TArtareæ autem mulieres turpissimæ sunt, vxoratæ quidem omnes super capita sua deferunt canistrum longitudinis vnius pedis, ac ferè dimidij, vndiq; rotundũ, & in parte superiori latius, coopertum & ornatum vndiq; serico, vel samite, atq; margaritis & monilibus circundatum, oculis pauonum infixis desuper ad decorem. Habent etiam frena phalerata & inargentata & inaurata, atq; in pectoralibus campanulas infixas, magnum emittentes sonitum ad gloriam earum & decorem. Palefridos equitant magnos & pingues. Habentq; cambucas de corio, diuersis coloribꝰ depicto, cum auro multo inserto, ex vtroq; equi latere dependentes. Virgines autem & non vxoratæ de facili discerni non possunt à viris: quoniam in omnibus maximeq; in habitu ac gestu vniformes sunt illis. Vxores autem magnorum Baronum omnes indutæ sunt samitis, vel purpuris deauratis, sicut & mariti earum. Communiter autem aliæ mulieres boquiranno stricto, sub cin- *Sexus fœminei habitus.*

gulo multis plicis sumtuosis operato & insuto, omnes vestiuntur, quod antè in se totum vnum continuum, postquā indutum est, in sinistro latere cum quatuor vel quinq; nodulis clauditur vel firmatur. Habent etiam alia indumenta de panno laneo albo communiter omnes Tartari, quo se induunt desuper in tempore pluuiali vel etiam hyemali. Et viri quidem earum, exceptis sagittis, omninò nihil operantur, sed exercentes se ad sagittandum venantur, & inter se luctantur. De gregibus etiam aliquantulū habent curam. Equos valde custodiunt, imò etiam rerum omnium maximi conseruatores sunt. Porro mulieres o-

Operæ. pera diuersa faciunt operantes, scilicet pellicia, vestes, calceos, ocreas & omnia quæ de corio fiunt. Currus etiam ducunt & reparant. Camelos onerant, & aliquæ sicut viri sagittant, femoralibus etiam omnes vtuntur sicut & viri. Sunt etiam aliæ velocissimæ, & in omnibus operibus suis strenuæ. Virgines & omnes mulieres equitant, pharetras & arcus portant. In equis quoq; sicut & viri agiliter currunt, & vtræq; multum in equitando laborare possunt.

CAPVT LXXXVI.

De morte & sepultura eorum.

Ritus funebris. CVm aliquis eorum ad mortem infirmatur, hasta vna in eius statione erigitur, & circa illam filtrum nigrum circumuoluitur. Extunc nullus audet intrare terminos stationis illius: cumq; fuerit mortuus, si de minoribus est, occultè in campis sepelitur cum vno tentorio suo sedendo in medio eius, ponuntq; mensam ante illum, & alueolum carnibus plenum, & lactis iumentini scyphum. Sepelitur etiam cum eo iumentum vnum cum pullo, & equus cum sella & freno, alium autem comedunt, & cum stramine corium eius implentes super duo ligna vel quatuor in alto ponunt, quæ omnia faciunt pro mortuo, vt habeat tentorium & etiam iumentum in alio mundo, de quo scilicet iumento lac habere possit, & equos sibi multiplicare, in quibus

bus tunc valeat equitare, ossaq; illius equi, quem comedunt, pro anima eius comburunt. Vnde conueniunt mulieres ad ossa comburenda pro animabus ipsorum mortuorum. Si verò diues & magnus homo fuerit Tartarus, qui moritur, cum habitu preciosissimo sepelitur, ac remotius ab omnibus in abscondito loco, ne habitu suo spolietur. Amici quoq; ipsius equum eius à capite incipientes vsq; ad caudam excoriãt, & corrigiam inde latitudinis paruæ primò secundum longitudinem illam excindunt, deinde totam equi pellem extrahentes palea implent, & in memoriale mortui habendo, contum per equi fundamentũ vsq; ad collum figunt, ipsumq; hinc & inde supra duas furcas eleuatum suspendunt. Porrò carnes equi quasi pro animæ illius suffragio, vt dictum est, comedunt, & planctum super mortuo quidam per XXX. dies, quidam plus, quidam minus faciunt. Magni quoq; Barones, vt dictum est, antequam moriantur, vnum sibi de Sclauis suis eligunt, quem signo quodam suo signantes quando moriuntur, viuum poni secum in tumulo suo faciunt. Sunt & alij Tartari quidam inter alios Christiani quidem sed pessimi, quorũ filij cùm patres suos senescere vident, ac tædio senectutis aggrauari, dant eis comedere pinguia quædam, vt caudas arietum & huiusmodi, quibus oppressi de facili valeant suffocari. Cumq; sic mortui fuerint, corpora eorum comburunt, ac puluerem eorum colligentes quasi preciosum quiddam custodiunt. Indeq; quotidie quando comedunt, cibaria sua ex hoc puluere spargunt. *Impietas in parentes.*

CAPVT LXXXVII.

De nationibus, quas Tartari post necem Domini sui subiugârunt.

REge itaq; Dauid cum omnibus suis necato, vt prædictum est, à Tartaris, Chingischam cæteriq; Tartari de perpetratis supra modum gloriantes flagitijs, in tantam amentiæ exarserunt superbiam, vt instigante Diabolo, *Tartarorum incrementa.*

conciperent animo, ſicut Domini ſui terram, ita tum paulatim mundum ſuo ſubiugare dominio. Animati namq; ſuper obtenta victoria de Indis, Deo permittente, regis Dauid & populi ſui exigentibus peccatis, iuuenibus, fortibus & bellicoſis viris ſecum retentis, & in ſeruitutem ſuam redactis, circumadiacentes regiones cœperunt paulatim inuadere & expugnare, tandemq; ſuo dominio penitus ſubiugare. Sicq; qui à principio pauperes & abiecti Sclaui & tributarij terram regis Indiæ inuaſerunt, ſuperordinante Dei iudicio, multorumq; populorum peccatis exigentibus, in auro, argento & poſſeſsionibus animalium ac multitudine ſeruientiũ diuites facti, ac ferè ſuper omnia colla Orientalium nationum domini effecti ſunt. Siquidem nulli hominum cedentes à Tartaria ferè vſq; ad ortum Solis, & ab ortu Solis vſq; ad mare mediterraneum dilatati ſunt, & immumerabilia regna ſuo dominio ſubiecerunt. In omnibus autem terris, quæ ab eis deſtruuntur, ſtatim fames valida ſequitur; ſicut poſtea per exempla manifeſtabitur. Plurimis itaq; terris in ſeruitutem eorum redactis, quædam viriliter reſtiterunt eis, videlicet India magna, & quædam magna pars Alanorum, & quædam magna pars Kitorum & gens Saxorum. Quandam enim eorum ciuitatem Tartari obſederunt, ſed eis præualere non potuerunt. Et reuera Tartari non parum timidi ſunt erga illos, qui eis fortiter reſiſtunt, nec vnquam inſiliunt in homines conſtantes, ſeq; viriliter defendentes atq; repugnantes, ſed virtus eorum eſt contra fugientes. Itaq; ſuper omnes populos timent Francos. Sic enim ipſi & omnes transmarini, largè ſumpto vocabulo, nominant omnes Chriſtianos. Vnde Fratres Prædicatores, à Papa miſsi ad eos, cùm veniſſent in exercitum eorum, timuerunt ipſi Tartari valdè, dicebantq; per exercitum, quòd Franci veniebant: quia ſequentes Fratres iam in media Turquia erant. Deniq; vbicunq; poteſtatem habent, Francos in ſolidis, id eſt, ſtipendijs recipi prohibent. Quantum verò odiunt Tartaros Sarraceni & Georgiani & Armeni, cæteriq;

India magna. *Alani.* *Saxi.*

Chriſtiani Tartaris & Orientalibus Franci.

riq; populi, qui eis tributariè seruiunt, nulli dubium est, Fratribusq; prædictis ipsimet eorum afflictione & miseria restricti retulerunt.

CAPVT LXXXVIII.

Qualiter Corasminos destruentes fugauerunt.

ITaq; post victoriam de Indis, vt prædictum est, erigentes ceruicem superbiæ, ac de totius mundi subiectione præsumentes, ad Corasminos transmiserunt primos nuncios tanquam ad sibi propinquiores, arroganter eis mandantes, quatenus Chingischā & eius exercitui humiliter obedirent, eiq; seruitium perpetuum cum tributo impenderent. At verò Corasmini super mandatione sibi facta quā plurimum indignati, prædictos nuncios omnes fecerunt interfici. Tartari ergo super illorum occisione supra modum indignati & turbati, & congregata multitudine magna Tartarorum, eorumq; qui eis voluntarij vel inuiti se iunxerant, terram Corasminorum inuaserunt, quotquot inuenire potuerunt ex eis gladio prosternentes, omnesq; alios tanquam exules & profugos de finibus illis penitus effugantes. Itaq; Corasmini persecutionem eorum declinantes fugerunt, & in fines se Persidis, maximeq; in ciuitatem Georgiæ (a) Trifelis effuderunt, vbi & VII. millia hominum occiderunt. Postmodum verò cùm in fines illos Tartari superuenerunt, iterum Corasmini fugientes, ad tempus in terra Soldani Turquiæ latuerunt. Postea verò à Soldano Babyloniæ, domino AEgypti, inuitati atq; conducti in regnū Hierosolymitanū venientes, & Christianos debellantes, ante Gazam ciuitatem magnam Francorum multitudinem, Domino permittente, prostrauerunt, & gloriosum Domini nostri sepulcrum destruxerunt, atq; intra & extra sanctam ciuitatem Christianos quàm plurimos occiderunt. Quod factum est anno Domini M. CC. XLIIII. sicut infrà dicetur in loco suo. Qui scilicet Corasmini,

Corasmini necant legatos Tartarorum.

Aguntur extorres.

Vexant Christianos.

postquam Deo permittente tantum facinus & impietatem commiserunt, tandem ipso Domino disponente iam ferè omnes ad nihilum redacti sunt.

(a) Cedreno pag. 636. τιφλις, hodie Tiflis, fraudibus Mustaphæ Bassæ Turcicæ ditionis facta, vt Francisci Billerbegi epistola.

CAPVT LXXXIX.

De destructione Persarum.

VBi autem Tartari Persidem inuaserunt, ciuitatem in ea C. portarum, quæ vocatur Sapham, acceperunt, non quidem virtute sua, sed aquarum inundatione, quas illuc deriuari fecerunt. Porrò ad suæ crudelitatis ostensionem, & ad incutiendum audituris timorem, cùm accepissent quandam in ea ciuitatem fortem, Drubaldi vocatam, in pede montium Caspiorum, habitatoribus inuitis, illis omnibus decapitatis, aures rebellium sibi iam mortuorum absciderunt, duosq; summarios eisdem auribus in aceto positis oneratos ad Cham transmiserunt. Quia verò de montibus Caspijs hîc facta est mentio, hic vnũ, quod in dubium mihi venit, inserere volo. Cùm enim dicant historiæ nostræ scholasticæ, quòd Alexander Magnus, rex Macedonum, oratione impetrauit à Domino reclusionem Iudæorum inter montes Caspios, ipsosq; circa finem mundi prædicent exituros, Fratres nostri scilicet ordinis Prædicatorum in Georgia ciuitate Triphelis, quæ prope montes Caspios est, per VII. annos commorati, diligenter à Georgianis & à Persis, & etiam à Iudæis de inclusione illa inquisierunt, & dicunt omnes, etiam ipsi Iudæi, quòd nihil penitus inde sciunt, nec vnquam istud in suis historijs inuenerunt. Hoc autem scriptum habent tantummodo, quòd Alexander ille quosdam homines immundos & horribiles prope montes Caspios habitantes, qui alios homines & etiam se inuicem comedebant, intra montes illos habitari coëgit, & etiam ibi portas extrui fecit, quæ videlicet adhuc portæ Alexan-

¶ *De eadem historia suprà cap. 83.*

Fabula de Iudæis ad Caspios montes cõclusis refutata.

Alexandri dictæ sunt. Vnamq; illarum Tartari confregerunt. Cæterum de reclusione hominum in montibus illis nihil aliud reperitur veritatis in illis locis.

LIBRI XXXI.

CAPVT LXXIX.

De Passagio generali peregrinorum transmarino, & primo de eorum equitatu.

Ex historia Captionis Damiatæ.

ANno gratiæ M. CC. XVII. treuga Christianorum & Sarracenorum expirante, in primo Passagio generali post concilium Lateranense congregatus est exercitus Domini in Achon copiosus cum tribus Regibus, scilicet Hierusalem & Hungariæ & Cypri. Affuit Dux Austriæ & Bauariæ, magnaq; militia regni Teutonici, Archiepiscopus quoq; Nichosiēsis & alij plures Episcopi peregrini, & cum eis Dominus Galterus de Aninijs. Itaq; Patriarcha Hierosolymitanus cum magna humilitate Cleri & populi tollens reuerenter viuificæ crucis lignum, profectus est ad Achon in castra Domini, quod videlicet lignum post terræ sanctæ perditionem ad hæc tempora fuit reseruatum. Imminente siquidem conflictu Sarracenorum cum Christianis tempore Salahadini crux secta fuit, cuius pars ad prælium delata ibidem est perdita, alia verò pars reseruata, quæ tunc exhibetur. Itaq; cum tali vexillo aciebus ordinatis processimus per planum Fabæ vsq; ad fontem Tubaniæ, multum laborantes illo die, & præmissis exploratoribus, videntes ab aduersarijs puluerem concitari, vtrum contra nos aufugiendo properarent, eramus incerti. Igitur sequenti die per montes Gelboë, quos habuimus ad dextram, & paludem ad sinistram, profecti sumus Beniasam, vbi castra fixerat aduersarius. Sed metuens tam ordinatè proceden-

Expeditio trium Regum in Barbaros.

Crux Christi dissecta

Barbarorum fuga. procedentis, & tam copiosè Dei viuentis exercitus aduentum, tentoria tollens & fugiens terram vastandam Christi militibus dereliquit. Vnde Iordanem transeuntes in vigilia sancti Martini, corpora lauimus pacificè in eo, & quieuimus per biduum ibidem, copiam victualium & pabuli reperientes. Deinde super littus maris Galilææ tres *Christiani perlustrāt loca sancta.* fecimus mansiones, peragrantes loca, in quibus mirabilia Saluator noster operari dignatus, corporali præsentia cum hominibus conuersatus est. Aspeximus Bethsaidam, ciuitatem Andreæ & Petri, tunc ad Thessalæ modicum redactum: demonstrata sunt loca, vbi Christus discipulos vocauit, supra mare siccis pedibus ambulauit, turbas pauit in deserto, montem ascendit orare, & locus vbi cum discipulis post resurrectionem manducauit. Et sic per Capharnaum infirmos nostros pauperes in iumentis portantes, reuersi sumus Achon.

CAPVT LXXX.

De secundo equitatu.

Thabor mons. IN secundo equitatu adiuimus pedem montis Thabor. Primò aquarum inopiam, postmodum per defossionem copiam inuenientes, desperabant capitanei nostri de montis ascensu, donec puero Sarraceno nunciante castrum fore compræhensibile, consilium inierunt. Prima verò Dominica Aduentus Domini, cùm legeretur in Euangelio: Ite in castellum, quod contra vos est, Patriarcha præcessit cum signo crucis, Episcopis & Clero per cliuum montis orantibus & psallentibus. Et licet præruptus sit mons vbiq; in excelsis, & quasi impossibilis ad ascendendū extra semitam tritam, milites tamen & satellites, equites & pedites viriliter ascenderunt. *Ioannes rex Hierosol.* Iohannes quidem rex Hierusalem cum militia Domini castellanum strauit, & Admiraldum vnum primo impetu Defensores autem castri, qui extra portas ad defendendum montem intrepidi hostibus occurrerant, conuersi sunt in stuporem. Sic verò inclusis hostibus infra castrum,

castrum, turpiter reges Hierusalem & Cypri, & Magister hospitalis & Barones in partem montis, ad deliberandum quid facerent, secesserunt. Nobilis verò Dux Austriæ huic deliberationi non interfuit, quia ex altera parte montis incredulos impugnabat, & ad nos, qui in summitate montis eramus, ascendere de facili non valebat, nec Magister templi, quia infirmus remansit in Achon. Cùm vero in deliberatione prædicta morari an recedere expediret, per ordinem quæreretur, dixit Frater G. de monte acuto, Magister hospitalis, quod videbatur ei bonum, quatenus pars exercitus ad castra custodienda descéderet, & pars in loco, vbi eramus, ad obsidendum castrum remaneret, & ordinaretur obsidio: quia videbatur, quod castrum in breui nobis à Domino redderetur, maximè cùm de plano ad muros sine offendiculo possemus accedere, petrarias erigere, & alia facere, quæ ad munitionem sunt necessaria capienda, & ipse libenter cum fratribus remanebat. Econtra verò quidam dicebant, & maximè Comes Tripolis Beamundus, quòd non erat bonum in nocte illa in monte exercitum Domini morari. In diuisione enim exercitus videbant periculum manifestum. Qua fide autem Comes illud consuluerit, & obsidionem impedierit, nouit Deus. Ipsa autem Dominica descendit de monte exercitus inglorius, & per indultum spacium incredulos animauit. Multi autē Templarij & Hospitalarij, & quidam seculares, in secundo montis ascensu, quando castrenses vires acceperant, vulnerati sunt, & de vulneribus interfecti. Credimus autem, Christum Deum sibi soli hunc triumphum montis reseruasse, qui cum paucis discipulis ipsum ascendit, gloriam futuræ resurrectionis ibidem demonstrando. Porrò in primo & secundo equitatu maximam multitudinem captiuorum virorum & mulierum ac paruulorum Christiani secum duxerunt, ex quibus plures fuerunt in CHRISTI nomine baptizati.

Intempestiua consultatio.

Boëmundus Comes Tripol.

Christianorū clades.

CAPVT LXXXI.

De tertio equitatu.

IN tertio equitatu non interfuit Patriarcha cum signo crucis, interfuerunt autem plures Episcopi: in quo multa damna sustinuimus, tam per latrunculos, quàm incommodo hyemis violentiæ, præsertim in vigilia natalis Domini per viam, vbi multi pauperes & iumenta frigore perierunt, & ipsa sacra nocte, in qua tempestatem terrestrem, ventis & fluuijs commotam, sustinuimus grauissimam. In finibus Tyri & Sidonis iuxta Sareptam pòst exercitus Domini quadrifariam diuisus est. Rex Hungariæ & rex Cypri Tripolin profecti sunt. Rex Hungariæ in breui tempore commoratus, cum magno damno terræ promissionis recessit. Peregrinos enim & dextrarios, galeas & iumenta cum armis secum traxit. Multum admonitus à Patriarcha ne sic recederet, tandem excommunicatus est cum sua sequela. Alia pars pigrorum, siue timidorum, & eorum, qui procumbentes ore pleno abundantiam temporalium biberunt, remansit in Achon. Rex verò Hierusalem & Dux Austriæ cum Hospitalarijs sancti Iohannis & Episcopis supradictis & quibusdam alijs castrum in Cæsarea Palæstinæ breui tempore vtiliter & constanter firmauerunt, licet hostis aduentus sæpè nunciaretur. In Basilica Principis Apostolorum festum Purificationis Patriarcha cum VI. Episcopis solenniter celebrauit.

Copia diuisa.

Rex Hungariæ ob bellum desertum excommunicatur.

Castrum Cæsariens.

CAPVT LXXXII.

De ædificatione castri peregrinorum.

TEmplarij verò cum Domino Galtero de Aninijs, & paucis auxiliantibus peregrinis, & hospitali de domo Teutonicorum castrum filij Dei, quod olim destructum, nunc castrũ peregrinorum appellatur, firmare cœperunt, quod situm est in diœcesi Cæsariensi inter Caiphas & Cæsaream.

Castrum peregrinorum.

Cuius

Cuius situs talis est. Promontorium amplum & latum mari imminet, munitum naturaliter scopulis ad Aquilonem & occidentem & Austrum. Versus Orientem turris est firma,& dudum à Templarijs ædificata & possessa tam guerræ quàm treugarum tempore. Turris autem ibidem fuit posita olim propter latrunculos, qui in via stricta peregrinis ascendentibus in Hierusalem, & descentibus ab ea, insidiabantur. Hanc procul à mari distantem, quæ propter viam strictam, destrictum appellabatur, toto ferè tempore, quo Cæsaricum castrum firmatum est & consumatum, Templarij ex transuerso promontorij fodientes & laborantes per sex hebdomadas, tandem ad fundamentum primum peruenerunt, vbi murus antiquus spissus & longus apparuit. Inuenta est etiam pecunia in moneta modernis ignota, collata beneficio filij Dei militibus suis ad alleuandos labores & sumptus. Deinde in anteriori parte harenam fodientes, & deportantes, alius murus breuior repertus est, & inter murorum planiciem fontes aquæ dulcis ibidem largiter ebulliebant. Lapidum etiam & cementi Dominus copiam ministrauit. Duæ turres ædificantur ante frontem castri lapidibus quadratis & dolatis tantæ quantitatis, vt lapis vnus vix à duobus bubalis in curru trahatur. Vtraq; turris centenos habet pedes in longitudine LXXIIII. in latitudine, spissitudo binas includit testudines, altitudo plurimum ascendens celsitudinem promontorij transgreditur inter duas turres, murus nouus & altus cum propugnaculis consumatus est,& miro artificio intrinsecus equites armati per gradus ascendere possunt & descendere. Item murus alius paulò distans à turribus extenditur ab vno latere maris ad aliud, puteum habens aquæ viuæ inclusum promontorio. Ab vtroq; latere muro cingitur alio & nouo vsq; ad rupes. Oratorium cum palatio & domibus plurimis castrum includit. Huius ædificij prima est vtilitas, quòd conuentus Templariorum, eductus de peccatrice & omnium spurcitia plena ciuitate Achon, in huius castri præsidio residebat vsq; ad reparationem murorum

Eiusdem structura & descriptio.

Vtilitas.

Hierusalem. Territorium munitionis huius piscarijs, salinis, pascuis, agris & herbis abundat, & vineis quoq; plantatis & plantandis, hortis & pomerijs habitatores delectat. Inter Achon & Hierusalem nulla est munitio, quam teneant Sarraceni. Vnde de hoc castro nouo plurimum damnificantur increduli, & terrore diuino ipsos fugante, loca culta deserere coguntur. Sex milliaribus distat à monte Thabor. Vnde huius castri constructio siue constitutio fortè fuit causa destructionis munitionis illius : quia in campo longo & lato, qui interiacet montanis castri huius ac montis Thabor, nec arare nec seminare nec metere securè poterant propter metum habitantium in eo.

CAPVT LXXXIII.

De exercitatione Coloniensium ad signum crucis.

Volones Colonienses.

ANno gratiæ M. CC. XVIII. mense Martio applicare cœperunt ad portum Achon Cogones ex prouincia Coloniensi, cum alijs paucis tamen de Bremensi & Treuerensi prouincijs. Excitata fuit prouincia Coloniens. ad obsequium saluatoris per signa, quæ apparuerunt in cœlo. Nam in prouincia Coloniensi & diœcesi Monasteriensi in

Prodigiũ tergeminũ

villa Ledon Frisiæ mense Maio VI. feria ante Pentecosten, cùm prædicaretur crux ibidem, triplex forma crucis apparuit in aëre: Vna candida versus Aquilonem, alia versus meridiẽ eiusdẽ coloris & schematis, tertia verò medio colore colorata, habens crucis patibulum & figuram hominis in eo suspensam eleuatis brachijs & extensis cum infixione clauorum in manibus & pedibus & capite inclinato. Hæc media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis. Alia vice & loco alio in villa Frisiæ seu Thetusen tempore prædicationis crucis apparuit iuxta Solem crux cœrulei coloris. Hanc viderunt plures quàm priorem. Tertia fuit apparitio in diœcesi Traiectensi in villa Doctum, in qua Beatus Bonifacius coronatus fuit martyrio.

martyrio. Vbi in die eiusdem martyris cùm multa millia conuenissent ad videndam stationem, apparuit crux alba magna ac si trabs ex aduerso trabis artificialiter composita fuisset. Hoc signum vidimus omnes. Mouebatur autem paulatim ab Aquilone ad meridiem. Credimus autem duas apparitiones demonstratas à Deo, vt omnis ambiguitas primæ visionis tolleretur à principio prædicationis crucis. Prouincia Coloniensis magno studio plurimis etiam sumptibus ferè trecentas naues præparauit, quarum quædam remanserunt, quædam in tempestate perierunt. Tunc firmatum fuit consilinm in concilio Lateranensi cum Domino Papa Innocentio habitum Romæ de intromittenda militia Christiana in terram AEgypti. *Classis Colon.*

CAPVT LXXXIIII.

De profectione peregrinorum contra Damiatam.

MEnse igitur Maio post ascensionem Domini, præparatis Cogonibus, armatis Galeis, & alijs nauibus oneratis, profecti sunt de Achon Iohannes rex Hierusalem, Patriarcha cum Episcopis & Duce Austriæ, tribus domibus & copiosa multitudine Christianorum. Indicta fuit nauigatio apud castrum filij Dei, quod peregrinorum dicitur. Et flante Borea, Rege, Duce & Magistris domorum ad indictum locum venientibus, exercitus Domini prosperis velis processit, tertio die perueniens ad portum Damiatæ. Vbi moratus est per biduum, antequam ad terram descenderet, suos Capitaneos expectando. Præfati autem Duces quia modicam moram fecerunt in prænominato castro, subsequi non poterant exercitum vsq; ad sex dies ab exitu de portu Achon. Multi etiam qui præparati non erant, & moram aliquantulum fecerant apud Achon post primos nauigantes, aut omninò remanserunt, aut vi ventorum repulsi in Achon, antè per tres vel quatuor hebdomadas iactati per mare, moram fecerunt. Cùm autem *Christianorum expeditio Aegyptiaca.*

Consilium castrense. quæsitum esset ab omnibus per ordinem, quid facere deberent, & quidam suaderent reditum ex quo Capitanei non veniebant, dixit Nichonensis Archiepiscopus, quòd bonum esset, si electo Capitaneo aliquo ad terram ibi descenderemus, Capitaneos expectantes. Omnes concordauerunt huic consilio, & facto Capitaneo Comite de Sareponte, applicuimus ad portum maris Damiatæ, & hostilem terram cepimus sine sanguinis impensa, antequam Rex & alij Duces, qui erant in Galeis, subsequerentur. Referunt autem quidam, quòd cùm pauci Sarraceni equites excurrerent ad portum, Friso quidam fixo dextro genu in terra, & sinistra manu circumferens ancyle, dextra spiculum vibrabat ferreum. Intuitus est eum Sarracenus, existimans eum ludere: sed subitò eques cum equo percussus corruit in terram. Fugientibus alijs, absq; omni impedimento castra metati sunt Christiani inter littus maris & ripam fluminis Nili, cum admiratione magna subsequentium, quando tentoria fixa viderunt. Hoc enim mirabile fecit Dominus, quòd in primo aduentu aqua fluminis coniuncta mari dulcis hauriebatur. Modico tempore post aduentum Christianorum facta fuit Eclipsis Lunæ ferè generalis: quam contra Sarracenos interpretati sumus, quasi portendentem eorum defectum, qui sibi Lunam attribuunt, in incremento & decremento Lunæ sibi magnam vim imponentes.

Frisij militis egregiũ facinus.

Eclipsis Lunæ cur Sarracenis ominosa?

CAPVT LXXXVI.

De captione Hierusalem per Coradinum, * Turquiæ Soldanum.

* Syriæ. Vide li. 32. ca. 55.

Ex Historia Damiata.

Hierosol. destructa. ANno gratiæ M. CC. XIX. regina ciuitas Hierusalem, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa est à Coradino, filio Saphadini foris & intus. Muri enim cum turribus redacti sunt in aceruos lapidum, præter templum Domini

Domini & turrim Dauid. De sepulcro glorioso destruendo consilium habuerunt Sarraceni, & per litteras comminati sunt, quas ciuibus Damiatæ transmiserunt ad eorum solatium. Sed huic temeritati nemo manus apponere præsumpsit propter reuerentiam loci. Sic enim in Alcorano libro legis eorum habent scriptum: IESVM Christum Dominum nostrum credunt de Maria virgine conceptum & natum, quē sine peccato vixisse Prophetam, & plus quàm Prophetam contestantur: Cæcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse firmiter asserunt. Verbum & spiritum Dei & viuum ad cœlos ascendisse non discredunt. Vnde quando tempore treugarum sapientes ipsorum Hierosolymam ascendebant, codices Euangeliorum sibi postulabant exhibere, & osculabantur & venerabantur propter mundiciam, quam Christus docuit, & maximè ꝑpter Euangelium Lucæ: Missus est Angelus Gabriel, quod litterati inter eos sæpius repetunt & retractant. Lex autem eorum, quam Diabolo dictante ministerio Sergij Monachi & apostatæ & hæretici Mahometus Sarracenus didicit Arabicè scriptam, à gladio cœpit, per gladium tenetur, & cum gladio terminabitur. Mahumetus iste illiteratus fuit, sicut ipse protestatur in Alcorano suo, & quæ prænominatus hæreticus dictauit, ipse promulgauit, & per comminationes obseruari statuit. Luxuriosus enim fuit & bellicosus, ideoq; de immundicia & vanitate legem statuit, quam carnaliter viuentes in parte voluptatis firmiter obseruant. Et sicut legem nostram veritas & mundicia muniunt, ita errorem ipsorum timor mundanus & humanus ac voluptas carnalis firmissimè custodiunt.

Sepulcrū Christi.

Alcorani placita.

Architectus Sergius Monachus.

CAPVT LXXXVII.

De miseria obsessorum in Damiata.

INterea ciuitas Damiata obsidione longa, ferro, fame & pestilentia grauiter & vltrà, quàm scribi potest, afflicta, in sola pace, quam Soldanus ciuibus promisit, spem posuit.

Obsidio Damiatæ.

Durabi-

Durabilis enim non est AEgypti annona propter molles glebas, in quibus crescit, nisi superius circa partes Babylonis artificiosè conseruetur in annos. Et sicut audiuimus, coctaium vnum XL. byzantijs vendebatur in ea. Ex angustia famis diuersa morborũ genera vexabant eos. Et nunc cætera incomoda, quæ sustinuerunt, ꝑtereo: noctibus velut aurisia percussi, apertis oculis nil videre dicebantur. Soldanus de die in diem vanis ꝓmissionibus ipsos à deditione dehortatus, decipit miseros. Postremò portas suas obstruxerunt intrinsecus, ne aliquis veniens ad nos de suis, nunciaret, quòd dies afflictionis possidebat eos. Si qui verò per posticum vel de muris per funes euadere potuerunt, inflati & famelici ciuium suorum angustias euidenter probant. Illis etiam, qui foris in exercitu Sarracenorum nos obsederunt, copia panis & pabuli cœpit decrescere. Nilus quidem, qui post festum sancti Iohannis *Baptistæ* vsq; ad exaltationem sanctæ crucis solùm excrescere, & Aegypti planiciem irrigare consueuerat, hoc anno more suo non ascendit ad signum, quod ponere solent AEgyptij, sed vt intelleximus, magnam partem terræ siccam reliquit, quæ nec arari nec seminari poterat suo tempore. Vnde Soldanus famem timens & carístiam, in amore retinendi Damiatam, talem pacem cum Coradino fratre suo Christianis obtulit: Vt crucem sanctam, quæ olim capta fuit in victoria Salahadini, cum ciuitate sancta & omnibus captiuis, qui per regnum Babyloniæ & Damasci viui reperiri possent, sumptus etiam ad reparandos muros Hierusalem redderet: Insuper regnum Hierosolymorum totaliter restitueret, præter tractum & montem regalem, pro quibus retinendis tributum obtulit, quàm diu treuga duraret. Sunt autem hæc duo in Arabia sita, septem munitiones fortissimas & firmissimas habentia, per quæ negotiationes Sarracenorũ & peregrini ipsorum Mecham tendentes, vel ab ea reuertentes, transire solent, & qui hæc potenter tenuerit, Hierusalem cùm voluerit, grauiter nimis cum agris & vineis lædere poterit. Hanc compositionem

E fame morbi.

Nili exundationes.

Pacificatio cũ Christianis tentata.

nem acceptandam esse,&vtilem Christianitati, Rex & Francigenæ, Comes Cestriæ cum Capitaneis Teutonicorũ pertinaciter censuerunt. Tunc autem legatus Patriarcha cum Archiepiscopis, Episcopis Templarijs, & Hospitalarijs, ac omnibus Italiæ Capitaneis, multisq; alijs prudentibus viris efficaciter tractatui se opposuit, rationabiliter ostendens, ante omnia Damiatam fore capiendam. *Ecclesiastici & Itali belli tubæ.*

CAPVT LXXXVIII.

De captione Damiatæ absq; sanguinis effusione.

INterea Soldanus magnam multitudinem peditum claudiculo & per loca palustria misit ad ciuitatem, quorum CC. XL. Christianis dormientibus licias fuerunt ingressi dominica nocte post festum omnium Sanctorum. Tandem per clamorem vigilum occisi sunt & capti, quos ad CC. & plures computauimus. Nonis Nouembris capta est Damiata sine deditione, sine defensione, sine violenta deprædatione, cum tumultu, vt soli Deo ascribatur victoria. Et cùm caperetur ciuitas in oculis regis Babylonis, more solito non fuit ausus Christi milites, ad defensionem paratos, per fossatum nostrum aggredi. Eodem etiam tempore fluuius excreuit vberrimus, aquis fossatum implens. Ipse autem Soldanus confusus castra sua combussit & fugit. Itaq; Christi milites Damiatam ingressi, plateas eius inuenerunt stratas cadaueribus mortuorum, pestilentia & fame deficientium, aurum & argentum multum nimis, pannos sericos negotiatorum in abundantia, vestes preciosas & ornamentum cum varia supellectili in superabundantia. Ciuitas hæc præter naturalem situm loci, quo muniebatur, triplici erat cincta muro. Turribus latericijs multis & magnis fortissimè firmata clauis, & antemurale totius Aegypti intra Ramesse & campum Chineos, sita in terra, vt conuincere possumus, Gersen: quia pascuosa erat Damiata, in regnis famosa multum in superbia Babylonis, *Auxiliaris hostiũ manus oppressa.* *Fuga Soldani.* *Damiata opulentia.* *Munitiones.*

in mari dominatrix, Christianorum spoliatrix, in ascensu persecutorum tuorum per paucas & modicas scalas comprehensa. Nunc sub potenti manu Dei humiliata es.

CAPVT XCIII.

De legatione Georgianorum ad nostros, admirantium super Captione Damiatæ.

Georgianorum pollicitatio de inuadendis Sarracenis.

AD hæc fama discurrens per totum orbem, Damiatam à Christianis esse comprehensam, Georgianorum litteras ad castra catholicorum transmitti persuasit. In quibus continebatur, quòd indignata gens illa, vel excitata robore, rege eorum conuocante principes, decreuit & iurauit se obsessurum famosam aliquam ciuitatem Sarracenorum, allegans sibi verecundũ esse, quòd Franci de transmarinis partibus & vltimis terræ finibus venientes per mare spaciosum, periculis plenum, tam munitam ciuitatem obsidione longa cepissent, nisi & ipsi, quibus erat facilius Persides impugnare, Damascum vel aliũ locum nominatum virtute caperent armorum. Sunt igitur Georgiani cultores Christi, ritum habentes Græcorum, Persis vicini, longo terrarum tractu à terra promissionis distantes, quorum dominium modò extenditur vsq; ad Caspios montes. Bellicosi sunt homines, habentes rasuram in capite, Clerici rotundam, Laici quadratam. Mulieres eorum equestris ordinis doctæ sunt ad prælium. Homines isti, quando ordinatis aciebus hostes sunt aggressuri, pupillarem cucurbitam repletam vino puro velocius ebibunt, & statim aduersarios suos viriliter inuadunt. Computandum autem esse non dubitamus inter beneficia tutoris nostri IEsu Christi, qui à fucarijs persecutorum maiores nostros defendit in obsidione Damiatæ. Vsitatum siquidem habebant Assassini, & eorum præceptor Vetulus, de montanis cultellos emittere contra Christianos ad intercipiendam vitam eorum, qui negocium Christianitatis propensius procurabant. Nam in treugarum tempore filium Tripolitani Comitis,

Christianismus.

Virtus bellica.

Assassini. Vetulus.

Comitis, adolescentem spectabilem, in Ecclesia Beatæ Virginis apud Tortosam ante altare procumbentem nequiter interfecerunt. Vnde militia templi non cessauit eos persequi pro tam irreligiosa violatione, donec humiliarentur vsq; ad seruitutem tributi. Tria namq́, Byzantiorum millia annuatim Templarijs persoluunt. Eiusdem obsidionis tempore rex Armeniæ Leuo defunctus est in terra sua. Mortuus est quoq; * Soldanus Iconij, qui creditur baptizatus fuisse, qui tantæ benignitatis erat in Christianos, vt guerram habens cum Sarracenis, solui iuberet Christi cultores, quos vinculatos inuenit in munitionibus, quos expugnauit, & in optione eorum posuit, vtrum in patriam suam redire vellent, an acceptis ab eo solidis, sub ipso potius militare eligerent. Idem Christianos adeò familiares habebat, vt custodes corporis sui constitueret eos: licet pater eius à Lasterogredo fuisset interfectus. Manu tenuit etiam Miralim, filium Saladini exhæreditatum, contra filios Saphadini, quantum Caliphus permittebat de Baldach, Papa suæ gentis. Milichasecaph, filius Saphadini, multa damna Templarijs intulit, cùm essent in obsidione Damiatæ. Combussit enim oppidum castri Alberet, turres munitas destruxit; sed cùm rediret in terram suam, victus est à Sarracenis.

Leuo, rex Armen.

* Aladinus.

Soldani Icon. erga Christianos benignitas.

Miralis.

Calipha Baldac.

CAPVT XCIIII.

De captione Saphet, & redditione Damiatæ.

ANno verbi incarnati M. CC. XX. Coradinus, princeps Damasci, destruxit Saphet, castrum firmissimum, quod Saladinus, flagellum Christianorum, per longam obsidionem in tantum arctauit, vt defensores, fame deficientes, requisita licentia Magistri militiæ Templi, redderent illud Tyranno. Factum est autem vertente anno, quando solent Reges ad bella procedere, Iohannes, ex Hierusalem, castra fidelium reliquit, multas prætendens causas ad excusatio-

Saladinus flagellum Christianorum.

Ioannes Rex se subducit.

nem sui, & festinatum reditum promittens. Anteriorum oblitus, ad posteriora se conuertit: aperiente manum Domino, qui portum Damiatæ impleuit vbertate frumenti, vini & olei: adiuncta peregrinorum & equorum copia numerosa, vt ad progrediendum in negotio nulla locum habeat excusatio. Superuenerunt in sexto passagio Mediolanensis & Cretensis, Archiepiscopi, Fauentinus & Reginensis, Episcopi, & nuncij Regis Friderici, deferentes litteras cum aureis bullis, & aduentum ipsius nunciantes. Aderat etiam Episcopus Brixiensis, & Italica militia copiosa. Legatus autem considerans, non sine gratiæ magno priuilegio, diuino munere sufficienter fuisse prouisum in omnibus, quæ requirebat negotij processus, angebatur dolore, quòd tempus inutiliter processit, & opportunitas tanta perijt. Vnde conuocatis maioribus, ipse *primo loco*, deinde Mediolanensis Archiepiscopus, & alij similiter Episcopi, suadebant progressum contra Soldanum, qui castra sua posuerat super Nilum itinere diei vnius à Damiata. Sed milites, habita deliberatione, huic exhortationi contradixerunt, hanc maximè causam prætendentes, quòd Rex Hierusalem aberat pro suæ voluntatis arbitrio, nec alius princeps militaris aderat, cui gens diuersarum nationum obœdire vellet ad educendum populum Domini. Et sic concordabant ad otium: ex quo mala multiplicata sunt in castris. Mense Iulio superuenit Comes Matthæus de Apulia cum octo Galeis, quarum duas cursarias, insidiantes Christianis, cepit in via marina. Deinde Damiata cum multis laboribus sumtuosis capta, & per annum vel amplius à nostris possessa, postmodum Pelagio Cardinali & Legato, Templarijs & Hospitalarijs, totoq; exercitu Christianorum, excepto rege Iohanne, qui ob quandam discordiam, inter ipsum & Legatum motam, ab exercitu recessit, à Soldano per infortunium captis, & grauiter afflictis, pro redemtione eorum, & omnium Christianorum captiuorum, qui erant sub potestate Soldani, reddita est paganis.

Legati irritus conatus.

Matthæus Comes Apuliæ.

Damiata λύτρον captiuorum Christianorum.

CAPVT

CAPVT CXXXIX.

De tyrannide Paperoissolæ & in Turcos debacchatione.

ANno Domini M. CC. XL. videlicet anno secundo antequam Tartari Turquiam destruxissent, quidam Turquimanus in regno contra Soldanum se extulit, ac per duos menses & ferè dimidium debacchationē suam exercuit. Hic Paperoissole vocabatur, & baiulationem habebat super quatuor casalia. Qui cùm die quadam equitaret per campos iumentum suum pulcrum, quidam rusticus pedester ei occurrit eiulans, & clamans, quia lupus rapuerat, & in syluam deportauerat eius filium. O inquit rusticus, audi me homo, & adiuua miserum, faciamq; te hominem diuitem, vel si malueris Soldanum. Cui Papeŕoissole audita eius causa, & accepto de promissione iuramento, lupum insecutus ei puerum abstulit, & ad patrem reportauit. Rusticus ergò puerum viuum lætanter recipiens, Paperoissole dixit: Elige tibi quoduis de duobus promissis. Ille respondit: Quis es tu, qui sic incunctanter hoc mihi promittis? Ego sum, inquit, qui de nocte vado cum Dominabus, quæ Nymphæ vocantur, & sum Dei nuncius, & quicquid dixero, tibi eueniet. Tunc ille: Satis, ait, diues sum, sed fac me Soldanum. Rusticus quoq; ait: vade statim ad parentes tuos, quia magna es parentelæ, & congregatis in vnum, dic, quòd nuncius Dei tibi apparuit, dicens, Deum te velle Soldanum esse. Quod cùm ille fecisset, incepit multa circa se casalia inuadere atq; destruere, omnibusq;, cum quibus præliabatur, præualere. Cumq; domum quandam Armeniorum quasi castellatam obsideret, omnes suos pro posse animauit, vt viriliter pugnarent, nihilq; mali timerent: quia nullus ibi moreretur, neq; vulneraretur. Hac igitur confidentia castrum assilierunt, & illi de castro VIII. de illis se expugnantibus occiderunt, & quàm plures alios vulnerauerunt. Alij verò pugnantes, scilicet occisorum fratres atq; parentes, de morte ipsorum dolen-

Rusticus impostor.

κακῆς ἀπ' ἀρχῆς κακὸν γίνεται τέλος. Stobaeus.

¶ dolentes, dixerunt: Paperoissole, quare sic decepisti nos & nostros, morieris & tu sicut & illi. Ille autem iurabat, quia sic Dei nuncius ei dixerat. Diabolus, inquiunt, fuit, qui te sic decepit. Tunc ille subterfugium amentiæ suæ quærens, & non inueniens, dicebat: O Deus, quid facis, an dormis? Loquar, inquit, omnibus astantibus vobis Deo crastina die, & dicam ei, cur mihi & vobis tale quid permisit accidere.

CAPVT CXL.

De ipsius ac suorum destructione.

Paperoissolæ peruicacia.

CRastina verò die contra prædictos Armenios insultum fecit, ac per medias scapulas perforatus, ad mortem abscondi se præcepit, ita quòd videri non posset, quando mortuus esset. Nihilominusq; consolatus est suos, dicens, quòd non propter ipsum à proposito, quod inceperant, desisterent, sed viriliter insisterent: quia victoriam & dominium, sicut ei Deus mandauerat, de omnibus obtinerent. Dixit etiam, quòd cùm foret mortuus, iret loqui cum Deo super his, quæ acciderant, rationem quæsiturus. Quendam etiam præ cæteris sibi de genere suo, priusquam moreretur, constituit vt præesset loco sui, eiq; obedirent vt sibi, certi quòd Turquiæ dominium obtinerent, si in proposito & opere incepto permanerent. Ille igitur institutus, in opere cœpto persistebat, & congregato secum III. M. hominum multitudine, omnes sibi resistentes occidebat ac destruebat. Deniq; in terræ vastatione tantam sibi

Perduellium successus.

pugnatorum multitudinem congregauerunt, & ita in breui à Turcis reueriti sunt, quòd eis liberè *(a)* Gazariam, dum tamen pax esset de cætero firma, inter ipsos dare voluerunt. Tunc trecenti Latini, siue Franci, audientes Tur-

Latini Turcorum vindices.

quiæ destructionem per istos fieri, conuenerunt ad locum, vbi erant congregati, atq; in illos exilientes, destruxerunt omnes, Turcis à bello fugientibus, nec intrare conflictum audentibus. Vnicus tantùm Latinus mortuus fuit ibi, plu-

res autem vulnerati. Sic igitur habita de Paperoissole victoria per Latinos, præcepit Soldanus CCC. millia Soldanorum eis dari, quæ omnia retinuerunt ipsi Turci. Siquidem etiam Admirales, siue Baiuli Turquiæ, participant furtis, quæ in ea fieri consueuerunt. Pactum quoq; de habenda securitate cum furibus faciunt. Tunc Latini stipendia quæsierunt à Baiulis Soldani. Quibusdam verò soluere recusantibus, dixit vnus: Iustum est, vt stipendia vobis soluamus, quia nos & capita nostra per vos habemus: Siquidem altera die cùm Paperoissole veniret ad castrum nostrum, omnesq; recepti essemus in tutiori loco XI. millia pugnatorum, ille videntibus oculis nostris venit ad Burgum, & ibi accepit victualia quantum voluit, nec saltem vnus, qui contra illos exiret, ex nobis fuit. Quoniam ergò vos Franci deuicistis eos, ante quos comparere non audebamus, iustum est, vt stipendia vobis persoluantur. Itaq; non exercuit, vt dictum est, Paperoissole tyrannidem suam plusquàm per duos menses ac dimidium, & tamen Turci per vices XII. fuerunt vastati per eum, erantq; XII. millia lancearum.

Amores, eorumq; πλεονεξία.

σωτήρια Latinis decreta.

(a) Quæ alio nomine dicitur Cæsarea Cappadociæ, vt infrà cap. 147.

CAPVT CXLI.

De longa Turcorum à Tartaris impugnatione.

POrrò Tartari pluries Turquiæ terram inuaserunt antequam illam contererent ac destruerent. Nam per annos XX. Soldanus cum eis versus fines Qualat habuit guerram, ita tamen quod non omnes Barones Tartarorum, sed vnus tantùm vel duo insurgebant. Tandem audientes, quòd Paperoissole tali modo & cum tam paucis quasi cœpisset victoriam de Turcis obtinere, animati quàmplurimum ex debilitate Turcorum, in anno sequenti Turquiam integrè inuasére. Contigit autem in antecedenti anno

Tartari Turcorum bello ciuili animati.

anno destructionis eius duo millia mulierum de Arseron iuisse ad balnea, quæ per tres leucas ab eadem ciuitate sunt remota. Cùm igitur in balneis essent: vt exercitum Tartarorum sibi superuenire viderunt, nec effugere possent, cogitauerunt, vt se Baionoi totiq; suo exercitui perpetuò seruituras offerrent. Venientes igitur ei obuiam in lyris & tympanis ac diuersis musicis instrumentis, quæ multæ illarum secum habebant, cantantes coram Baionoi, se illi totiq; exercitui obtulerunt. Nec sic tamen eius animi ferocitatem mitigare potuerunt, sed omnes ibi statim præcepit occidi. Accidit etiam parum ante Turcorum destructionem, quòd prope Seueriazar quidam pauper Christianus peregrinus Teutonicus, à latronibus vulneratus, debilis & infirmus mendicans à Turquimanis quærebat sustentationem. Tandem in extremam infirmitatem *cecidit*, Dominoq; spiritum reddens, in quodam casali *expirauit*. Illi verò Turquimani in quodam fumario sepelierunt eum, ac in subsequenti nocte pluribusq; noctibus alijs luminaria magna super eum visa sunt, pluraq; miracula ibi à Domino sunt ostensa, multisq; admirantibus ac stupentibus, Cadius homo quidam Diabolicus nitebatur admirantes compescere, dicens astantibus: Non credatis, quòd ille fuit Christianus. Erat enim natione Sarracenus, sed forsitan à Sarracenis deuiauerat, & amodo vt Sarracenus viuere proponebat. Ideoq; pro illo tanquam pro Sarraceno talia operatur Deus.

Baionoi.

Legenda de peregrinatore Germano.

CAPVT CXLII.

De nobilitate & magnitudine regni Turquiæ.

ERat quidem illud Turquiæ regnum nobilissimum & opulentissimum. Ibiq; ciuitates ferè centum, exceptis castris & villis & casalibus. Ibi quoq; Meledini, quæ fuit, vt dicitur, patria sancti Georgij, omnibus abundans bonis, ibi Labigarme, vbi Fridericus quondam Imperator contriuit

Regni Turcici centũ ciuitates.

triuit plusquam ducenta millia Turcorum, & tunc acquisiuit Iconium. Sed cùm idem Hierusalem pergeret, in fluuium Delsaleph submersus est. Quo audito, Turci nocte quadam in Francos insurrexerunt, & illos occiderunt. Sauastia comitatus est magnus, siue regnum, vnde possidetur multitudo circumadiacentium castrorum. Ipsa est ciuitas Sebaste, vbi Beatus Basilius, eiusdem vrbis Episcopus, martyrizatus est, & alij XL. similiter martyres. Ibi quoq; Finemigle regio est, vbi casalia valent ciuitates. Ibi etiam est fluuius siue stagnum spacij trium dietarum, ibiq; plures regales sedes scilicet X X V. quarum vna est Sauastia siue Sebaste. Alia verò Satellia vbi est sinus maris, qui dicitur Gaufra Satelliæ. Item lacaudalour, vbi est thesaurus Soldani, ac Meledini, ciuitas sancti Georgij. Item Arsaron & Monfalquini & Calath & Rohaus, quæ quondam dicitur Rages, ciuitas Medorum, & Sasamesat vbi fuisse dicitur vna de crucibus duorum latronum. Ex his etiam est Iconium & aliæ multæ, vsq; ad prædictum numerum, ex quibus est vna Nixaria nomine, de qua dicuntur à quibusdam Euangelij tres reges siue Magi fuisse. Est etiam in eodem regno locus, qui dicitur S. Braisamus, vbi est monasterium Monachorum C C C. cuius munitio si quando impugnatur ab hostibus, fertur seipsam mouere, machinasq; iacentes in eosdem retorquere.

Fridericus I. Cæs.

Sebastia.

Nixaria.

S. Braisamus.

CAPVT CXLIII.

De opulentia eiusdem

IBi tanta copia diuitiarum, quòd Admiraldus quidam in qualibet hyeme ponebat ad præsepe suum hordeaceum X. millia arietum, exceptis alijs, qui erant in pascuis. Idem quoq; X. millia equorum ad præsepe suum hordeaceum, præter illos, qui erant in pascuis & in haracijs. Soldanus autem habebat in terra sua V I. vel secundum quosdam X. millia argentearias, quarum vnica quotidiè X. millia Soldanos valebant. Argentearia de Lebena quotidie valet, vt

Admiraldus diues pecoris.

Soldani reditus.

dicitur, tres rotas argenti depurati, quæ valent tria millia Soldanos, solutis operarijs. Itaq; terra Soldani valebat ei quotidie CCCC. millia iperpera, id est, LVII. millia marcas argenti. Aeris autem mineræ sunt ibi tres, mineræ autem ferri plures. Est autem aluminis minera iuxta Sauastiam, quæ valet vnam argentariam. Forum equorum, vnguenti & saponis reddit ei annuatim Soldanos CXX. millia. Minera CC. millia, aqua verò quotidie Soldanos mille. Sunt etiam ibi ad minus VIII salinariæ. Præterea apud Hacsar inuenitur coctus & aluminis minera. Color etiam Indus ibidē versus Baudac & copiosus habetur in Turquia. In terra Iconij inuenta fuit azuris minera: sed superueniente terra est cooperta. Ibi etiam præter lanas ouium habent lanam caprinam optimam, de qua fiunt capelli de bouet, qui mittuntur venales in Franciam & Angliam. Itaq; Soldanus Turquiæ benè poterat L. millia milites, vnicuiq; dando mille Byzantios, annuatim in redditu stipendiare. In aduentu Baiuli Armeniæ ad ipsum in Gazariam proiecta sunt iperpera multa, eiq; dimisit ad valorem quingentarum marcarum argenti vasa aurea & argentea. Idem quoq; Vatachio fecit, cùm ad ipsum venit. Dixit etiam quidam Soldani thesaurarius, quòd in casalia erant tres domus, quarum vna plena erat iperperis, duæ autem drachmis. Deniq; in anno, quo contritus fuit Soldanus à Tartaris, ante pugnam dedit XVI. millia paria vestimentorum de Samito & de Thabith, sarbois exceptis.

Copiæ, & in easdem stipendia.

Munificentia.

Thesauri.

CAPVT CXLIIII.

De magnatibus subiectis eius dominio.

Seruitus regis Armeniæ.

PORrò rex Armeniæ minoris Soldani Turquiæ in CCC. lanceis per quatuor menses tenebatur seruire, & insuper etiam facere proclamare legem Mahometi semel in anno in sua maiori ciuitate. Monetam quoq; in terra sua fieri faciebat, cuius medietas Soldani erat. Similiter Dominus

de

de * Lambro tenebatur ei in XXIX. lanceis seruire, eo * Infrà
modo quo Rex, scilicet ad mittendum quocunq; vellet mit- li.32. ca.
tere. Vatachius quoq; in CCCC. lanceis eidem seruiebat, 28. nomi
quotiens vel quantum volebat. Item Dominus de Trape- nat Con-
zondes CC. ei lanceas dabat, & Soldanus Alapiæ, quotiens stantinũ
volebat, in mille lanceis eidem seruiebat. Dominus de *Trapezun*
Melerdin & Dominus de Danthape, Dominusq; de Meredin *tij.*
& Soldanus de Hameta, & ille de Camella, & Soldanus Damasci, & ille de Monferanquin, & ille de Haamant tenebatur ei facto homagio, & iuramento mediante, ipsum adiuuare secundum omne posse suum contra quoscunq;. Itaq;
Soldanus iste faciebat se proclamari Dominum totius mun- *Soldani*
di: & quando filius eius fuit natus, clamari fecit, quòd na- *arrogan*
tus esset Solis filius. Nunquam ibat cum minori societa- *tia.*
te, quàm X. millia hominum. Cumq; adhuc esset in maiori possessuo, dixit Domino de Lambro, quòd ipse in perso-
na propria volebat ire ad Papam, eiq; reddere totam ter- *Studiũ er-*
ram suam, dum tantùm quiete possideret arcem vnam. Et *ga Papam*
hoc quidem statim fieri voluisset, nisi Dominum de Lambro ab Admiraldis interfici timuisset. Itaq; Dominus de Lambro consuluit ei, ne iret, sed potius mitteret. Postea verò eius propositum impeditum, nec ad effectum productum est. Est autem in eius regno fortissimum castrum, *Thesauri.*
quod Candelaria dicitur, vbi est thesaurus ipsius, & dicitur quòd ibi sunt XVI. Pithariæ plenæ auro depurato, in ipsis liquato, exceptis lapidibus preciosis, & pecunia multa nimis. Hæc autem omnia per Francos acquisiuit etiam à tempore Godefridi de Builloin & Episcopi Delphin. Sed postquam à Francis se Soldanus retrahere cœpit, nunquam vt prius veritus fuit.

CAPVT CXLV.

De Soldano ibidem per Francos constituto.

SIquidem & Gaiasadinus, qui tempore destructionis re- *Gaiasadi-*
gni erat Soldanus, per Francos in regnũ fuit exaltatus. *nus solda-*
nus.

Aladinus. Cùm enim Haladinus Soldanus moriturus esset, dedit eidem filio suo Gaiasadino gladium suum tanquam vero hæredi, cùm tamen illegitimus esset, & Haladinus ipse duos filios ex sorore Soldani Babyloniæ legitimos haberet. Habuerat autem Haladinus vnum Admiraldum, nomine Sadadinum, qui omnibus Admiraldis præerat, omniumq; capita absciderat. Mortuo igitur Haladino, venit iste Sadadinus, & dixit Gaiasadino: Veni mecum, & ego te modò faciam Soldanum. Tunc apud Conquebac, domum quandam Soldani iuxta Gazariam ad leucam erant, vbi scilicet in Gazaria XVI. millia Corasminorum in solidis Soldani consistebant, & ex se quidem Soldanum facere volebant, sed Francos mirabiliter timebant, qui vsq; ad mille ibi tunc erant. Venit erga Sadadinus, & Gaiasadinum accepit, eumq; in Gazariam duxit. In illo autem itinere obuiauerunt Latinis, siue Francis, qui ad Conquebac ibant, causa præceptum audiendi. Quibus ait Sadadinus: Ecce Gaiasadinus, Dominus vester & Soldanus: ipsum ergo cõducite, & in sede sua statuite. Quod & fecerunt in Douanam, id est in domum Soldani eum ducentes, & in eius sede statuentes. Itaq; statim audito, quòd Gaiasadinus esset in sede Soldani, venerunt omnes Admiraldi eidem inclinare, ac pedem ipsius osculari. Ipse verò Francos, quia in sede eum posuerant, pedem suum osculari non permittebat, sed manum eis porrigebat. Cumq; timeret, ne Admiraldi se coniungerent matri suæ & fratribus, & occideretur ab eis, cùm non esset hæres legitimus, dixit ei Sadadinus: Esto securus, quia sic faciam cum illis, vt te timere non oporteat. Fecit igitur eos cum matre occidi ambos. Postea verò idem Sadadinus occidit Soldanos omnes præter tres, voluitq; ipse esse Soldanus, & cordam pro Soldano strangulando portauit: cum qua inuentus est, atq; in malitia sua præuentus à quodam Admiraldo, Mergedac nomine, qui fuerat Christianus. Huius ergo comperta fidelitate, & illius falsitate, occisus est Sadadinus, & in eius loco Mergedac substitutus est.

Sadadinus Admiraldus, μηχανορράφος χακῶν. *Corasmini mercenarij.* *Latini cõfirmant imperium Gaiasadino.* *Sadadini iterata immanitas.* *Nex.*

CAPVT

CAPVT CXLVI.

De probitate Francorum contra Tartaros.

PRæterea contra Tartaros, longo tempore Turcos, vt dictum est, impugnantes, Franci tantummodo CCC. perrexerunt,& bis eos confregerunt, vnaq; die post horam etiam IX. quendam eis montem, in quo erant, abstulerunt. Contigit autem in præcedenti anno præfatæ Turquiæ destructionis, vt capti essent duo Franci apud Arsengan à Tartaris, quorum vnus vocabatur Guillermus de Brundusio, alter verò Raymundus Guasco. Cumq; tenerentur captiui, quidam Tartarorum, qui audierant, quòd Franci fortes bellatores erant, suggesserunt cæteris maioribus, vt illi duo pugnarent inter se, quia modum pugnandi eorum libenter aspicerent, congaudentes eorum interfectioni, manibus ipsorum faciendæ. Itaq; de communi maiorum assensu factum est, vt inter se pugnarent illi duo Franci equis & armaturis, prout fieri potuit, competenter præparati. Cùm autem armarentur, & præpararentur, inter se sunt collocuti, quòd siue sic siue sic, de necessitate ac sine dilatione oportebat eos mori. Ideoq; quòd Tartari sperabant, ipsos inuicem facturos de seipsis, ipsimet pariter facerent de Tartaris. Hoc itaq; communi assensu inter se firmauerunt, Dei misericordiam sibi affuturam inuocantes, ac fortasis sic inuicem sibi de peccatis suis confitentes. Præparati ergo ad prælium, alter alteri cominus quasi congrediens, ac velut in comparem suum insiliens, in Tartaros irruerunt, primò quidem lanceis & postea gladijs eos confodientes, ac detruncantes, ita quòd XV. ex ijs interfecerunt, & alios XXX. grauiter vulneratos, antequam ab illis interfecti fuissent, ibidem reliquerunt. Propter hæc & his consimilia Francos siue Latinos, id est Christianos, præcipuè timent Tartari, & similiter etiam Turci. Vnde cùm in Arsenga Francus quidam Placentinus occidisset quendã Turcum, hac de causa Marescallus exercitus

Latinorũ de Tartaris victoria.

Gulielmus de Brundusio, & Raymundus Vasco, iubentur duello certare.

Vertunt arma in spectatores.

Latinum nomẽ Barbaris formidabile.

exercitus capi & suspendi iussit eundem Placentinum Quo audito, Franci omnes in vnum conuenerunt, & firmauerunt inter se, quòd si suspenderetur Francus, omnes irruerent in mortem Turcorum. Hoc cùm audissent Turci, nihil amplius agere sunt ausi. Erant tamen tunc ibi LX. millia Turci, Franci verò DCC. Aliâs quoq; cùm tot idē vtrobiq; congregati essent, Turci voluerunt imponere Francis, vt castrum, quod dicitur Semesai, munirent. Vnde Franci etiam tunc contra illos insurgere volebant, quia se tam viles reputabant.

CAPVT CXLVII.

De destructione quarundam Turquiæ ciuitatum.

Tartarici belli cum Turcis diuturnitas. ANno itaq; Domini M. CC. XLII. Tartari *omnes primam* Turquiæ ciuitatem inuaserunt, eamq; destruxerunt. Siquidem antea, vt dictum est suprà, per XX. annos regnum illud impugnauerunt, ita tamen, quòd vnus eorum Baro vel duo tantummodo contra illud insurgebant. Omnes autem simul Arseron per XX. dies obsederunt. Est autem Arseron, vt *dicitur*, terra Hus, in qua quondam Beatus Iob dicitur habitasse, & in ea regnasse Cumq; ciuitatis huius habitatores à Tartaris obsessi succursum à Domino suo Soldano, prout erat necesse, non haberent, nec aduersus Tartarorum multitudinem præualere possent, cogitauerunt inter se Tartaris reddere ciuitatem, eo pacto, vt nulli eorum aliquam læsionem vel mortem inferrent, sed vt seruos suos & Sclauos tenerent illos, atq; saluarent. Ad hoc autem offerendum & firmandum miserunt eis Saana, id est, ciuitatis Baiulum. Itaq; Tartari petitioni eorum annuerunt, & secundum modum suum iurantes, omnia petita firmiter se seruaturos promiserunt. Intrantes autem vrbem, statim confœderationem præfatam ruperunt, omnesq; ciuitatis habitatores occiderunt. Sic quoq; fraudulentam pacem & cōfœderatiōnē habitatoribus Arsengæ ciuita-

Arseron. *Saana, ciuitatis Baiulus.* *Arsenga.*

ciuitatis fecerunt, & post introitum in eam omnes similiter occiderunt. Habitatores autem Sapastiæ non occiderunt, quoniam illi obuiam claues ciuitatis eis offerentes exierunt. Totam tamen ciuitatem deprædati sunt, & iuuenes ac iuuenculas & quàm plures alias mulieres rapientes secum eduxerunt. Quæ tamen omnia prius se nullatenus facturos esse promiserant, atq; iurauerant. Cùm autem Gazariam, quæ alio nomine dicitur Cæsarea Cappadociæ, obsiderent, duo Franci, qui erant in vrbis illius præsidio, dixerunt, quòd si plures Francos secũ habuissent, semper à Tartaris in illo præsidio se defendissent, nec vllas eorum machinas vel impugnationes timuissent. At verò miseri Turci, quia viles & effœminati sunt, vltrò se illis reddiderunt. Venientes enim Tartari ante dictam vrbem, petierunt tantummodo sibi omnia animalia ciuitatis reddi, & iuramentum fidelitatis præstari. Tunc itaq; Turci, quasi iam securi de illorum promissione, exierunt ad illos causa fidelitatis confirmandæ. Illorum autem, qui exierunt, Tartari C. millia, vel potius secundum quosdam CCC. millia interfecerunt. Cumq; iam essent intra vrbem, quam ceperant, audientes dici, quòd Rex Armeniæ minoris veniebat in succursum Cæsareæ, cùm tamen paucos & quasi nullos contra Tartarorum multitudinem posset habere debellatores, de nocte tamen fugerunt, quæcunq; lucrati fuerant exponentes. Postea tamen redierunt, cùm eundem regem non venturum audierunt.

Sebastia. *Cæsarea Cappadocia.* *Rex minoris Armenia.*

CAPVT CXLIX.

De vastatione Hungariæ & Poloniæ per Batho, Ducem Tartarorum.

Ex Historia Tartarorum.

ANno Domini circiter M. CC. XLII. Tartari vastauerunt Poloniam & Hungariam cum principe suo, nomine

Bathonis expeditio et successus

* Infrà lib. 32. cap. 13. & alibi dicitur Bathy.

mine * Batho. Post destructionem quippe Corasminorum, rex Tartarorum Chingischam eundem Batho Ducem cum exercitu in partibus Aquilonis miserat. Vbi similiter mare Ponticum, Russiam, Gasariam, Sugdaniam, Guerciam, Ziquiam, Alaniam, Poloniam, cæteraq; regna, quæ omnibus computatis erant XXX. & vtramq; Comaniam, acquisiuerat. Deniq; Hungariam etiam pro magna parte destruxit, & vsq; ad fines Teutoniæ prosiliuit. Cùm autem Hungariam ingressurus Dæmonibus immolaret, consulens eos, vtrum illuc transire auderet, ei à Dæmone, in idolo habitante, responsum est: vade securè, quia mittam tres spiritus ante faciem tuam, à quorum facie aduersarij tui non poterunt tibi resistere. Quod & ita factum est. Spiritus enim illi fuerunt spiritus discordiæ, spiritus incredulitatis, & spiritus timoris. Hi sunt tres spiritus immundi, in modum ranarum, vt legitur in Apocal. Siquidem & ex ipsis Tartaris, qui Poloniam & Hungariam inuaserunt, plures ibidem interfecti fuerunt. Et siquidem Hungari non fugissent, sed viriliter restitissent, Tartari confusi de finibus eorum exiuissent. Omnes quippe tantum timorem habebant, quòd fugere vnanimiter attentabant. At ipse Batho, dux eorum, euaginato gladio, in faciem eis restitit, & dixit: Nolite fugere, quia si fugitis, nullus euadet à morte. Et siquidem mori debemus omnes, vt insimul moriamur. Nam profectò futurum est, vt prædixit Rex noster Chingischam, quod interfici debeamus; & si nunc tempus est, sustineamus. Sic igitur animati remanserunt, & Hungariam in parte destruxeruut. Porrò Fratres ordinis Cisterciensis, in quodam monasterio suo Hungariæ, cum quibus erant Fratres Prædicatores, Fratresq; minores, eisdem restiterunt viriliter plus quàm per sex menses, nullamq; impugnationem eorum metuentes. In Tartaris quippe vigor & fortitudo deficit, cùm eis aliquis viriliter resistit. Tanta verò post illam debacchationē fames inualuisse dicitur in Hungaria, vt homines viui comederent mortuorū corpora. Canes etiam & catos edebant, & quicquid tale inuenire poterant.

Diuinatio

Animositas.

Monachi fortiter agunt.

Fames per Hungariam.

CAPVT

CAPVT CL.

De vastatione regni Turcorum.

DEniq; anno Domini M. CC. XLIII. Tartari Turcos contriuerunt,& vsq; ad Sauastiæ terram vastauerunt,& etiam vsq; ad ciuitatem regiam Iconium, & vltrà cursores suos transmiserunt. Cùm autem aggressuri essent Turcos in planicie iuxta Achsar, Baioth præmisit fratrem suum cum quinquaginta millibus bellatorum, videlicet de quolibet decanatu exercitus extractis tribus,qui fecerunt XL. millia numerum. Et siquidem exercitus iste victus fuisset, Baioth cum altera secum multitudine illos insecutus fuisset. Nec mirum si succubuerint Turci: quia Soldanus ebrius fuerat in nocte præcedenti, & adhuc vino æstuabat,quādo primi bellatores fuerunt defuncti. Sed nec in vnum erat eius exercitus, & circa nonam fuit congressus. Ipse quoq; Soldanus cum vxore sua & puero per tres leucas à primis congredientibus erat remotus. Sciendum quoq;, quòd Georgiani & Armenij, scilicet Aua, qui Papa, & Lanisenus, cui Turci antea Cary combusserunt, victoriam prælij Tartaris contra illos contulerunt. Cumq́, Turcis contritis Soldanus ipse fugisset, ac tentoria præ timore reliquisset, Tartari timentes aliquos in eisdem tentorijs latere,non ausi sunt intrare illa, sed ab hora IX. per totam noctem ac per vnam diem integrè permanserunt ab ipsis intacta. Circuibant enim, & stabant ante, nec vsq; ad noctem post prædictam diem subsequentem ausi sunt ea inuadere. Habebat autem Soldanus XL. bigas,oneratas loricis, exceptis scalis argenteis & vasis ad bibendum miræ magnitudinis, quæ omnia fugiens Tartaros, amisit relinquens ibi. Et omnia, vt creditur, ipsi habuerunt Turci. Habebat etiam circiter tria millia sumariorum, supellectilibus suis oneratos, Camelosq́; XXX. Byzantijs aureis spissis & latis ad palmæ latitudinem onustos,quorum vnumquodq; valebat C. Byzantios. Habebat & CCC. summarios Soldanus oneratos, quorum quilibit portabat XL. millia

Iconium.

Baioth belli Turcici Imperator

Soldani temulentia.

Hostes.

Fuga.

Apparatꝰ armorum.

Thesauri.

Soldanorum. Erant etiam ibi tres scalæ, in quarum vna erant VI. gradus, & in alia quatuor, in tertia tres. Erantq; primæ duæ argenteæ, vt dicitur, tertia verò aurea. Porrò vas argenteum, videlicet concha quædam, in qua fundebatur vinum, de quo bibebat cum suis Soldanus, erat magnitudinis duorum modiorum vel amplius. Vasa quoq; aurea & argentea diuersimodè fabricata ibi erant, in multitudine tanta, quòd implebatur ex eis domus vna. Fertur autem, quòd thesaurus Imperatoris Manuelis in Turquia perditus fuit, ac remansit ibi, vbi fuerunt mille currus argento & auro onerati. Præterea Soldanus Babylonis apud Catheperte X. millia hominum perdidit cum spolijs eorum, maximumq; thesaurum, & hæc omnia remanserunt in Turquia. Fuit etiam Rusticus quidam in Turquia, qui Soldano XVII. millia grossorum animalium, vt Camelorum & similium obtulit, ipsumq; Soldanum hæredem suum fecit. Cæterum valorem Turquiæ nemo, vt dicitur, posset sufficienter æstimare. Itaq; dicebatur Soldanus habere XL. millia lanceas in exercitu suo, quarum ferra siue cuspides erant ex auro.

Manubiæ de Manuele Imp. & Soldano Babylon. partæ.

Turciæ opulentia.

¶ *Vide suprà cap. 143.*

CAPVT CLI.

De Coterino, qui postea se voluit erigere in Soldanum.

POst Turquiæ verò destructionem sic à Tartaris factam, quidam Turquimanus ex magna Turquiæ parentela, quem vocabant Coterinum, de consilio quorundam Admiraldorum eleuare se voluit in Soldanum. Et vt haberet accessum ad id, ad quod instigatus & monitus fuerat, matrem suam affligens atq; percutiens increpabat, eò quòd publicè diceret confitendo, cuius hominis filius esset, & quis eum genuisset. Itaq; tandem illa, sicut à filio fuerat edocta, coram omnibus, qui ex industria congregati fuerant in locum vnum, ad testificandum quid audirent, dicebat: Fili, scito quia genuit te pater istius Soldani. Quo dicto,

Coterinus Tyrannus

dicto, Coterinus exclamabat, omnibusq; dicebat: Audistis, quid mater mea dicit? Vos omnes super hoc inuoco, vt mihi testes sitis. Hac itaq; dolositate inuenta, se in populo exaltauit, & dixit: Soldanus frater meus iners ac muliebris est, nec dignus terram tenere, quoniam à Tartaris victus est: Propter hoc itaq; volo Soldanus esse, tanquam præpotens hæres terræ. Sic igitur dominandi occasionem inuenit, & CCC. casalia, vbi habitabant Christiani, circa Iconium destruxit. Illiq; de Iconio iam ordinauerunt Iconium ei reddere intra tres dies, ni citius captus fuisset. Verùm cùm intraturus esset Caudelour, illud videlicet nobile castrum, vbi erat Soldani thesaurus, ibiq; tanquam Dominus esset recipiendus, per industriam & procurationem Domini de Lambro astutè captus est, atq; suspensus, & etiam frater eius. Erant autem iam cum eo bene XX. mille homines, eiusq; debacchatio durauit circiter per tres menses. Deniq; Turci, postquam à Tartaris fuerunt vastati, eisq; subiecti, adeò illorum iugo depressi sunt ac debilitati, vt licet adhuc in numero sint multi, tamen quasi nulli sunt in vigore belli. Vnde & à multis creditur, quòd si rex Franciæ Ludouicus mare transiens recto tramite venisset in Turquiam, liberè & absq; vlla contradictione reddidissent ei terram. Nam Aegypti terra, quam primo aggressus est, valde est periculosa, vt infrà dicetur.

Opprimitur à dynasta Lambr

Turcica potentia euersio.

LIBRI XXXII.

CAPVT II.

De prima missione Fratrum Prædicatorum & Minorum ad Tartaros.

HOc etiam tempore misit Innocentius III. Papa Fr. Ascelinum de ordine Prædicatorum cum tribus alijs Fratrib9, auctoritate, qua fungebantur, de diuersis ordinis sui conuentibus sibi associatis, cum litteris Apostolicis ad exerci-

Ascelinus

¶ Vide Mechouium lib. I. cap. 5.

exercitum Tartarorum, in quibus hortabatur eos, vt ab hominum strage desisterent, & fidei veritatem reciperent. Et ego quidem ab vno Fratrum Prædicatorum, videlicet à Fr. Simone de S. Quintino, iam ab illo itinere regresso, gesta Tartarorum accepi, illa duntaxat, quæ superius per diuersa loca iuxta congruentiam temporum huic operi inserui. Siquidem & eo tempore quidam Frater ordinis Minorum, videlicet Fr. Ioannes de Plano carpi, cum quibusdam alijs missus fuit ad Tartaros, qui etiam, vt ipse testatur, per annum & quatuor menses & amplius cum eis mansit, & inter eos ambulauit. A summo namq; Pontifice mandatum, vt omnia, quæ apud eos erant, diligenter scrutaretur, acceperat, tam ipse, quàm Fr. Benedictus Polonus eiusdem ordinis, qui suæ tribulationis particeps & socius erat. Et hic ergo Fr Ioannes de his, quæ apud Tartaros vel oculis proprijs vidit, vel à Christianis fide dignis, qui inter illos captiui erant, audiuit, libellum historialem conscripsit, qui & ipse ad manus nostras peruenit. De quo etiam hîc quasi per epilogum inserere libet aliqua, videlicet ad supplementum eorum, quæ desunt in prædicta Fr. Simonis historia.

Simō Sanquintinianus. *Ioannes de Plano carpi.* *Benedictus Polonus.*

CAPVT III.

De situ & qualitate terræ Tartarorum.

Iohannes de Plano Carpi.

Tartariæ descriptio

EST in partibus Orientis terra, quæ Mongal siue Tartaria dicitur, in ea scilicet parte sita, in qua Oriens Aquiloni coniungi creditur. Ab Oriente quidem habet terram Leythaorum & etiam Solangorum, à meridie verò terram Sarracenorum. Inter Orientem & meridiem terram Huynorum, & ab Occidente prouinciam Naymanorum, ab Aquilone verò circundatur Oceano. In parte aliqua nimium est montuosa, & in aliqua campestris, sed tota ferè admixta

admixta glarea plurimum arenosa, nec est in centesima parte fructuosa. Nec enim potest fructum portare, nisi aquis fluuialibus irrigetur, quæ ibi sunt rarissimæ. Vnde nec villæ nec aliquæ ciuitates ibidem reperiuntur, excepta vna, quæ Cracurim appellatur, & satis bona esse dicit. Nos quidem illam non vidimus, sed ad dimidiam dietam prope fuimus, cùm apud Syram ordam, quæ curia maior Imperatoris eorum est, essemus. Licet autem aliâs infructifera sit illa terra, tamen alendis pecoribus est apta. In aliqua eius parte sunt aliquæ syluæ modicæ, alia verò sine lignis est omninò. Itaq; tam Imperator quàm Principes, & omnes alij sedent, & cibaria sua decoquunt ad focum, de boum & equorum stercoribus factum. Ipse quoq; aër inordinatus est ibidem mirabiliter. In media siquidem æstate ibi tonitrua magna & fulgura fiunt, ex quibus plurimi occiduntur homines, & eodem quoq; tempore cadunt ibidem maximæ niues. Sunt & ibi ventorum frigidissimorum tam maximæ tempestates, quòd aliquando vix possunt equitare homines. Vnde cùm ante ordam essemus (sic enim apud eos stationes Imperatoris & Principum appellantur) præ venti magnitudine in terra prostrati iacebamus, & videre ꝓpter pulueris magnitudinem minimè poteramus. Nunquam ibi pluit in hyeme, sed frequenter in æstate, & tam modicum, vt vix posset aliquando puluerem & radices graminũ madefacere. Ibi quoq; maxima grando cadit sæpè. Vnde cùm Imperator electus in sede regni debuit poni, nobis in curia tunc existentibus, tanta cecidit grando, quod ex subita resolutione plusquam CLX. homines in eadem curia fuerunt submersi. Res etiam & habitacula plura fuerunt deducta. Ibi etiam est in æstate subitò calor magnus, & repentè maximum frigus.

Syra orda

Aëris intemperies

Orda quid?

CAPVT IIII.

De forma & habitu & victu eorum.

MOngalorum autem siue Tartarorum forma ab omnibus alijs hominibus est remota. Inter oculos enim, & inter

Tartarorũ species.

& inter genas, lati sunt plus cæteris, genæ quoq; satis prominent à maxillis. Nasum habent planum & modicum, oculos etiam paruos, & palpebras vsq; ad supercilia eleuatas, ac super verticem in modum Clericorum coronas.

Tonsura. Ex vtraq; parte frontis tondendo, plusquam in medio crines longos faciunt, reliquos autem sicut mulieres crescere permittunt. De quibus duas cordas faciunt, & vnam quamq; post aurem ligant. Pedes quoq; modicos habent.

Habitus. Vestes tam virorum quàm mulierum vno modo formatæ sunt. Pallijs vel cappis vel caputijs non vtuntur. Tunicas verò miro modo formatas portant de buccaranno, vel purpurato, vel baldaquino. Pellicium habet pilos exterius, sed apertum est à posterioribus. Habet tamen caudulam vnam vsq; ad genua retrò. Vestes suas non lauant, nec lauari permittunt, & maximè à tempore, quo tonitrua incipiunt, vsquequo desinat illud tempus. Stationes habent

Tabernacula. rotundas in modum tentorij de virgulis & baculis subtilibus præparatas. Supra verò in medio rotundam habent fenestram, vnde ingrediatur lumen, & fumus exire possit: quia semper in medio faciunt ignem: parietes autem & tecta filtro sunt operta. Ostia quoq; de filtro sunt facta. Harum quædam subitò soluuntur, & reparantur, & super summarios deferuntur: quædam verò dissolui non possunt sed in curribus portantur. Et quocunq; siue ad bellum siue aliâs vadunt, semper illas secum deferunt. In animalibus

Opes in pecore. valde diuites sunt, vt in Camelis & bobus, capris & ouibus. Iumenta & equos habent in tanta multitudine, quantam non credimus totum mundi residuum habere. Porcos autem & alias bestias non habent. Imperator ac Duces atq; alij magnates in auro & argento ac serico & gemmis abun-

Victus: dant. Cibi eorum sunt omnia, quæ mandi possunt. Vidimus eas etiam manducare pediculos. Lac bibunt animalium, & in maxima quantitate, si habent, iumentinum. Porrò in hyeme, quia nisi diuites sint, lac iumentinum non habent, milium cum aqua decoquunt, quod tam tenue faciunt, vt illud bibere valeant. Vnde quilibet eorum scyphũ

bibit

bibit vnum vel duos in mane, & quandoq; nihil amplius manducant in die. In sero autem vnicuiq; datur de carnibus modicum, & bibunt ex eis brodium. Porrò in æstate quando satis habent de lacte iumentino, carnes comedunt raro, nisi fortè donetur eisdem, aut venatione bestiam aliquam ceperint vel auem.

CAPVT V.

De moribus eorum bonis & malis.

HAbent autem mores quosdam quidem commendabiles, & quosdam detestabiles. Magis quippe sunt obedientes Dominis suis, quam aliqui qui in mundo sint homines, siue religiosi siue seculares. Nam eos maximè reuerentur, nec illis de facili mentiuntur verbis factisue, rarò vel nunquam ad inuicem contendunt, bellaq; vel rixæ, vulnera vel homicidia nunquam inter eos contingunt. Prædones etiam ac fures rerum magnarum ibi nequaquam inueniuntur, ideoq; stationes & currus eorum, vbi thesauros habent, seris aut vectibus non firmantur. Si aliqua bestia perdita fuerit, quicunq; inuenit eam, vel dimittit, vel ad illos, qui ad hoc positi sunt, eam ducit. Apud quos ille, cuius est bestia, illam requirit, & absq; vlla difficultate recipit. Vnus alium satis honorat, & familiaritatem ac cibaria, quamuis apud eos sint pauca, liberaliter satis communicat. Satis etiam sunt sufferentes, nec cùm ieiunauerint vna die, vel duobus, omninò sine cibo, videntur impatientes, sed cantant & ludunt, ac si benè comedissent. In equitando multum sustinent frigus, calorem quoq; nimium patiuntur. Inter eos quasi nulla placita sunt, & quamuis multum inebrientur, tamen in ebrietate sua nunquam contendunt. Nullus alium spernit, sed iuuat & promouet, quantum congruè potest. Castæ sunt eorum mulieres, nec aliquid inter eos auditur de ipsarum impudicitia. Quædam tamen ex ijs verba turpia satis habent & impudica. Porrò erga cæteros homines ijdem Tartari superbissimi sunt,

πειθαρχία. *Abstinentia.* *Comitas.* *Temperantia.* *Castitas.*

Insolentia aduersus exteros. sunt, omnesq; nobiles & ignobiles quasi pro nihilo reputantes despiciunt. Vnde vidimus in curia Imperatoris magnum Rusiæ ducem, & filium regis Georgianorum, ac Soldanos multos & magnos nullum honorem debitum recipere apud eos. Quinetiam Tartari eisdem asignati, quantumcunq; viles essent, illos antecedebant, semperq; primum locum & summum tenebant, imò etiam sæpè oportebat illos post eorum posteriora sedere. Præterea iracun-*Iracundia* di sunt, & indignantis naturæ, multum erga cæteros homines & vltra modum erga eosdem mendaces. In principio quidē blandi sunt, sed postmodum vt Scorpiones pun-*Fraudulētia.* gunt. Subdoli enim & fraudulenti sunt, & omnes homines si possunt astutia circumueniunt. Quicquid mali volunt eis facere, miro modo occultant, vt sibi non posint prouidere, vel contra eorum astutias remedium inuenire. *Sordes.* Immundi quoq; sunt in cibo & potu sumendis, & in cæte-*Temulentia.* ris factis suis. Ebrietas apud illos est honorabilis: cumq; multum aliquis biberit, ibidemq; reijcit, non ideo cessat, quin iterum bibat. Ad petendum maximi sunt exactores, *δωροδοκία.* tenacisimi retentores, parcisimi donatores. Aliorum hominum occisio apud illos est pro nihilo.

CAPVT VI.

De legibus & consuetudinibus eorum.

Pœna adulterij. HOc autem habent in lege siue consuetudine, vt occidant viros & mulieres, si quando inueniantur in adulterio manifestè. Similiter etiam virginem, si fornicata fuerit cum aliquo, occidunt eam cum eo. Præterea si ali-*Furti.* quis in præda vel furto manifesto inuenitur, sine vlla miseratione occiditur. Item si quis denudauit consilia, maximè quando volunt ad bellum procedere, dantur ei super *Arcani euulgati.* posteriora centum plagæ, quanto maiores vnus rusticus cum magno baculo potest dare. Similiter cùm aliqui de minoribus offendunt in aliquo, non eis à maioribus suis parcitur,

parcitur, sed verberibus grauiter affliguntur. Matrimonio autem generaliter coniunguntur omnibus, etiam propinquis carne, excepta matre & filia & sorore ex eadem matre. Nam sororem tantùm ex patre, & vxorem quoq; patris, post eius mortem solent ducere. Vxorem etiam fratris alius frater iunior, post eius mortem, vel alius de parentela, tenetur ducere. Vnde dum adhuc essemus in terra, Dux quidam Rusiæ, Andreas nomine, apud Baty, quòd equos Tartarorum de terra educeret, & alijs venderet, accusatus est; quod licet non esset probatum, occisus est. Hoc audiens iunior frater, & vxor occisi, pariter venerunt ad præfatum Ducem, supplicare volentes, ne terra auferretur eisdem. At ille paruo præcepit, vt fratris defuncti duceret vxorem, mulieri quoq; vt illum in virum duceret, secundum Tartarorum consuetudinem. Quæ respondit, se potius occidi velle, quàm sic contra legem facere. At ille nihilominus eam illi tradidit, quamuis ambo renuerent, quantum possent. Itaq; ducentes eos in lectum, clamantem puerum & plorantē super illam posuerunt, ipsosq; commisceri pariter coëgerunt. Deniq; post mortem maritorum, vxores Tartarorum non de facili solent ad secunda coniugia transire, nisi fortè quis velit sororiam aut nouercam suam ducere. Nulla verò differentia est apud eos inter filium vxoris & concubinæ, sed dat pater quod vult vnicuiq;. Itaq; si sunt etiam ex Ducum genere, ita fit Dux filius concubinæ, sicut filius vxoris legitimæ. Vnde cùm rex Georgiæ duos filios nuper, vnum scilicet nomine Melich legitimum, alterum verò Dauid ex adulterio natum haberet, moriensq; terræ partem adulteræ filio reliquisset, Melich, cui etiam ex parte matris regnum obuenerat, quia per fœminas tenebatur, perrexit ad Imperatorem Tartarorum, eo quòd & Dauid iter arripuerat ad illum. Ambobus igitur ad curiam venientibus, datisq; maximis muneribus, petebat adulteræ filius, vt fieret ei iusticia secundum morem Tartarorum. Dataq; est sententia contra Melich, vt Dauid, qui maior erat natu, subesset, ac terram à patre

Leges matrimoniorum.

Andreas Dux Russiæ.

¶ *Vide Herberfteinium de rebus Moschoui. pag. 8. b.*

Melich & Dauid fratres Georgiani.

πλυγαμία. sibi concessam quietè ac pacificè possideret. Cumq; Tartarorum vnus habet vxorum multitudinem, vnaquæq; per se suam habet familiam & stationem. Et vna die Tartarus comedit & bibit & dormit cum vna, altera die cum alia. Vna tamen inter cæteras maior habetur, cum qua frequentius quàm cum alijs commoratur. Et licet, vt dictum est, sint multæ, nunquam tamen de facili contendunt inter se.

CAPVT VII.

De superstitiosis traditionibus ipsorum.

ἐθελοθρησκεία. QVibusdam verò traditionibus indifferentia quædam esse peccata dicunt, quas vel ipsi vel antecessores eorum confinxerunt. Vnum est, cultellum in ignem figere, vel quocunq; modo ignem cultello tangere, vel etiam de Caldaria cum cultello carnes extrahere, vel cum securi iuxta ignem incidere. Credunt enim, quòd sic auferri debeat caput igni. Aliud est appodiare se ad flagellum, quo percutitur equus: ipsi enim non vtuntur calcaribus. Item flagello sagittas tangere, iuuenes aues capere vel occidere, cum freno equum percutere, os cum osse alio frangere. Itemq; lac, vel aliquem potum aut cibum super terram effundere, in statione mingere. Quod si voluntariè facit, occiditur, si autem aliter, oportet quòd pecuniam multã incantatori soluat, à quo purificetur. Qui etiam faciat, vt statio cum omnibus, quæ in ipsa sunt, inter duos ignes transeat. Antequam sic purificetur, nullus audet intrare, nec aliquid de illa exportare. Præterea si alicui morsellus imponitur, quem deglutire non possit, & illum de ore suo eijcit, foramen sub statione fit, per quod extrahitur, ac sine vlla miseratione occiditur. Iterum si quis calcat super limen stationis Ducis alicuius, interficitur. Multa etiam

ἀθεότης. habent his similia, quæ reputant peccata. At homines occidere, aliorum terras inuadere, ac res illorum diripere, & contra Dei præcepta vel prohibitiones facere, nullum apud

apud eos est peccatum. De vita æterna & damnatione perpetua nihil sciunt. Credunt tamen, quòd post mortem in alio seculo viuant, gregesq; multiplicent, comedant & bibant, & cætera faciant, quæ hîc à viuentibus fiunt. In principio lunationis vel in plenilunio incipiunt, quicquid noui agere volunt, ipsamq; Lunam Imperatorem magnum appellant, eamq; deprecantes genua flectunt. Omnes, qui morantur in stationibus suis, oportet per ignem purificari. Quæ scilicet purificatio fit hoc modo. Duos quidem ignes faciunt, & duas hastas iuxta eos, vnamq; cordam in summitate hastarum ponunt.Ligantq; super cordam illam quasdam de Bucaranno scissiones, sub qua scilicet corda & ligaturis inter illos ignes transeunt homines, ac bestiæ ac stationes. Sunt etiam duæ mulieres, vna hinc, & alia inde aquam proijcientes, ac quædam carmina recitantes. Cæterum si aliquis à fulgure occiditur, oportet prædicto modo per ignes transire omnes illos, qui in illis stationibus morantur. Statio siquidem ac lectus & currus, filtra & vestes, & quicquid talium habent, à nullo tanguntur, sed ab hominibus tanquam immunda respuuntur. Et vt breuiter dicam, omnia purificari credunt per ignem. Vnde quando veniunt ad eos nuncij, vel Principes, aut qualescunq; personæ, oportet ipsos & munera sua per duos ignes, vt purificentur, transire, ne fortè veneficia fecerint, aut venenum seu aliquid mali attulerint.

Cultus lunæ.

Lustrationis ritus.

Ignis superstitiosa efficacitas

CAPVT VIII.

De initio imperij siue Principatus eorum.

Terra quidem illa Orientalis, de qua dictum est suprà, quæ Mongal nominatur, quatuor quondam habuisse populos memoratur. Vnus eorum Yeka Mongal, id est, magni Mongali vocabantur. Secundus Sumongal, id est, aquatici Mongali, qui seipsos appellabant Tartaros, à quodam fluuio per eorum terram currente, qui Tartar

Tartari populi.

nominatur. Tertius appellabatur Merkat. Quartus verò Metrit Omnes vnam personarum formam & vnam linguam habebant hi populi, quamuis inter se per Principes ac prouincias essent diuisi. In terra Yeka Mongal quidam fuit, qui vocabatur Chingis. Iste cœpit robustus venator esse: didicit enim homines furari, & prædam capere. Ad alias terras ibat, & quoscunq; poterat, captiuabat, sibiq; associabat. Homines quoq; suæ gentis inclinauit ad se, qui tanquam Ducem sequebantur ipsum ad malè agendum. Cœpit autem pugnare cum Sumongal, siue cum Tartaris, & Ducem eorum interfecit, multoq; bello sibi Tartaros omnes subiecit, & in seruitutem redegit. Post hæc cum istis omnibus contra Merkatas, iuxta terram positos Tartarorum pugnauit, quos etiam bello sibi subiecit. Inde procedens contra Metritas pugnam exercuit, & illos etiam obtinuit. Audientes Naymani, quòd Chingis taliter eleuatus esset, indignati sunt. Ipsi enim habuerant Imperatorem strenuum valdè, cui dabant tributum cunctæ nationes prædictæ. Qui cùm esset mortuus, filij eius successerunt loco ipsius. Sed quia iuuenes ac stulti erant, populum tenere nesciebant, sed ad inuicem diuisi ac scissi erant. Vnde Chingi prædicto modo jam exaltato, nihilominus in terras prædictas faciebant insultum, & habitatores occidebant, ac diripiebant prædam eorum. Quod audiens Chingis, omnes sibi subiectos congregauit. Naymani & Karakytay ex aduerso similiter in quandã vallem strictam conuenerunt, & commissum est prælium, in quo Naymani & Karakytay à Mongalis deuicti sunt. Qui etiam pro maiori parte occisi fuerunt, & alij, qui euadere potuerunt, in seruitutem redacti sunt. In terra prædictorum Karakytaorum Occoday Cham, filius Chingischam, postquam Imperator fuit positus, quandam ciuitatem ædificauit, quam Chanyl appellauit. Prope quam ad meridiem est quoddam desertum magnum, in quo pro certo syluestres homines habitare dicuntur, qui nullatenus loquuntur, nec iuncturas in cruribus habent, & si quando cadunt, per se surgere

Chingis ortus & res gestæ.

Naymani.

¶ *Infrà cap. 25.*

Fratres discordãtes oppressi.

Occoday Cham.

Homines syluestres.

surgere non valent. Sed tamen discretionem tantam habent, quòd filtra de lana Camelorum, quibus vestiuntur, faciunt & contra ventum ponunt. Et si quando Tartari pergentes ad eos vulnerant eos sagittis, gramina in vulneribus ponunt, & fortiter ante ipsos fugiunt.

CAPVT IX.

De mutua victoria ipsorum & Kythaorum.

MOngali autem in terram suam reuertentes, se contra * Kythaos ad prælium parauerunt, & castra mouentes, eorum terram intrauerunt. Quod audiens eorum Imperator, venit cum exercitu suo contra illos, & commissum est prælium durum, in quo Mongali sunt deuicti, omnesq; nobiles eorum, qui erant in exercitu, præter septem occisi sunt. Vnde cùm illis volentibus aliquam impugnare regionẽ, minatur aliquis stragem, adhuc respondent: Olim etiam occisi non nisi septem remansimus, & tamen modò creuimus in multitudinem magnam, ideoq; non terremur de talibus. Chingis autem & alij, qui remanserunt, in terram suam fugerunt. Cumq; quieuisset aliquantulum, præparauit se rursus ad prælium, & processit contra terram Huyrorum. Isti sunt homines Christiani de secta Nestorianorum. Et hos etiam Mongali deuicerunt, eorumq; litteram acceperunt: prius enim scripturam nõ habebant, nunc autem eandem Mongalorum litteram appellant. Inde contra terram Saruyur, & contra terram Karanitarum, & contra terram Hudirat processit, quos omnes bello deuicit. Inde in terram suam redijt, & aliquantulum quieuit. Deinde conuocatis omnibus hominibus suis, contra Kythaos pariter processerunt, diuq; contra illos pugnantes, magnam partem terræ illorum vicerunt, eorumq; Imperatorẽ in ciuitatem suam maiorem concluserunt. Quam & tam longo tempore obsederunt, quòd exercitus expensæ omninò defecerunt. Cumq; iam quod manducarent, penitus

* Haythono & Paulo Veneto sunt Cathay.

Tartarorum Cathayna clades.

Noua victoria.

Littera.

penitus non haberent, præcepit Chingischam suis, vt de decem hominibus vnum ad manducandum darent. Illi verò de ciuitate machinis & sagittis viriliter contra istos pugnabant, & cùm deficerent lapides, argentum & maximè liquefactum proijciebant. Ciuitas siquidē illa multis erat diuitijs plena. Cumq; diu Mongali pugnassent, & eam bello vincere non possent, vnam magnam sub terra viam ab exercitu vsq; ad medium ciuitatis fecerunt, & prosilientes in medium eius, contra ciues pugnauerunt. Illi quoq;,qui extra remanserant, eodem modo contra illos pugnabant. Deniq; concidentes portas ciuitatis intrauerunt, & imperatorem cum pluribus occidentes vrbem possederunt, aurumq; & argentum, & omnes eius diuitias abstulerunt. Et cùm illi terræ suos homines præfecissent, in terram propriam reuersi sunt. Tunc primum Imperatore Kythaorum deuicto, factus est Chingischam imperator. Quandam tamen partem illius terræ, quia posita erat in mari, nullatenus deuicerunt vsq; hodie. Sunt autem Kytai homines pagani, habentes litteram specialem, & etiam, vt dicitur, veteris & noui Testamenti scripturam. Habent etiam vitas patrum & eremitas & domos, in quibus erant temporibus suis, ad modum Ecclesiarum factas. Quosdam etiam sanctos habere se dicunt, & vnum Deum colunt. Christum IESVM Dominum venerantur, & credunt vitam æternam, sed non baptizantur. Scripturam nostram honorant ac reuerentur. Christianos diligunt, & eleemosynas plures faciunt, homines benigni satis & humani videntur. Barbam non habent, & in dispositione faciei cum Mongalis in parte concordant. Meliores artifices in mundo non inueniuntur in omnibus operibus, in quibus homines exercentur. Terra eorum est opulenta nimis in frumento & vino, auro & serico ac rebus cæteris.

Argentū loco lapidum in hostem proiectum.

Chingis salutatur Imperator.

Cathaynorum litteræ & religio.

Opificiorū ἐξοχή.

CAPVT

CAPVT X.

De pugna ipsorum contra Indiam minorem & maiorem.

CVm autem Mongali cum Imperatore suo Chingischam/ post præfatam victoriam aliquantulum quieuissent, exercitus suos diuiserunt. Imperator siquidem vnum de filijs suis, nomine Thosut, quem etiam Can, id est, Imperatorem appellabant, cum exercitu contra Comanos misit, quos ille multo bello deuicit, & postmodum in terram suam rediijt. Alium verò filium cum exercitu contra Indos misit, qui & minorem Indiam subiecit. Hi sunt nigri Sarraceni, qui Aethiopes sunt vocati. Hic autem exercitus ad pugnam contra Christianos, qui sunt in India maiori, processit. Quod audiens Rex illius terræ, qui vulgò * Presbyter Iohannes appellatur, contra illos venit exercitu congregato. Et faciens imagines cupreas hominum, vnamquanq; posuit in sella super equum. Posuit & interius ignẽ, & hominem cum folle super equum post imaginem. Itaq; cum multis equis & imaginibus, taliter præparatis, ad pugnam contra Mongalos seu Tartaros processerunt. Et cùm ad locum prælij peruenissent, equos istos vnum iuxta alium præmiserunt. Viri autem, qui erant retrò, nescio quid super ignem, qui erat intra imagines, posuerunt, & cum follibus fortiter sufflauerunt. Vnde factum est, vt ex Græco igne homines & equi comburerentur, & etiam aër ex fumo denigraretur. Tumq; super Tartaros sagittas iecerunt Indi, ex quibus multi vulnerati fuerunt & interfecti. Sicq; eiecerunt illos cum magna confusione de suis finibus, nec vnquam, quod ad ipsos vltra redierint, audiuimus.

Thossut Can, Chingis F.

India minor debellata.

Regis maioris Indiæ strategema.

* Vide scholiò in lib. 1. cap. 51. M. Pauli Veneti.

Victoria.

CAPVT XI.

Qualiter ab hominibus caninis repulsi, Burithabethinos vicerunt.

Cùm

CVm autem per deserta redirent, in quandam terram venerunt, in qua, sicut nobis apud Impatoris curiam per clericos Ruthenos, & alios, qui diu fuerant inter ipsos, firmiter asserendo referebatur, monstra quædam, imaginem fœmineam habentia, repererunt. Quas cùm per multos interpretes interrogassent, vbi viri terræ illius essent, responderunt, quòd in illa terra quæcunq; fœminæ nascebantur, habebant formam humanam, masculi verò speciem caninam. Dumq; moram in terra illa protraherent, canes in alia fluuij parte conuenerunt. Et cùm esset hyems asperrima, omnes se in aquam proiecerunt. Post hæc in continenti sponte in puluere voluebantur, sicq; puluis admixtus aquæ super eos congelabatur, & vt ita pluries fecerunt, glacie super eos depressata, cum impetu magno contra Tartaros ad pugnam conuenerunt. At verò cùm illi sagittas super eos iacebant, ac si super lapides sagittassent, retrò sagittæ redibant. Alia quoq; arma eorum in nullo eos lædere poterant. Ipsi verò canes insultum in Tartaros facientes, morsibus vulnerauerunt multos, & occideruut, sicq; illos de suis finibus eiecerunt. Vnde adhuc inter illos est prouerbium de hoc facto, quod dicunt ad inuicem ridendo: Pater meus vel frater meus à canibus fuit occisus. Mulieres autem illorum, quas ceperant, ad terram suam duxerunt, & vsq; ad diem mortis eorum ibidem fuerunt. Cùm autem exercitus ille Mongalorum rediret, venit ad terram Burithabeth, cuius habitatores pagani sunt, & hos Tartari bello vicerunt. Hi consuetudinem habent mirabilem, imò potius miserabilem. Cùm enim alicuius pater humanæ naturæ soluit debitum, congregat omnem parentelam, & comedunt eum. Hi pilos in barba non habent, imò ferrum quoddam in manibus, sicut vidimus, portant, cum quo semper barbam, si fortè crinis aliquis in ea crescit, depilant. Multum etiam deformes sunt. Inde verò ille Tartarorum exercitus in terram suam est reuersus.

De monstrosis mulieribus et canibus monstrosa narratio.

¶ Forsan autē videri allegorica allusio poßit ad Canibales de quib. Petrus Martyr Mediolan. de rebus Oceanicis.

Buritbabeth regio.

Incolarū mores.

CAPVT

CAPVT XII.

Qualiter à montibus Caspijs,& ab hominibus subterraneis repulsi sunt.

CHingischam etiã illo tempore, quo dimisit alios exercitus contra Orientem, per terram Kergis cum expeditione perrexit, quos tamen tunc bello non vicit,& vt nobis dicebatur, ibidem vsq; ad montes Caspios peruenit. At illi montes in ea parte, ad quam applicauerunt, de lapide Adamantino sunt,ideoq; sagittas &arma ferrea illorum ad se traxerunt. Homines autem inter Caspios montes conclusi,clamorem exercitus,vt creditur,audientes,montem frangere cœperunt, & cùm alio tempore post decem annos redirent Tartari, montem confractum inuenerunt. Cumq; ad illos accedere attentassent, minimè potuerunt: quia nubes quædam erat posita ante ipsos, vltra quam ire nullatenus poterant. Omninò quippe visum amittebant, statim vt ad illam perueniebant. Illi autem ex aduerso credentes, quòd Tartari ad illos accedere formidarent,insultum contra eos fecerunt, sed statim vt peruenerunt ad nubem, propter causam prædictam, procedere non potuerunt. Ac verò antequam ad montes prædictos peruenirent Tartari, plusquam per mensem per vastam solitudinem transierunt, & inde procedentes adhuc contra Orientem, plusquàm per mensem per magnum desertũ perrexerunt. Itaq; peruenerunt ad quandam terram, in qua vias quidem tritas videbant, sed neminem inuenire poterant. Tandem quærentes, vnum hominẽ cum vxore sua repererunt, quos in præsentiam Chingischam adduxerunt. Qui cùm interrogasset illos, vbi homines illius terræ essent, responderunt, quòd in terra sub montibus habitarent. Tunc Chingischam retenta vxore, misit ad eos virum illum, mandans illis, vt venirent ad ipsius mandatum. Qui pergens ad illos, omnia narrauit, quæ Chingischam eis mandauit. Illi verò respondentes dixerunt, ꝙ die tali venirent ad ipsum, vt facerent eius mandatum. Ac ipsi medio tempore per

Alia Chingis expeditio.

¶ Vide an Hamsem regionem dicat: de qua Haythonus cap. 10.

Troglodytæ.

vias occultas sub terra se congregantes, ad pugnam contra illos venerunt, & subitò super eos irruentes, plurimos occiderunt. Solis quoq; sonitus in ortu suo sustinere non poterant, imò tempore, quo oriebatur, oportebat eos vnam aurem ad terram ponere, & superiorem fortiter obturare, ne sonum illum terribilem audirent. Nec sic tamen cauere poterant, quin hac de causa plurimi ex eis interirent. Videns ergo Chingischam & sui, quòd nihil proficerent, sed potius homines suos perderent, fugerunt, ac terra illa exierunt. Illum tamen virum cum vxore sua secum deduxerunt, qui etiam vsq; ad mortem in terra eorum fuerunt. Interrogati verò, cur in regione sua sub terra soleant habitare, dixerunt, quòd ibi quodam tempore anni, cùm oritur Sol, tantus fit sonitus, vt homines nulla ratione valeant sustinere. Quin etiam tunc in organis & tympanis cæterisq; musicis instrumentis percutere solent, vt sonitum illum non audiant.

Fabulosus Solis orientis sonitus

CAPVT XIII.

De statutis Chingischam, & morte ipsius, & filijs ac Ducibus.

CVm autem de terra illa reuerteretur Chingischam, defecerunt eis victualia, famemq; patiebantur maximam. Tunc interiora vnius bestiæ recentia casum inuenerunt: quæ accipientes, depositis tantum stercoribus, decoxerunt, & coram Chingischam deportata pariter comederunt. Ideoq; statuit Chingischam, vt nec sanguis, nec interiora, nec aliquid de bestia, quæ manducari potest, proijciatur, exceptis stercoribus. Inde ergò in terram propriam reuersus est, ibiq; leges & statuta edidit, quæ Tartari inuiolabiliter obseruant, de quibus scilicet iam aliâs superiùs dictum est. Post hoc ab ictu tonitrui occisus est. Habuit autem quatuor filios: Occoday vocabatur primus, Thossut Can secundus, Thiaday tertius, quarti nomẽ ignoramus. Ab his IIII. descenderunt omnes Duces Mongalorũ.

Chingis lex.

Interitus.

Liberi.

Primus

Primus filiorum Occoday est Cuyne, qui nunc est Imperator. Huius fratres Cocten & Chyrenen. Ex filijs autem Thossut Can sunt Bathy, Ordu, Siba, Bora. Bathy post Imperatorem omnibus ditior est ac potentior. Ordu verò omnium Ducum senior. Filij Thiaday, Sunthurin & Cadan. Filij autem alterius filij Chingischam, cuius ignoramus nomen, sunt, Mengu & Bithat & alij plures. Huius Mengu mater Serocтan est, Domina magna inter Tartaros, excepta Imperatoris matre plus nominata, omnibusq; potentior, excepto Bathy. Hæc autem sunt nomina Ducum: Ordu, qui fuit in Polonia & Hungaria, Bathy quoq; & Huryn & Cadan & Siban & Ouygat, qui omnes fuerunt in Hungaria. Sed & Cyrpodan, qui adhuc est vltra mare contra quosdam Soldanos Sarracenorum, & alios habitatores terræ transmarinæ. Alij verò remanserunt in terra, scilicet Mengu, Chyrenen, Hubilai, Sinocur, Cara, Gay, Sybedey, Bora, Berca, Corrensa. Alij quoq; Duces eorum plures sunt, quorum nomina nobis ignota sunt.

Nepotes.

Duces.

CAPVT XIIII.

De potestate Imperatoris & Ducum eius.

POrrò Imperator eorum, scilicet Tartarorum, super omnes habet mirabile dominium. Nullus enim audet in aliqua morari parte, nisi vbi assignauerit ipse. Et ipse quidem assignat Ducibus vbi maneant. Duces autem loca Millenarijs assignant, Millenarij verò Centenarijs, & Centenarij Decanis. Quicquid autem eis præcipitur, quocunq; tempore, quocunq; loco, siue ad bellum, siue ad mortem, vel vbicunq;, sine vlla obediunt contradictione. Nam & si petit alicuius filiam virginem, vel sororem, mox ei sine contradictione exponunt eam, imò frequenter colligit virgines ex omnibus Tartarorum finibus, & si vult aliquas retinere, sibi retinet, alias verò dat suis hominibus. Nuncios etiam quoscunq; & vbicunq; transmittat, oportet quòd

Imperatoris Tartarorũ serui leinomnes imperium

dent ei sine mora equos & expensas. Similiter vndecunq; veniant ei tributa vel nuncij, oportet equos & currus & expensas tribui. Ac verò nuncij, qui aliunde veniunt, in magna miseria, & victus & vestitus penuria sunt. Maximèq; quando veniunt ad Principes, & ibi debent moram contrahere. Tunc adeò parum datur decem hominibus, quòd vix inde possent duo viuere. Insuper & si aliquæ illis iniuriæ fiunt, minimè conqueri facile possunt. Multa quoq; munera tam à principibus quàm à cæteris ab illis petuntur: quæ si non dederint, vilipenduntur, & quasi pro nihilo reputantur. Hinc & nos magnam partem rerum, quæ nobis pro expensis à fidelibus erant datæ, de necessitate oportuit in muneribus dare. Deniq; sic omnia sunt in manu Imperatoris, quod nemo audet dicere, hoc meum est vel illius, sed omnia, scilicet res & iumenta ac homines, sunt ipsius. Super hoc etiam nuper emanauit statutum eiusdem. *Idem* quoq; per omnia dominium habent Duces super sibi subditos homines.

Inhumanitas erga legatos.

CAPVT XV.

De electione Imperatoris Occoday, & legatione Ducis Bathy.

MOrtuo, vt suprà dictum est, Chingischã, conuenerunt Duces, & elegerunt Occoday, filium eius Impatorem. Qui habito consilio Principum, diuisit exercitus. Misitq; Bathy, qui in secundo gradu attingebat eum, contra terram Altissodan & contra terram Bisminorum, qui Sarraceni erant, sed loquebantur Comanicum. Qui terram illorum ingressus, cum eis pugnauit, eosq; sibi bello subiecit. Quædam autem ciuitas, nomine Barchin, diu restitit eis. Ciues enim in circuitu ciuitatis foueas multas fecerant, propter quas non poterant à Tartaris capi, donec illas repleuissent. Ciues autem vrbis Sarguit hoc audientes, exierunt obuiam eis, spontè in manus eorum se tradentes. Vnde ciuitas eorum destructa non fuit, sed plures eorum occiderunt,

Occoday surrogatur patri.
Bathy eiusq; expeditio.
Barchin ciuitas.

ciderunt, & alios transtulerunt, acceptisq; spolijs, vrbem alijs hominibus repleuerunt, & contra ciuitatem Orna perrexerunt. Hæc erat nimium populosa & diuitijs copiosa. Erant enim ibi plures Christiani, videlicet Gasari & Rutheni & Alani, & alij nec non & Sarraceni. Eratq; Sarracenorum ciuitatis dominium. Est etiam posita super quendam magnum fluuium, & est quasi portus, habens forum maximum. Cumq; Tartari non possent eos aliter vincere, fluuium, qui per vrbem currebat, præciderunt, & illam cum rebus & hominibus submerserunt. Quo facto, contra Rußiam perrexerunt, & magnam stragem in ea fecerunt, ciuitates & castra destruxerunt, & homines occiderunt. * Kaoniam, Rußiæ metropolin, diu obsederunt, & tandem ceperunt, ac ciues interfecerunt. Vnde quando per illam terram ibamus, innumerabilia capita & ossa hominum mortuorum, iacentia super campum, inueniebamus. Fuerat enim vrbs valdè magna & populosa, nunc quasi ad nihilum est redacta: vix enim domus ibi remanserunt ducentæ, quarum etiam habitatores tenentur in maxima seruitute. Porrò de Rußia & de Comania Tartari contra Hungaros & Polonos processerunt, ibiq; plures ex ipsis interfecti fuerunt, &, vt iam superius dictum est, si Hungari viriliter restitissent, Tartari ab eis confusi recessissent. Inde reuertentes in terram Morduanorum, qui sunt Pagani, venerunt, eosq; bello vicerunt. Inde contra Byleros, id est, contra Bulgariam magnam profecti sunt, & ipsam omninò destruxerunt. Hinc ad Aquilonem adhuc contra Bastarcos, id est Hungariam magnam processerunt, & illos etiam deuicerunt. Hinc amplius ad Aquilonem pergentes, ad Parosßitas venerunt, qui paruos habentes stomachos & os paruum, non manducant, sed carnes decoquunt, quibus decoctis, se super illam ponunt, & fumum recipiunt, & de hoc solo reficiuntur, vel si aliquid manducant, hoc valde modicum est. Hinc & ad Samogetas venerunt, qui tantùm de venationibus viuunt, & tabernacula vestesq; tantum habent de pellibus bestiarum. Inde ad

Orna.

* Kiouiam, vt cap. 19. ¶ *Vide Mechouiū. lib. 1. ca. 3*

Bulgaria magna.

Hungaria magna.

¶

Parosßitæ.

Samogetæ

Monstra aquilonaria. ad quandam terram super Oceanum peruenerunt, vbi monstra quædam inuenerunt, quæ per omnia formam humanã habebant, sed pedes bouinos, & caput quidem humanum, sed faciem vt canis. Duo verba loquebantur vt homines, tertiò latrabant vt canes. Hinc redierunt in Comaniam, & vsq; nunc ibi morantur ex eis quidam.

♃ De his regionibus Herbersteinius pag. 8. b. & 91. b. Paret enim hodie vtraq; Moschorum Principi. Item de Bulgaria Guagninus pag. 106. b.

CAPVT XVI.

De legatione Cyrpodan Ducis.

Expeditio Cyrpodanis. EO tempore misit Occoday Can Cyrpodan Ducem cum exercitu ad meridiem contra Kergis, qui & illos bello superauit. Hi homines sunt Pagani, qui pilos in barba non habent. Quorum consuetudo talis est, vt cùm alicuius pater moritur, præ dolore quasi vnam corrigiam in signum lamenti ab aure vsq; aurem de facie sua leuet. His autem deuictis, Dux Cyrpodan contra Armenios iuit ad meridiẽ cum suis. Qui cùm transirent per deserta quædam, monstra inuenerunt, effigiem humanam habentia, quæ non nisi vnum brachium cum manu in medio pectoris, & vnum pedem habebant, & duo cum vno arcu sagittabant, adeoq; fortiter currebant, quòd equi eos inuestigare non poterant. Currebant autem super vnum pedem illum saltando, & cùm essent fatigati, taliter eundo ibant super manum & pedem, se tanquam in circulo reuoluendo. Cumq; sic etiam fessi essent, iterum secundum priorem modum currebant. *Cyclopedes.* Hos Isidorus Cyclopedes appellat. Et ex eis Tartari nonnullos occiderunt. Et sicut nobis à Ruthenis Clericis in curia dicebatur, qui morantur cum Imperatore prædicto, plures ex eis nuncij venerunt in legatione ad curiam Imperatoris, superius annotati, vt possent habere pacem cum illo. *Armenia et Georgia subacta.* Inde procedentes venerunt in Armeniam, quam bello deuicerunt, & etiam Georgiæ partem. Alia

verò

verò pars venit ad mandatum eorum, & ſingulis annis dederunt, & adhuc dant ei pro tributo XX. milia Yperperarum. Hinc ad terram Soldani Deurum, potentis & magni, ꝓceſſerunt, cum quo etiam pugnantes, ipſum deuicerunt. Deniq; proceſſerunt vlterius debellando ac vincendo vſq; ad terram Soldani Halapiæ,& nunc etiam terram obtinent, alias quoq; terras vltra illas proponentes impugnare: nec poſtea reuerſi ſunt in terram ſuam vſq; hodie. Idemq; exercitus contra terram Caliphi Baldach perrexit,quam etiā ſibi ſubdidit, & vt CCCC. Byzantios, exceptis Baldekinis cæteriſq; muneribus, ei quotidiè pro tributo daret, obtinuit. Sed & quolibet anno mittunt nuncios ad Caliphum, vt ad eos veniat. Qui cum tributo munera magna transmittens, vt eum ſupportent, rogat. Ipſe autem Imperator Tartarorum munera quidem accipit, & nihilominus vt veniat, prò eo mittit. *Soldanus Halapiæ.* *Calipha Baldacenſis.*

CAPVT XVII.

Qualiter Tartari ſe habent in prælijs.

ORdinauit Chingiſcham Tartaros per Decanos & centenarios & millenarios. Decem quoq; millenarijs præponunt vnum, cunctoq; nihilominus exercitui duos aut tres Duces, ita tamen vt ad vnum habeant reſpectum. Cumq; in bello contra aliquos congrediuntur, niſi communiter cedant, omnes qui fugiunt, occiduntur. Et ſi vnus aut duo vel plures ex decem audacter accedunt ad pugnam alij verò ex illo Denario non ſequuntur, ſimiliter occiduntur. Sed etiam ſi vnus ex decem vel plures capiuntur, ſocij eorum ſi non eos liberant, ipſi etiam occiduntur. Porrò arma debent habere talia. Duos arcus vel vnum bonum ad minus. Treſq; pharetras ſagittis plenas, & vnam ſecurim & funes ad machinas trahendas. Diuites autem habent gladios in fine acutos, ex vna parte tantum incidentes, & aliquantulum curuos. Habent & equos armatos, crura *Tartarorum militaris diſciplina.* *Armatura.*

etiam

etiam tecta, galeas & loricas. Verùm loricas & equorum cooperturas quidam habent de corio, super corpus artificioso duplicato, vel etiam triplicato. Galea verò superius est de chalybe, vel de ferro: sed illud, quod in circuitu protegit collum & gulam, est de corio. Quidam autem de ferro habenr omnia supradicta, in hunc modum formata. Laminas multas tenues ad vnius digiti latitudinem & palmæ longitudinem faciunt, & in qualibet octo foramina paruula facientes, interius tres corrigias strictas & fortes ponunt. Sicq; laminas, vnam alij quasi per gradus ascendendo, supponunt. Itaq; laminas ad corrigias, tenuibus corrigiolis per foramina prædicta immissis, ligant, & in superiori parte corrigiolam vnam ex vtraq; parte duplicatam cum alia corrigiola consuunt, vt laminæ simul benè firmiterq; cohæreant. Hæc faciunt tam ad cooperturas equorum, quàm ad armaturas hominum. Adeoq; faciunt illa lucere, quod in eis potest homo faciem suam videre. Aliqui verò in collo ferri lanceæ vncum habent, cum quo de sella, si possunt, hominem detrahant. Sagittarum eorum ferramenta sunt acutissima, ex vtraq; parte quasi gladius biceps incidentia, semperq; iuxta pharetram portant limas ad acuendum sagittas. Habent verò scuta de viminibus, aut de virgulis facta. Sed non credimus, quòd ea soleant portare, nisi ad castra & ad custodiam Imperatoris ac Principum, & hoc tantum de nocte. In bellis astutissimi sunt: quia per annos XLII. cum cæteris gentibus dimicârunt.

Vsus bellorum.

Cùm autem ad flumina peruenerunt, maiores habent rotundum ac leue corium, in cuius summitate per circuitum ansas crebras facientes, funem imponunt ac stringunt, ita quod in circuitu quasi ventrem efficiunt, quem vestibus ac rebus cæteris replent, fortissimeq; ad inuicē comprimunt. In medio autem ponunt sellas & alias res duriores: ibi quoq; sedent homines. Huiusmodi nauim ad equi caudam ligant, & hominem, qui equum regat, pariter natare faciunt, vel habent aliquando duos remos, cum quibus remigant. Equo igitur in aquam impulso, omnes alij equi sequun-

Mos tranandi flumina.

ſequuntur illum, & ſic tranſeunt fluuium. Pauperior autem quilibet vnam burſam vel ſaccum de corio benè conſutum habet, in quo res ſuas omnes imponit, & in ſummitate fortiter ligatum, ad equi caudam ſuſpendit, ſicq; modo prædicto tranſit.

CAPVT XVIII.

Qualiter reſiſtendum ſit eis.

NVllam æſtimo prouinciam eſſe, quæ per ſe poſsit eis reſiſtere: quia de omni terra poteſtatis ſuæ ſolent homines ad bellum congregare. Et ſiquidem vicina prouincia non vult eis opem ferre, quam impugnant, delentes illam, cum hominibus, quos ex illa capiunt, contra aliam pugnant. Et illos quidem in acie primos ponunt, & ſi malè pugnant, ipſos occidunt. Itaq; ſi Chriſtiani eis reſiſtere volunt, oportet quòd Principes ac rectores terrarum in vnum conueniant, ac de communi conſilio eis reſiſtant. Habeantq; pugnatores arcus fortes & baliſtas, quas multum timent, ſagittaſq; ſufficientes, dolabrum quoq; de bono ferro, vel ſecurim cum manubrio longo. Ferramenta verò ſagittarum more Tartarorum, quando ſunt calida, temperare debent in aquam, cum ſale mixta, vt fortia ſint ad penetrandum illorum arma. Gladios etiam & lanceas cum vncis habeant, qui volunt, ad detrahendum illos de ſella, de qua facilimè cadunt. Habeant & galeas & arma cætera, ad protegendum corpus & equum ab armis & ſagittis eorum, & ſi qui non ita ſunt armati, debent more illorum poſt alios ire, & contra ipſos arcubus vel baliſtis traijcere. Et ſicut dictum eſt ſuprà de Tartaris, debent acies ſuas ordinare, ac legem pugnantibus imponere. Quicunq; conuerſus fuerit ad prædam ante victoriam, maximam debet pœnam ſubire: talis enim apud illos occiditur abſq; miſeratione. Locus ad prælium, ſi fieri poteſt, eligendus eſt planus, vt vndiq; poſsint videre, nec omnes debeant in vnum conuenire, ſed acies multas & diuiſas, nec

παραίνεσις de bello contra Tartaros gerendo.

tamen nimis distantes ab inuicem, facere. Contra illos, qui primò veniunt, debent vnam aciem mittere, & alia parata sit ad iuuandum illam oportuno tempore. Habeant & speculatores ex omni parte, qui videant, quando veniunt acies cæteræ. Nam ideo semper debent aciem contra aciem, vt ei occurrant, mittere, quoniam illi semper nituntur aduersarios in medio concludere. Hoc autem acies caueant, ne si etiam illi fugere videantur, diu post illos currant, ne fortè, sicut facere solent, ipsos ad paratas insidias trahant: quia plus fraudulentia quàm fortitudine pugnant. Et iterum ne fatigentur equi eorum: quia nostri multitudinem non habent equorum. Tartari verò quos equitant die vna, non ascendunt tribus diebus, vel quatuor postea. Præterea si cedunt Tartari, non ideo debent nostri recedere, vel ab inuicem seperari: quoniam hoc simulando faciunt, vt exercitus diuidatur, & sic ad terræ destructionem liberè ingrediantur. Cæterum Duces nostri die noctuq; facere debent exercitum custodiri: nec iacere spoliati, sed semper ad pugnam parati: quia Tartari quasi Dœmones semper vigilant, excogitantes artem nocendi. Porrò si aliqui Tartarorũ in bello de suis equis proijciuntur, statim capiendi sunt, quia quando sunt in terra fortiter sagittant, & equos hominesq; vulnerant & occidunt.

CAPVT XIX.

De itinere Fratris Iohannis vsq; ad primam custodiam Tartarorum.

Itinerarium Ioann. & sociorum legatorum.

NOs igitur ex mandato sedis Apostolicæ cùm iremus ad Orientis nationes, elegimus prius ad Tartaros proficisci: quia timebamus, ne per illos in proximo Ecclesiæ Dei periculum imineret. Itaq; pergentes, ad regem Boëmorum peruenimus: qui cùm esset nobis familiaris, consuluit, vt per Poloniam & Russiam iter ageremus. Habebat enim consanguineos in Polonia, quorum auxilio Russiam intrare possemus. Datisq; litteris & bono conductu,

fecit,

fecit & expensas nobis dare per curias & ciuitates eius, quo vsq; ad Ducem Slesiæ Bolezlaum, nepotem eius, veniremus, qui etiam erat nobis familiaris & notus. Hinc & ipse nobis similiter fecit, donec veniremus ad Conradum, Ducem * Lautisciæ, ad quem tunc, Dei gratia nobis fauente, venerat Dominus VVasilico, Dux Rusiæ, à quo etiam plenius de facto audiuimus Tartarorum: quia nuncios illuc miserat, qui iam redierant ad ipsum. Audito autem, quòd oporteret nos illis munera dare, quasdam pelles castorum & aliorum animalium fecimus emi, de hoc, quod datum nobis fuerat in eleemosynam ad subsidiũ viæ. Quod agnoscentes Dux Conradus & * Ducissa Cracouiæ, & Episcopus & quidam milites, plures etiam nobis dederunt huiusmodi pelles. Deniq; Dux VVasilico à Duce Cracouiæ, & Episcopo atq; Baronibus pro nobis attentè rogatus, secum nos in terram suam duxit, & vt aliquantulum quiesceremus, aliquot diebus nos in expensis suis detinuit. Et cùm rogatus à nobis, fecisset Episcopos suos venire, legimus eis litteras Domini Papæ, monentis eos, ad sanctæ matris Ecclesiæ vnitatem redire. Ad idem quoq; nos ipsi monuimus eos, & induximus, quantum potuimus, tam Ducem quàm Episcopos & alios. Sed quia Dux Daniel, frater VVasiliconis prædicti, præsens non erat, quoniam ad Baty profectus erat, nõ potuerunt eo tempore finaliter respondere. Post hæc Dux VVasilico transmisit nos vsq; in Kiouiam, metropolin Rusiæ, cum seruiente vno. Ibamus tamen in periculo capitis semper propter Lituanos, qui sæpè faciebant insultum super terram Rusiæ, & in illis maximè locis, per quos debebamus transire. At per prædictum seruientem eramus securi à Ruthenis, quorum etiam maxima pars occisa vel captiuata erat à Tartaris. Porrò in Danilone vsq; ad mortem tunc infirmati fuimus. Nihilominus tamen in vehiculo per niuem & frigus magnum trahi nos fecimus. Cùm ergò Kiouiam peruenimus, habuimus de via nostra consilium cum millenario ac cæteris ibidem nobilibus. Qui responderunt nobis, quòd si duceremus equos

Boleslaus Dux Silesiæ.

* Mazouiæ.

*Grimislaua, vt Mechouius li. 1. cap. 9.

Littera Papæ ad Russos.

Daniel, frater Basilij.

Lituani.

illos, quos tunc habebamus, ad Tartaros, cùm essent magnæ niues, morerentur omnes: quia nescirent herbam fodere sub niue, sicut equi faciunt Tartarorum, nec inueniri posset aliquod pro eis ad manducandum, cùm Tartari nec stramina nec fœnum habeant nec pabulum. Itaq; decreuimus eos illic dimittere cum duobus pueris, deputatis eorum custodiæ. Ideoq; nos oportuit millenario dare munera, vt ipsum haberemus ꝓpicium, ad dandum nobis equos subductitios & conductum. Secundo igitur die post festum Purificationis cepto itinere, venimus ad villam Canouæ, quæ sub Tartaris erat immediatè. Cuius præfectus nobis dedit equos & conductum vsq; ad aliam, in qua reperimus præfectum Micheam, omni malitia plenum. Qui tamen acceptis à nobis muneribus secundum velle suum, duxit nos vsq; ad primam custodiam Tartarorum.

Pabulum equorum Tartaric.

Micheas πάγκακος.

CAPVT XX.

Qualiter primò cum socijs suis receptus est à Tartaris.

CVm ergo in prima sexta feria post diem cinerum, Sole ad occasum tendente, hospitaremur, Tartari super nos armati horribiliter irruerunt, quærentes cuiusmodi homines essemus: cumq; respondissemus, quòd Domini Papæ nuncij essemus, quibusdam cibarijs à nobis acceptis, continuò discesserunt. Porrò mane facto, cùm surgentes aliquantulum processissemus, maiores illorum, qui erant in custodia, nobis occurrerunt, interrogantes, cur ad eos veniremus? & quid negocij haberemus? Quibus respondimus, Domini Papæ nuncij sumus, qui Christianorum pater est ac Dominus. Hic nos idcirco tam ad Regem quàm ad Principes, omnesq; Tartaros, mittit, quia placet ei, quôd omnes Christiani Tartarorum sint amici, & pacem habeant cum ipsis. Desiderat insuper, vt apud Deum in cœlo sint magni, & idcirco monet eos tam per nos quàm per litteras suas, vt efficiantur Christiani, fidemq; recipiant

Papa Christianorum pater & Dominus.

Legationis mandata.

ant Domini nostri IESV Christi, quia non possunt aliter saluari. Mandat præterea, quòd miratur de tanta occisione hominum, & maximè Christianorum, ac potissimè Hungarorum, Montanorum & Polonorum, qui sunt ei subiecti, facta per Tartaros, cùm in nullo læsissent, aut lædere attentassent, eos. Et quia Dominus Deus grauiter est super hoc offensus, monet eos, vt à talibus de cætero caueant, & de commissis pœnitentiam agant. Super his etiam rogat, vt ei rescribant, quid facere velint de cætero, & quæ sit eorum intentio. Quibus auditis, & intellectis, dixerunt Tartari, se velle equos nobis subducticios vsq; ad Corrensam & ducatum præbere. Statimq; munera petierunt, & à nobis acceperunt. Equis igitur acceptis, de quibus descenderant ipsi, cum eorum ducatu ad Corrensam arripuimus iter eundi. Ipsi tamen velociter equitantes, nuncium vnum præmiserunt ad præfatum Ducem cum his verbis, quæ dixeramus eisdem. Est autem Dux iste Dominus omnium, qui positi sunt in custodia contra omnes Occidentis populos, ne fortè subitò & improuisè irruant aliqui super illos. Et iste dicitur habere sexingenta millia hominum armatorum sub se.

Corrensa.

Dux limitis occidētalis.

CAPVT XXI.

Qualiter recepti sunt apud Corrensam.

CVm ergò peruenissemus ad eius curiam, fecit nobis longè à se poni stationem, & misit ad nos procuratores suos, vt quærerent à nobis, cum quo ei vellemus inclinare, id est, quæ ei munera inclinando vellemus offerre. Quibus respondimus, quòd Dominus Papa non mittebat aliqua munera; quia non erat certus, quòd ad illos peruenire possemus, & insuper veneramus per loca valdè periculosa. Veruntamen in quantum de his, quæ habebamus ex gratia Dei & Domini Papæ ad victum nostrum, sicut poterimus, honorabimus ipsum. Acceptisq; muneribus, duxerunt

Mos salutandi Tartaricos proceres.

nos ad ordam siue tentorium ipsius, & instructi fuimus, vt ante ostium stationis ter cum sinistro genu inclinaremus, & caueremus attentè, ne pedem super limen ostij poneremus. Et postquam intrauimus, oportuit nos coram Duce omnibusq; maioribus, qui ad hoc erant vocati, dicere flexis genibus ea, quæ dixeramus superius. Litteras etiam Domini Papæ obtulimus: sed interpres, quem de Kyouia, dato precio, duxeramus, non erat sufficiens ad interpretandum, nec aliquis alius habebatur idoneus. Hinc equi nobis dati sunt, & tres Tartari, qui nos ducerent festinanter ad Ducem Bathy. Ipse est apud eos potentior excepto Imperatore, cui tenentur præ cunctis principibus obedire. Itaq; iter arripuimus secunda feria post primam Dominicam XL. & equitando, quantum equi trotare poterant, quoniam habebamus equos recentes, ferè ter aut quater omni die pperabamus de mane vsq; ad noctem, imò etiam de nocte sæpissimè, nec tamen ante quartam feriam maioris hebdomadæ potuimus ad ipsum peruenire. Ibamus autem per terram Comanorum, quæ tota est plana, & flumina quatuor habet magna. Primum appellatur * Neper, iuxta quod ex parte Russiæ ambulabat Correnza & Montij, qui maior est illo ex altera parte per campestria. Secundum appellatur * Don, super quod ambulat quidam Princeps, habens in coniungio sororem Baty, qui vocatur Tirbon. Tertium dicitur * Volga, quod est magnum valde, super quod accedit Bathy. Quartum nominatur * Iaec, super quod duo millenarij vadunt, vnus ex parte fluminis vna, & alter ex altera. Hi omnes in hyeme ad mare descendunt, & in æstate super ripam eorundem fluminum ad mótes ascendunt, Hoc est mare magnum, de quo brachium sancti Georgij exit, quod in Constantinopolin vadit. Hæc autem flumina sunt piscibus valdè plena, maximè Volga, intrantq; mare Græciæ, quod dicitur magnum mare. Super Nepre autem multis diebus iuimus per glaciem. Super littora quoq; maris Græciæ satis periculosè per glaciem iuimus in pluribus locis multis diebus. Congelatur enim circa

Bathy eiusq; potētia.

Comania.

* veteribus Borysthenes.

* Tanais

* Rha.

* Rhymnus.

Pontus Euxinus.

circa littora vndæ ad tres leucas inferius. Prius autem quàm ad Bathy perueniremus, duo ex nostris Tartaris præcesserunt, ad indicandum ei omnia verba, quæ apud Correnſan dixeramus.

CAPVT XXII.

Qualiter recepti ſunt apud Bathy magnum Principem.

PОrrò cùm in finibus terræ Comanorum ad Bathy perueniremus, benè poſiti fuimus per vnam leucam à ſtationibus eius. Cumq; Duci debuimus ad curiam ipſius, dictum fuit nobis, quòd inter duos ignes tranſire deberemus. Nos autem hoc nulla ratione facere volebamus. At illi dixerunt nobis: Ite ſecurè, quia pro nulla cauſa voluimus hoc facere, niſi tantum, vt ſi vos aliquid malum cogitatis Domino noſtro, vel portatis venenum, ignis auferat omne malum. Quibus reſpondimus: quod propter hoc, ne de tali re ſuſpectos redderemus nos, tranſiremus. Cùm igitur ad Ordam perueniſſemus, interrogati à procuratore ipſius Eldegay, cum quo inclinare vellemus? idem quod prius apud Correnſam reſpondimus, datiſq; muneribus & acceptis, auditis etiam itineris cauſis, introduxerunt nos in ſtationem Principis, prius facta inclinatione, & audita de limine non calcando, ſicut prius, admonitione. Ingreſsi autem flexis genibus, verba noſtra propoſuimus, deinde litteras obtulimus, & vt nobis darentur interpretes ad transferendum eas, rogauimus. Qui etiam in die Paraſceue dati fuerunt nobis, & eas in littera Ruthenica, Sarracenica & in Tartarica diligenter cum ipſis tranſtulimus. Hæc interpretatio Bathy præſentata fuit: quam & legit, & attentè notauit. Tandem ad noſtram ſtationem reducti fuimus, ſed nulla cibaria nobis dederunt, niſi ſemel aliquantulum milij in vna ſcutella, ſcilicet in prima nocte quando venimus. Iſte Bathy magnificè ſe gerit, habens oſtiarios & omnes officiales ad modum Impatoris, & ſedet in emi-

Ceremonia per duos ignes tranſeundi.

Eldegay.

Bathy audit legatos.

Gerit ſe regificè.

in eminenti loco velut in throno cum vna de vxoribus suis. Alij verò tam fratres sui & filij, quàm alij maiores inferius sedent in medio super bancum, & homines cæteri post eos in terra deorsum, sed viri à dextris, & fœminæ à sinistris. Tentoria quoq; de panno lineo habet pulcra & magna satis, quæ fuerunt Hungariæ regis. Nec aliquis ad eius tentorium audet accedere præter familiam, nisi vocatus, quãtumcunq; sit potens & magnus, nisi fortè sciatur, quòd sit voluntas ipsius. Nos etiam dicta causa sedimus à sinistris: Sic etenim & omnes nuncij faciunt in eundo: sed in redeundo ab Imperatore, semper ponebamur à dextris. In medio ponitur mensa eius ꝓpe hostium stationis, super quam apponitur potus in aureis & argenteis vasis. Nec vnquam bibit Bathy, vel aliquis Tartarorum Princeps, maximè quando in publico sunt, nisi cantetur ei vel citharizetur. Et cùm equitat, semper portatur solinum, vel tentoriolum super caput eius in hasta. Sicq; faciunt cuncti maiores Principes Tartarorum, & etiam vxores eorum. Idem verò Bathy satis est hominibus suis benignus, valdè tamen ab eis timetur, & in pugna est crudelissimus, sagax est multum & astutissimus in bello: quia iam pugnauit tempore longo.

Eiusdem bibendi ad Symphoniæ cantum.

Authoritas.

CAPVT XXIII.

Qualiter recedentes à Bathy per terram Comanorum & Kangittarum transierunt.

Legati iubentur ad Cuyne Imperat. pergere.

IN die porro sabbathi sancti ad stationem fuimus vocati, & exiuit ad nos procurator Bathy prædictus, dicens ex parte ipsius, quòd ad Imperarorem Cuyne in terram ipsorum iremus, retentis quibusdam ex nostris sub hac specie, quòd vellent eos remittere ad Dominum Papam, quibus & litteras dedimus de omnibus factis nostris, quas deferrent eidem. Sed cùm redissent vsq; ad Montij Ducem supradictum, ibi retenti fuerunt vsq; ad reditum nostrum.

Nos

Nos autem in die Paschæ officio dicto, & facta comestione qualicunq;, cum duobus Tartaris, qui nobis apud Correnſam fuerant aſsignati, cum multis lachrymis receſsimus, neſcientes vtrum ad mortem vel vitam pergeremus. Eramus tamen ita infirmi corpore, quòd vix poteramus equitare. In tota ſiquidem illa XL. fuerat cibus noſter millium cum aqua & ſale tantùm, & in alijs ſimiliter diebus ieiuniorum. Nec habebamus aliquid ad bibendum præter niuem in caldario liquefactam. Ibamus autem per Comaniam equitando fortiſsimè, quoniam habebamus equos recentes quinquies aut pluries in die, niſi quando per deſerta ibamus, & tunc equos meliores atq; fortiores, qui poſſent continuum ſuſtinere laborem, accipiebamus. Et hoc ab ineunte X L. vſq; ad octo dies poſt Paſcha. Hæc terra Comania ab Aquilone immediatè poſt Ruſsiam habet Morduynos Byleros, id eſt, magnam Bulgariam, Baſtarcos, id eſt, magnam Hungariam, poſt Baſtarcos, Paroſitas & Samogetas. Poſt Samogetas illos, qui dicuntur habere faciem caninam in Oceani littoribus in deſertis. A meridie habet Alanos, Circaſſos, Gazaros, Græciam & Conſtantinopolin, ac terram Iberorum, Cathos, Brutachios, qui dicuntur eſſe Iudæi, caput radentes per totùm, terram quoq; Cithorum atq; Georgianorum & Armeniorum & Turcorum. Ab occidente autem Hungariam habet atq; Ruſsiam. Et eſt Comania terra maxima & longa. Cuius populos, ſcilicet Comanos, Tartari occiderunt, quidam tamen à facie eorum fugerunt, & quidam in eorum ſeruitutem redacti ſunt. Plurimi autem ex eis, qui fugerunt, ad ipſos redierunt. Poſt hæc intrauimus terram Kangittarum, quæ magnam habet in plurimis locis penuriam aquarum, in qua etiam homines pauci morantur ꝑpter aquæ defectū. Vnde homines Ieroſlai, Ducis Ruſsiæ, cùm ad ipſum in terram Tartarorum perrexerunt, plures eorum in illo deſerto præ ſiti mortui ſunt. In hac etiam terra & in Comania multa inuenimus capita & oſſa mortuorum hominum, ſuper terram iacentia tanquam ſterquilinium. Per hanc itaq;

Comania deſcriptio.

Terra Kāgittarum.

Ieroslaus, Dux Ruſſiæ.

terram iuimus ab octo diebus post Pascha ferè vsq; ad Ascē-sionem Dominicam. Huiusq; habitatores pagani erant, & tam ipsi quàm Comani non laborabant, sed tantùm de animalibus viuebant, nec domos ædificabant, sed in tabernaculis habitabant. Istos etiam Tartari deleuerunt, & habitabant in terris eorum, illiq; qui remanserunt, redacti sunt in seruitutem ipsorum.

CAPVT XXIIII.

Qualiter ad primam Imperatoris futuri curiam deuenerunt.

Terra Bisserminorum.

POrrò de terra Kangittarum intrauimus terram Bisserminorum, qui loquuntur lingua Comanica, sed legem tenent Sarracenorum. In hac etiam terra inuenimus vrbes innumeras cum castris dirutas, villasq; multas desertas.

Altisoldanus.

Huius Dominus dicebatur Altisoldanus, qui cum tota sua progenie à Tartaris est destructus. Habet autem hæc terra montes maximos. Et à meridie quidem habet Hierusalem & Baldach, totamq; Sarracenorum terram. Atq; in finibus illis propinquis morantur duo fratres carnales,

Burin. Cadan.

Tartarorum Duces, scilicet Burin & Cadan, filij Thiaday, qui fuit filius Chingischam. Ab Aquilone verò terram habet nigrorum Kythaorum & Oceanum. In illa verò mo-

Syban, frater Bathy.

ratur Syban, frater Bathy. Per hanc iuimus à festo Ascensionis Dominicæ ferè vsq; ad VIII. dies ante festum sancti Iohann. Baptistæ. Deinde ingressi sumus terram nigrorum

Nigri Cathayni.

Kythaorum, in qua Imperator ædificauit domum, vbi etiam vocati fuimus ad bibendum. Et ille, qui erat ibidem ex parte Impatoris, fecit maiores ciuitates, & etiam duos filios eius, plaudere coram nobis. Hinc exeuntes, quoddam mare paruum inuenimus, in cuius littore quidam existit mons paruus. In quo scilicet monte quoddam foramen esse dicitur, vnde in hyeme tam maximæ tempestates ventorum exeunt, quòd homines inde vix & cum magno periculo transire possunt. In æstate verò semper quidem

ibi

ibi ventorum sonitus auditur, sed de foramine tenuiter egreditur. Per huius maris littora plurimis diebus perreximus, quod quidem licet non multum sit magnum, plures insulas habet, & illud in sinistris dimisimus. In terra verò illa habitat Ordu, quem omnium Ducum Tartarorum antiquiorem diximus, & est orda, siue curia patris ipsius, quam inhabitat, & regis vna de vxoribus eius. Consuetudo enim est apud Tartaros, quòd principum & maiorum curiæ non delentur, sed semper ordinantur aliquæ mulieres, quæ illas regant, eisq; donariorum partes, sicut Dominis earum dari solebant, dantur. Sic tandem ad primam Imperatoris curiam venimus, in qua erat vna de vxoribus ipsius. *Ordu.*

CAPVT XXV.

Qualiter ad ipsum Cuyne, Imperatorem futurum, peruenerunt.

AT verò quia nondum Imperatorem videramus, noluerunt vocare nos, nec intromittere ad Ordam ipsius, sed nobis in tentorio nostro secundum morem Tartarorũ valdè benè seruiri fecerunt, & vt quiesceremus, nos ibidem per vnam diem tenuerunt. Inde procedentes in vigilia sanctorum Petri & Pauli, terram Naymanorum intrauimus, qui sunt pagani. In ipsa verò die Apostolorum ibidem cecidit magna nix, & habuimus maximum frigus. Hæc quidem terra montuosa & frigida est supra modum, ibiq; de planicie reperitur modicum. Istæ quoq; duæ nationes prædictæ non laborabant, sed sicut & Tartari in tentorijs habitabant, quas & ipsi deleuerant. Per hanc etiam multis diebus perreximus. Deinde terram Mongalorum intrauimus, quos Tartaros appellamus. Per has itaq; terras, vt credimus, tribus septimanis equitando fortiter iuimus, & in die Beatæ Mariæ Magdalenæ ad Cuyne Imperatorem electum peruenimus. Ideo autem per omnem viam istam valdè festinauimus, quia præceptum erat Tartaris nostris, *Terra Naymanorum* *Tartaria.* *Accelaratum legatorũ iter.*

 vt citò

vt citò nos deducerent ad curiam solennem, iam ex annis pluribus indictam, propter ipsius Imperatoris electionem. Idcircò de mane surgentes, ibamus vsq; ad noctem sine comestione, & sæpius tam tardè veniebamus, quòd non comedebamus in sero, sed quod manducare debebamus in vespere, dabatur nobis in mane. Mutatisq; frequentius equis, nullatenus parcebatur eis, sed equitabamus velociter ac sine intermissione, quantum poterant equi trotare.

¶ *Auctor.*

Cautio. Hæc de situ terræ, ac de moribus gestisq; Tartarorum, & de itinere Fr. Iohannis suprà dicti vsq; ad curiam Imperatoris eorum, excerpsimus ex eiusdem Fr. Iohannis libello, ea quæ in libro Fr. Simonis deerant, huic operi adijciendo. De cætero autem ex vtroq; libello interscalariter quasdam narrationes prosequendo voluimus ordinatè procedere, prout tempori competunt & ordini historiæ.

CAPVT XXVI.

De exaltatione Raconadij in Soldanum Turquiæ.

¶ *Frater Simon.*

ANno, superius in missione Fratrum ad Tartaros annotato, scilicet ab incarnatione Domini M. CC. XLV. mense Octobri, mortuus est in satellia Gaiasadinus, Turquiæ Soldanus, eiq; successit filius eius adhuc puer, nomine Raconadius. Hunc genuerat ipse de filia cuiusdam sacerdotis Græci. Alterum verò nomine Azadinum de filia, vt dicitur, cuiusdam burgensis Iconij seu prætorij. Tertium verò Aladinum de filia reginæ Georgiæ genuerat, quam in vxorem habebat. Raconadius erat XI. annorum, Azadinus IX. Aladinus VII. Et iste quidem natu minimus, reginæ filius, quo ad ipsos paternæ hæreditatis hæres erat legitimus. Siquidem & pater eius tertia die post natiuitatem ipsius, omnes Admiraldos suos eidem puero, tanquã legitimo

Gaiasadini mors. *Liberi.* *Aladinus Rex designatus.*

legitimo filio & hæredi suo, iuramentum homagij secundum ritum suum præstare iussit. Aliamq; monetam à sua eiusdem filij nomine tunc fieri iussit, quæ adhuc etiam in Turquia currit. Sed tunc erat quidam Losyr nomine, Baiulus totius Turquiæ, Persa natione, qui olim ad Soldanum veniens, fuerat notarius Curiæ. Fratrem quoq; pauperem habebat, qui ligna vendebat. Deinde paulatim in tantum ascendit, quòd Turquiæ Cancellarius fuit. Hic itaq; vnus erat de terræ antiquioribus, & in multis sagax inuentus & expertus. Qui etiam ad Tartaros pro terra saluanda perrexerat, eiq; Soldanus in morte gladium suum cõmiserat, ita quod ex parte illius totam terrã in manu habebat. Anhelauit autem omnibus modis in vxorem accipere vnam de Domini sui mortui vxoribus, quod magnum apud Turcos erat opprobriũ Domino & suis omnibus. Et hoc quidem propositum suum Salefadinò, qui tunc in Turquia post ipsum erat potentior, tanquam amico familiari suo, reuelauit, quod omnibus modis Salefadino displicuit, & ei quantum potuit, dissuasit. Ille tamen præualens, tandem Soldani vxorem, Raconadij matrem, accepit, ipsumq; tanquam natu maiorem in Soldanum exaltauit. Quorum vtrunq; Salefadino, cæterisq; pluribus Admiraldis, valde displicuit, tum quia ipse Losyr Soldanum illum constituendo cum omnibus Admiraldis, in hoc sibi assentientibus, periurium incurrebat, tum quia ipse homo plebeius & alienigena vxorem Domini sui accipiendo, magnum ei suisq; omnibus Admiraldis dedecus faciebat.

Losyris Baiuli incrementa.

Ambitio.

Violentia.

CAPVT XXVII.

De Losyr Tyranni debacchatione.

EX his ergò Salefadinus, & plures Admiraldi Turquiæ, contra Losyr plurimnm indignati sunt, ita quòd in mortem eius sexcenti cum ipso coniurauerunt. At quidam eorum, qui simul iurauerant, ad ipsum Losyr accesserunt, eiq; mortem suã iuratam manifestauerunt, super iuratione

Coniuratio indicio detecta.

facta veniam ab ipso postulantes, eiq; de cætero se penitus adhæsuros firmiter promittentes. Quosdam etiam illorum sexcentorum, quos ipsi plus odiebant, nominauerunt, ipsiq; Losyr occidere eos suaserunt. Vnus autem ex illis astutior consuluit Losyr, vt aliqua die inclusum se in camera sua infirmum fingeret, & causa suæ visitationis accerseret, ibiq; insidijs positis, locus aptaretur, in quo occidendi omnes includerentur. Quod vbi factum est, vna die XV. vel secundum alios XXIIII. Admiraldi maiores in Turquia latenter sunt occisi. Dicunt & Latini, siue Christiani, quòd idem Losyr Admiraldos vsq; ad LX. occidit, quosdam etiam alios persequendo fugauit, & quosdam in carcere reclusit. Marchisium de Lambro incarcerauit, & Admiralem ad Tartaros vt exulem profugauit. Illum quoq; qui dederat ei consilium de Admiraldis occidendis cum vxore ac filijs omnibus interfecit. Magis autem ac magis contra Salefadinum, vt potè tunc in Turquia potentiorem, & cui magis quàm alijs facta ipsius displicebant, indignabatur, qui scilicet Salefadinus apud Arsengan, tanquam cui terra illa erat commissa, morabatur. Cùm ergo die quadam Salefadinus CC. secum bellatores haberet, eiq; XI. millia hominum exercitus Losyr superuenirent, illi, qui erant ex parte Losyr, mandauerunt Salefadino ne fugeret, sed aduentum ipsorum constanter expectaret, quia in hora, qua inciperent congredi, cum ipso essent, qui modò videbantur esse contrarij. Qui verbis eorum nimis credulus, bellum aggressus est, statimq; à multitudine tanta contritus est. Ipse tamen cum paucis receptus est in quodam castro fortissimo, Gamach vocabulo. Tandem verò circundatus & obsessus ab exercitu Losyr, à castri habitatoribus exire quasi coactus est, dicentibus se nolle tueri hominem in castro Soldani, qui contra Soldanum esset. Interim quoq; nuncios mittebat Losyr ad ipsum, vt de castro securus exiens, ad se veniret, eligens sibimet quod melius vellet, videlicet aut exire de terra liberè & quocunq; vellet proficisci, aut de cætero cum beneuolentia ipsius Losyr in terra Turquiæ

Losyr grassatur aduersariorum cæde.

Insidiatur Salefadino.

Agit perfidiose.

quiæ vt prius commorari. Cumq; nuncij verba portantes, annuente Salefadino, ab ipso Losyr iuramenta recepissent, omnia quæ mandauerat se firmiter seruaturum, ille fidei eorum se committens, ibat ad ipsum. Losyr autem præmisit nuncios in occursum eius, dicens nuncijs eum adducentibus: Nolite vlterius ipsum ad me adducere, sed visis præsentibus nuncijs eum interficite. Quod & factum est. Hic autem Salefadinus Gallicum atq; Teutonicum sciebat, multumq; Francos siue Christianos diligebat. Et si aliquandiu longius vixisset, fortassis, vt creditur, citò Christianus factus fuisset. *Encomium Salefadini*

CAPVT XXVIII.

De fœderis inter Turcos & Tartaros confirmatione.

EOdem autem anno, quo mortuus est Soldanus Turquiæ Gaiasadinus, eiq; succesit filius eius primogenitus Raconadius, scilicet ab incarnatione Domini M. CC. XLV. Tartari cum Turcis fœdus inierunt, & tunc XIIII. Camelos, Yperperis oneratos, ac CCC. summarios, fericis ac scarleta alijsq; pannis preciosis onustos, cum pluribus equitaturis eorum regi transmiserunt. Frater autem Soldani medius natu, videlicet Azadinus, ad eundem regem causa confœderationis est missus. Deniq; Turci sub hac forma se tributarios subdiderunt Tartaris: quolibet anno reddunt eis M. millia CC. millia Yperpera, & quingentos pannos sericos, quorum medietas est deaurata, equos quoq; quingentos, & Camelos totidem, & arietis V. millia. Hæc autem omnia tenentur ducere & conducere salua & integra cum expensis suis vsq; ad Mongan. Tantũdem quoq; valent Xenia & dona, quæ vltra tributum mittuntur, quantum ipsum tributum, & amplius etiam, vt dicitur. Præterea tenentur Turci per totam Turquiam prouidere nuncijs Tartarorum omninò in equituris, in muneribus, in victualibus, eundo, morando ac redeundo. Itaq; notarius Soldani *Raconadij cum Tartaris pacificatio.* *Tributum.* *Xenia.*

compu-

Sumtus in legatos. computauit expensas nunciorum Tartaricorũ, quas apud Iconium in duobus annis fecerant, & inuentum est, quòd excepto pane & vino sexcenta millia Yperpera expenderant. Prædicta verò tributaria confœderatio facta fuit apud Sauastiam, Marchisio de Lambro, nomine Constantino, præsente, qui tunc temporis Marescallus erat Turquiæ, & etiam Baiulus fuerat eiusdem terræ. Et quandoquidem hoc tributum primò commissum fuerit Tartaris, interfuit ibidem eiusdem Constantini miles, vocabulo Prouincialis, qui multa de illis enarrauit Fratribus Prædicatoribus, à Domino Papa cum litteris suis ad Tartaros transmissis.

Constantinus Marchio de Lambro.

CAPVT XXIX.

Qualiter Rex minoris Armeniæ Tartaris se subdidit.

Constans Armenius. Circa idem tempus Constans, pater & Baiulus regis Armeniæ, qui vocatur Hayton, filium suum, eiusdem regni Conestabulum, ad Tartaros misit, eorumq; tributo se ac regnum suum subijciens, pacem cum eis composuit. *Cilicia nũc Armenia minor* Quæ videlicet minor Armenia, nomine alio ab antiquo vocatur Cilicia, & inter Turquiam & Syriam est sita. Ibi est Tarsus, ciuitas archiepiscopalis, de qua Paulus Apostolus fuisse se dicit. *Catholicus.* Ibi quoq; est Catholicus, id est, vniuersalis Episcopus, sicut & in Georgia, de qua dictum est superius. *Regni Armen. primordia.* Huius Armeniæ regnum acquisierant paucis antea temporibus duo fratres de maiori Armenia, Leo scilicet ac Robinus. Et Robinus quidem maior natu prior in ea regnauit, vel potius præfuit, moriturus verò regnum & filiam suam, eiusdem videlicet regni hæredem, fratri suo Leoni commisit, eiusq; fidei credidit. At ipse Leo regnum in semetipsum retorsit, quin potius de Baronia regnum sibi facere voluit. Nam antea, vt dicitur, rex ibi non erat, sed Baro, qui Soldano Turquiæ sub tributo seruiebat. Itaq; ad petitionem ipsius Leonis auus Domini de Trousot

perrexit ad curiam Roman. & ad Imperatorem Othonem, *Otho IIII. Cæsar.*
petens ab ambobus, vt ipsum in legium hominẽ reciperent.
Ecclesia verò sub conditione, saluo scilicet hæredis iure,
recepit ipsum in hominem & Otho similter. Porrò Archi-
episcopus quidam Teutonicus, videlicet Moguntinus at- *Leo inauguratur à Moguntino.*
tulit eidem Leoni coronam, sub tali conditione, vt omnes
pueros, infra XII. annos existentes, ipse Leo poni faceret
ad litteras Latinas. Tunc ergo Rex Leo dedit Ecclesiæ in
dotem casale Estelice, castrum Paparon, & alia multa casa-
lia, pluraq; alia. Hæc autem omnia iurauerunt Barones,
se firmiter seruaturos. Factum est autem hoc anno Domi-
ni M. CC. * XLII. Porrò idem Leo ter infirmus, ter fecit *Robinus.*
omnes Barones suos Robino nepoti suo iurare, tanquam
vero ac legitimo Domino suo, & iusto hæredi regni Arme-
niæ. Filiam tamen suam, cui regnum relinquere disposue-
rat, fratri Antiocheni Principis in coniugium dedit, &
postea ipsum dolosè interfecit. Ipso autem Leone mortuo,
quidam Baro eiusdem Armeniæ, Constans nomine, filiam *Constans è Barone Tyrannus.*
eius violenter rapuit, & postmodum eandem inuitam filio
suo Haythoni matrimonio copulauit, eiq; cum illa regnum
tradidit. Porrò filiam Robini, quæ regnum hæreditario
iure possidere debuit, Philippus miles de Monte forti vxo-
rem accepit. Vnde & meritò ad illud aspirat, ipsumq;, vt
iustum est, acquisiturum se sperat. Idem etiam Constans *Sæuit in optimates.*
diuersis dolis & machinamentis LXII. Barones Armeniæ
maiores interfecit. Soldani quoq; Turquiæ matrem atq;
sororem, quas idem Soldanus ipsi tanquam suo homini le-
gio ac fideli, vtpote Christiano, causa refugij miserat à fa-
cie Tartarorum, ipse reuera infidelis & iniquus misit eisdẽ
Tartaris in fauorem ipsorum. Et illæ quidem in ipso iti- *Frangit fidem Soldano.*
nere dicuntur obijsse. Itaq; Soldanus ipse per terram eius
intrauit, & vrbem Tarsum obsedit, sed ibidem infirmatus
mortuus est, & in vrbe regali satellia sepultus est.

CAPVT XXX.

Qualiter Cuyne Fratres Minores suscepit.

¶ *Frater Iohannes.*

Cuyne in legatos benignitas. CVm autem peruenimus ad Cuyne, fecit nobis dari tentorium & expensas, quales Tartaris dare solent, nobis tamen melius quàm alijs nuncijs faciebant. Ad ipsum autem vocati non fuimus, eo quòd nondum electus erat, nec adhuc de imperio se intromittebat. Interpretatio tamen litterarum Domini Papæ, ac verba etiam à nobis dicta, à prædicto Baty erant ei mandata. Cum ergò stetissemus ibi per quinq; vel sex dies, ad matrem suam nos transmisit, vbi adunabatur curia solennis. *Tentoriũ regium.* Et cùm venissemus illuc, tam extensum erat tentorium magnum, de alba purpura præparatum, eratq; tam grande nostro iudicio, quòd plusquã duo millia hominum poterant esse sub illo. Et in circuitu factum erat ligneum tabulatum, varijs imaginibus depictum. Illuc ergo perreximus cum Tartaris, nobis ad custodiam assignatis, *Comitia.* ibiq; conuenerant omnes Duces, & vnusquisq; cum hominibus suis equitabat in circuitu per planiciem & colles. In prima die vestiti sunt omnes purpuris albis, in secunda verò rubeis. Et tunc venit Cuyne ad tentorium illud. Porrò tertia die fuerunt omnes in blaueis purpuris, & quarta in optimis Baldakinis. In illo autem tabulato iuxta tentorium erant duæ maiores portæ per quarum vnam solus Imperator debebat intrare, & ad illam nulla erat custodia, quamuis esset aperta, quia per illam nullus audebat ingredi vel exire: per aliam omnes, qui admittebantur, intrabant, & ad illam custodes cum gladijs & arcubus & sagittis erant. Itaq; si quis tentorio propinquabat vltra terminos, qui positi erant, si capiebatur, verberabatur, si fugiebat, sagitta siue ferro sagittabatur. Multiq; ibi erant, qui in frenis, pectoralibus, sellis & huiusmodi, iudicio nostro, auri circiter XX. marcas habebant.

Sic

Sic Duces infra tentorium colloquebantur, & de Imperatoris electione tractabant, vt à nobis creditur. Alius autem vniuersus populus longè extra tabulatum collocabatur, & ita ferè vsq; ad meridiem morabantur. Tunc incipiebant lac iumentinum bibere, & vsq; ad vesperas tantum bibebant, quod erat visu mirabile. Nos autem vocauerunt interius, & dederunt nobis cereuisiam: quia iumentinum lac non bibebamus. Et hoc quidem nobis pro magno fecerunt honore: sed tamen nos compellebant ad bibendum, quod nullatenus poteramus propter consuetudinem sustinere. Vnde ostendimus eis, hoc esse nobis graue, ideoq; nos cessauerunt compellere. Foris autem erat Dux Ierozlaus de Susdal Russiæ, pluresq; Duces Kythaorum & Solangorum. Duo quoq; filij regis Georgiæ, nuncius etiam Caliphi de Baldach, qui erat Soldanus, & plus quàm X. alij Soldani Sarracenorum, vt credimus. Et sicut nobis à procuratoribus dicebatur, erant ibi nunciorum plus quàm IIII. millia inter illos, qui tributa portabant, & illos, qui deferebant munera, & Soldanos ac Duces alios, qui ad tradendum seipsis veniebant, & illos, pro quibus ipsi miserant, illosq;, qui terrarum præfecti erant. Hi omnes simul extra tabulatum ponebãtur, eisq; simul bibere præbebatur. Nobis autem & Duci Ierozlao ferè semper ab eis dabatur superior locus, quando cum eis eramus exterius.

Symposiũ procerum

Ieroslaus Dux Russiæ.

Legati diuersarum nationũ.

CAPVT XXXI.

Qualiter in imperium sublimatus fuit.

ET quidem, si benè meminimus, ibidem per septimanas circitèr IIII. fuimus. Credimusq;, quòd ibi fuit electio celebrata, non tamen ibidem fuit publicata. Propter hoc autem id maximè credebatur, quia semper, quando Cuyne de tentorio exibat, eidem cantabatur, & cum virgis speciosis, in summitate lanam coccineam habentibus, inclinabatur, quod alteri Ducum nulli fiebat, quousq; exterius

Imperij Cuynæ primitiæ.

morabatur. Hæc autem statio siue Curia nominatur ab eis Syraorda. Hinc exeuntes, vnanimiter omnes equitauimus per tres aut quatuor leucas ad alium locum, vbi erat in quadam pulcra planicie iuxta riuum inter montes aliud tentorium, quod apud ipsos appellatur Orda aurea, præparatum. Ibi enim Cuyne debebat poni in sede in die Assumtionis Dominæ nostræ. Sed propter grandinem nimiam, quæ tunc, vt suprà dictum est, cecidit, res dilata fuit. Eratq; tentorium in columnis positum, quæ laminis aureis erant tectæ, & clauis aureis cum alijs lignis fixæ. Porrò de Baldakino erat tectum superius, sed alij erant panni exterius. Fuimus autem ibi vsq; ad festum Beati Bartholomæi, in quo maxima multitudo conuenit, & contra meridiem versis vultibus stetit. Et quidam ad iactum lapidis longè à cæteris erant, semperq; orationes faciendo, ac genua flectendo, contra meridiem longius & longius procedebant. Nos autem vtrum incantationes facerent, aut genua Deo vel alteri flecterent, nescientes, nolebamus facere genu flexiones. Cumq; diu ita fecissent, ad tentorium reuersi sunt, & Cuyne in sede imperiali posuerunt, Ducesq; coram eo genua flexerunt. Post hoc idem fecit vniuersus populus, exceptis nobis, qui eis subditi non eramus.

Syra orda

Aurea orda.

Preces solennes.

CAPVT XXXII.

De solennitate, qua fuit intronizatus.

¶ *Frater Simon.*

IGitur anno Domini M. CC. XLVI. Cuyne, qui & Gog Cham, id est, Imperator vel Rex dicitur, sublimatus est in Tartarorum regno. Omnes siquidem illorum Barones congregati quandam sedem auream in loci supradicti medio posuerunt, super quam ipsum Gog sedere fecerunt, & coram eo gladium posuerunt, dicentes: Volumus & rogamus atq; præcipimus, vt domineris omnibus nobis. At ille dixit eis: si me vultis super vos regnare, nunquid parati

Cæremonia inaugurationis.

rati

rati estis vnusquisq;, quod vobis præcepero, facere, quemcunq; vocauero, venire, quocunq; mittere voluero, pergere, quemcunq; occidi præcepero, occidere. Responderunt: Vtiq;. Ergò, inquit, oris mei sermo de cætero gladius meus erit: omnesq; communiter ei consenserunt. Post hoc autem filtrum quoddam in terra statuerunt, ipsumq; rursus desuper sedere fecerunt, dicentes: Vide sursum, & agnosce Deum, ac respice filtrum, in quo sedes deorsum: Si benè regnum tuum rexeris, si largus fueris, iusticiamq; seruare dilexeris, ac Principes tuos, vnumquemq; secundũ dignitatem suam, honoraueris, magnificus regnabis, totusq; mundus tuæ substernetur dominationi, & quicquid desiderabit cor tuum, dabit Deus tibi: Si autem è contrario feceris, miser & abiectus eris, adeoq; pauper, vt nec tibi permittatur filtrum, in quo nunc sedes. Hoc dicto, ijdem Barones vxorem Gog cum ipso super filtrum sedere fecerunt, sicq; ambos sedentes à terra sursum in aëre leuauerunt, atq; Imperatorem & Imperatricem omnium Tartarorum voce publica & clamosa eosdem protestati sunt. Postea multitudinem infinitam auri & argenti, & lapides preciosos, ac quæcunq; remanserant à Chagadagan, coram Imperatore nouo apportari fecerunt, eiq; dominium super omnia illa plenarium concesserunt. Ipse verò, prout ei placuit, vnicuiq; Principum distribuit, sibiq; residuum seruari præcepit. Deinde verò bibere cœperunt, & vt moris eorum est, vsq; ad vesperas continuè potationibus intenderunt. Post hoc autem carnes coctæ in curribus sine sale venerunt, & inter quatuor vel quinq; homines vnicum membrum siue frustum ministri dederunt. Infra tentoriũ Cham dederunt carnes ac brodium cum sale pro salsa, sicq; faciebant cunctis diebus, quando celebrant conuiuia. **Congiarium.**

¶ *Ciuilius TRAIANVS Cæsar, cùm Licinium Suram Tribunum militum creans, parazonium ei nudum porrigeret: Talem, inquit, ensem accipe, quem pro me ita demum strinxeris, si iustè imperauero: quod si perperam quicquam per me fieri cognoueris, eo in perniciem meam vtaris, velim, vt Dion Cassius.*

CAPVT XXXIII.

De ætate ac moribus ac sigillo ipsius.

¶ *Frater Iohannes.*

Cuyna ætas & mores. HIc autē Imperator quando sublimatus est in regnum, videbatur esse circiter XL. vel XLV. annorum. Mediocris erat staturæ, prudens valde, nimis astutus multumq; seriosus, & grauis in moribus. Nec vnquam videbat eum homo de facili ridere, vel aliquam leuitatem facere, sicut dicebant Christiani, qui cum ipso morabantur continuè. Dicebant etiam nobis asserendo firmiter Christiani, qui erant de familia eius, quòd deberet fieri Christianus. *Studium Christianismi.* Cuius signum erat, quod ipse Clericos Christiànos tenebat, & expensas eis dabat. Habebat etiam semper capellam Christianorum ante maius tentorium suum, vbi cantant Clerici publicè & apertè, ac pulsant ad horas, vt cæteri Christiani secundum mores Græcorum quantacūq; sit ibi multitudo Tartarorum, vel etiā aliorum hominum. Hoc tamen non faciunt alij Duces ipsorum. Est autem *Maiestas.* mos Imperatoris ipsius, vt nunquam ore proprio loquatur cum extraneo, quantumcunq; magnus sit, sed audit & respondet per interpositam personam, & quandocunq; negotium proponunt, vel Imperatoris responsionem audiunt illi, qui sub eo sunt, quantumcunq; sint magni, flexis genibus vsq; ad finem verborum persistunt. Nec alicui de consuetudine super aliquo negocio loqui licitum est, postquam ab Imperatore definitum est. Habet autem Imperator prædictus procuratorem & protonotarios, atq; scriptores, omnesq; officiales in negotijs tam publicis quàm *Potestas exlex* ☿ priuatis, exceptis Aduocatis. Nam sine litium vel iudiciorum strepitu secundum arbitrium Imperatoris omnia fiunt. Alij quoq; Principes Tartarorum de his, quæ ad illos pertinent, idem faciunt. Hoc autem nouerint vniuersi, quia nobis tunc existentibus in solenni curia, iam ex pluribus annis indicta, idem Cuyne Imperator, de nouo

electus

electus, cum omnibus suis Principibus erexit vexillum contra Ecclesiam Dei, ac Romanum Imperium, & contra omnia regna Christianorum, & populos Occidentis, nisi fortasse, quod absit, facerent ea, quæ mandabat Domino Papæ, atq; potentibus, & omnibus Christianorum populis, videlicet vt ipsi subdantur eis. Nam excepta Christianitate, nulla est terra in orbe, quam timeant, & idcirco contra nos ad pugnam se præparant. Huius siquidem Imperatoris pater, scilicet Occoday, necatus fuerat veneno, & ob hoc à bellis quieuerant tempore pauco. Intentio autem eorum, vt dictum est suprà, est, sibi totum subijcere mundum, sicut à Chingischam habent mandatum. Vnde & ipse Imperator in litteris suis ita scribit: Dei fortitudo omnium hominum Imperator. In superscriptione quoq; sigilli eius est hoc: Deus in cœlo, & Cuyne Cham super terram, Dei fortitudo omnium hominum Imperatoris sigillum.

Bellum in Christianos cogitatum.

☿ Contrà Xenophon: δίκαιον ἐςὶ νόμιμον. Et præclarè Aristoteles Politic. lib. 3. cap. 12. in hanc sententiam: Qui legem præesse vult, is velle videtur Deum ac leges imperare: qui autem vult hominem, is etiam belluam adiungit, cùm præsertim tale quid sit cupiditas & iracundia: & magistratus & optimus quisq; à recta via detorqueantur &c. Adde quæ è Chrysippo adducuntur ff. lib. 1. tit. 3. l. 2.

CAPVT XXXIIII.

De nominibus eius, ac Principibus & exercitibus.

¶ *Frater Simon.*

Et hoc quidē nomen Chan, siue Cham, est appellatiuum, idemq; sonat, quod Rex vel Imperator, siue magnificus vel magnificatus. Sed hoc Tartari singulariter attribuunt domino suo, nomen eius proprium reticendo. Ipse quoq; gloriatur se esse Filium Dei, seq; sic ab hominibus appellari.

Chā quid significet?

Idem

Cuyne idē qui Gog. Idem autem sonat Cuyne, quod & Gog secundum aliam linguam. Est itaq; nomen Imperatoris proprium Gog, & fratris eius Magog. Siquidem per Ezechielem Dominus Gog & Magog aduentum prædicit, eorumq; interitum se facturum per eundem promittit. Ipsi quoq; Tartari pro- *Tartari sua lingua Mongli.* priè loquendo se vocant Mongli, siue Mongol, quod verbum fortasse consonat Mosoth. Hic itaq;, scilicet Cuyne Chan, siue Gog Cham, feruens & æstuans in hominum prostrationem, quasi clibanus succensus à coquente, secum habet exercitus quinq;, suo dominio seruientes, per quos expugnat omnes sibi contrarios ac rebelles. In finibus au- *Baiothnoy* tem Persidis habet principem nomine Baiothnoy, qui totam terram Christianorum & Sarracenorum vsq; ad mare mediterraneum, & propè Antiochiam, & vltra per duas dietas eius dominio subiugauit, ita quòd à capite Persidis vsq; ad mare iam ei regna XIIII. acquisiuit. Est autem Baioth proprium nomen, Noy verò sonat dignitatem. Est *Corrensa.* etiam Dux quidam Tartarorum, nomine Corrensa, versus Christianos Occidentis, qui habet sub se armatorum sexcenta millia, stant ibi tanquam in custodia, ne super ipsos, ac super subsequentes, irruant subitò Christiani. Porrò *Bathy.* Bathy princeps est Tartarorum maximus, hominibus quidem suis satis benignus, licet ab eis sit valde reueritus, in pugna verò est crudelissimus. In exercitu quidem Bathy sunt sexcenta millia pugnatorum, videlicet C.LX. millia Tartarorum, & CCCC.L. millia tam Christianorum quàm aliorum, scilicet infidelium. Et dicitur habere plures bellatores in septuplo numero quàm Baiothnoy in exercitu suo. Porrò Cham dicitur habere exercitus quinq;, quorum omnium nemo de facili potest numerum comprehendere. *Baioth.* Fertur autem Baioth XVIII. Barones fratres non ex eodem patre, nec ex eadem matre, sed ex diuersis habuisse, quorum vnusquisq; X. millia bellatorum ad minus habebat sub se. Sed de omnibus illis non intrauerunt nisi duo fratres regnum Hungariæ. Debebant autem annis XXX. procedere in pugnando: Sed tunc, vt dictum est, interfectus fuit

fuit eorum Imperator veneno, ideoq; quieuerunt tempore paruo. Vt autem Imperatorem habuerunt, iterum se ad pugnandum præparauerunt.

CAPVT XXXV.
De admiſsione Fratrum & nunciorum ad Imperatorem.

¶ *Frater Iohannes.*

IN loco illo, vbi poſitus eſt Imperator in throno, vocati fuimus coram ipſo. Cumq; Chingay protonotarius eius nomina noſtra ſcripſiſſet, illorumq; à quibus miſsi eramus, & Ducis Solangorum & aliorum, clamauit alta voce, recitans illa coram Imperatore ac Ducum vniuerſitate. Quo facto, flexit vnuſquiſq; noſtrum quater genu ſiniſtrum, & monuerunt, ne tangeremus limen deorſum. Cumq; pro cultellis nos diligentiſsimè ſcrutati fuiſſent, & nullatenus inueniſſent, intrauimus oſtium ab Orientali parte: quia nullus ab Occidente, niſi ſolus Imperator, audet intrare. Similiter & Dux ab illa parte ingreditur ſolus, ſi eſt tentorium eius. Minores autem non multum curant de talibus. Tunc ergò primum in eius præſentia ſuam intrauimus ſtationem, videlicet poſtquam factus eſt Imperator ibidem. Omnes quoq; nuncij tunc ab eo recepti ſunt, ſed paucisſimi tentorium eius intrauerunt. Ibi verò tanta donaria ab ipſis nuncijs fuerunt ei præſentata, quòd quaſi videbantur infinita, videlicet in ſamitis ac purpureis & baldakinis ac cingulis ſericis cum auro præparatis, pellibus etiam nobilibus, cæteriſq; muneribus. Quoddam etiam Solinum, ſiue tentoriolum, quod ſuper caput Imperatoris portatur, fuit eidem præſentatum, quod totum erat cum gemmis præparatum. Quidam verò præfectus vnius prouinciæ adduxit ei Cameſos multos cum Baldakinis tectos. Similiter ſellæ poſitæ cum inſtrumentis quibuſdam erant, in quibus homines interius ſedere valebant. Equos etiam multos & mulos adducebant eidem phaleratos & armatos, quoſdam

Cuyne audit legatos

Munera eidē oblata.

quidem de corio, & quosdam de ferro. Nos etiam requisiti fuimus, an ei munera dare vellemus: sed iam facultas non erat, quoniam omnia ferè nostra consumpseramus.

Currus θησαυρόφοροι. Ibidem longè à stationibus super montem erant positi currus plusquàm quingenti, qui omnes auro & argento ac sericis vestibus erant pleni. Cunctiq; inter Imperatorem & Duces diuisi fuerunt, singuliq; Duces inter homines suos partes suas, vt eis placuit, diuiserunt.

CAPVT XXXVI.

De loco diuisionis Imperatoris & matris suæ, & morte Ierozlai, Ducis Rusiæ.

Tentoriū purpureū. INde recedentes, venimus ad alium locum, vbi tentorium mirabile, totum de purpura rufa, quod Kitay dederant, erat positum. Illic etiam interius introducti fuimus, & semper cùm intrabamus, nobis dabatur ad bibendum cereuisia vel vinum, & etiam carnes coctæ, si volebamus, ad edendum. *Solium eburnum.* Eratq; solariolum vnum, de tabulis altè præparatum, vbi thronus Imperatoris erat positus, ex ebore mirabiliter sculptus, in quo etiam erat aurum, & lapides preciosi, si benè meminimus, & illuc ascendebatur per gradus. Eratq; rotundum superius. Banci verò erant positi in circuitu sedis, vbi dominæ sedebant à parte sinistra in scamnis, à dextris autem nemo sedebat superius, sed Duces sedebant in Bancis inferius, & hoc in medio. Alij verò sedebant post eos, & quolibet die veniebat dominarum maxima multitudo. Ista verò tria tentoria, de quibus suprà diximus, erant valde magna, aliaq; habebant vxores eius de filtro albo satis magna & pulcra. Ibidem Imperator diuisus est à matre sua, quæ iuit in vnam terræ partem, & Imperator in aliam ad iudicia facienda Capta siquidem erat amica Imperatoris istius, quæ veneno interfecerat patrem eius, eo tempore, quo exercitus eorum in Hungaria fuit. Propter quod etiam exercitus eorum, qui erat in

partibus

partibus illis, receſcit. De qua cum alijs pluribus factum fuit iudicium, & occiſi fuerunt. Eodem tempore mortuus fuit Ierozlaus, Dux magnus Soldal, quæ eſt quædã Ruſsiæ pars. Vocatus enim ad matrem Imperatoris quaſi pro honore, vt manducaret ac biberet de manu ipſius, in continenti ad hoſpitium eſt reuerſus, infirmatuſq; mortuus eſt poſt ſeptem dies, totumq; corpus eius miro modo glaucum effectum eſt, dicebaturq; ab omnibus, quod ibidem, vt terram eius liberè ac plenariè poſsiderent, fuiſſet impotionatus.

Nex Occoday vindicata.

Ieroslaus, Dux Russia.

CAPVT XXXVII.

Qualiter tandem Fratres ad Imperatorem accedentes, litteras dederunt & acceperunt.

DEniq; Tartari noſtri nos ad Imperatorem duxerunt: qui cùm audiſſet per illos, nos ad eum veniſſe, iuſsit nos ad matrem redire. Volebat enim ſecundo die, ſicut ſuperius dictum eſt, contra totam Occidentis terram vexillum erigere, quod nos volebat ignorare. Itaq; reuerſi ſtetimus paucis diebus, & iterum ad ipſum reuerſi ſumus. Cum quo benè per menſem fuimus in tanta fame ac ſiti, quòd vix viuere poteramus. Nam expenſæ, quæ nobis pro diebus quatuor dabantur, vix vno ſufficiebant. Nec inuenire poteramus aliquid ad emendum, quia forum erat nimis remotum. Sed Dominus nobis quendam Ruthenum, nomine Coſmam, aurifabrum præparauit, qui ſatis dilectus Imperatori, nos in aliquo ſuſtentauit. Et hic nobis oſtendit thronum Imperatoris, quem ipſe fecerat, antequam poneretur in ſede, & ſigillum eiuſdem, quod etiam fabricauerat ipſe. Poſt hoc Imperator pro nobis miſit, nobiſq; per Chingay protonatorium ſuum dici fecit, vt verba noſtra & negotia ſcriberemus, eiq; porrigeremus. Quod & fecimus. Poſt plures dies nos iterum vocari fecit, & vtrum eſſent apud Dominum Papam, qui Ruthenorum

Cuyne cũ legatis diſsimulãter agit.

Coſmas Ruſſus.

Chingay internuncius.

vel Sarracenorum, aut etiam Tartarorum litteram intelligerent, interrogauit. Cui respondimus, quòd nullam istarum literarum habebamus. Sarraceni tamen erant in terra, sed remoti erant à Domino Papa. Diximus tamen, quia nobis expedire videbatur, quòd in Tartarico scriberent, & nobis interpretarentur, nos autem in littera nostra diligenter scriberemus, & tam litteram quàm interpretationem ad Dominum Papam deferremus. Tunc à nobis recesserunt, & ad Imperatorem iuerunt. Porrò à die Beati Martini fuimus vocati. Tunc Kadac, totius imperij procurator, & Chingay & Bala, pluresq; scriptores ad nos venerunt, nobisq; litteram de verbo ad verbum interpretati fuerunt. Et cùm in Latina littera scripsissemus, faciebāt sibi per singulas orationes interpretari, volentes scire, si nos in aliquo verbo erraremus. Cùm igitur ambæ litteræ fuissent scriptæ, fecerunt nos semel ac secundo legere, ne fortè minus aliquid haberemus. Dixerunt enim nobis: videte, quòd òmnia benè intelligatis, quia non expediret, quòd non omnia benè intelligeretis. Litteras etiam in Sarracenico scripserunt, vt aliquis in partibus nostris inueniri posset, qui eas, si opus esset, legeret.

Prudens de litteris consilium.

CAPVT XXXVIII.

Qualiter licentiati fuerunt.

VT autem nobis Tartari nostri dixerunt, proposuit Imperator nuncios suos nobiscum mittere. Volebat tamen, vt credimus, quod nos id ab eo peteremus. Sed cùm vnus de Tartaris nostris, qui senior erat, nos ad hoc petendum hortaretur, nobis quidem, vt venirent, nequaquam bonum videbatur. Ideoq; respondimus ei, quod non erat nostrum petere, sed si spontè ipse Imperator mitteret eos, libenter eos securè conduceremus, Dn̄o adiuuante. Nobis autem ob plures causas, vt venirent, non videbatur expedire. Prima quidem fuit, quia timuimus, ne visis dissensionibus aut guerris, quæ fiunt inter nos, magis animarentur

Legati ab horrent à Tartarorum ad Christianos legatione.

rentur ad veniendum contra nos. Secunda fuit, timebamus eos exploratores terræ fieri. Tertia verò, quia timebamus eos interfici. Gentes enim nostræ arrogantes sunt & superbæ. Vnde quando seruientes, qui stant nobiscum, ex rogatu Cardinalis, legati scilicet Alemanniæ, in habitu Tartarico ibant ad ipsum, in via ferè lapidati sunt à Teutonicis, & coacti sunt deponere habitum illum. Consuetudo autem est Tartarorum, vt cum illis, qui nuncios eorum occiderint, nunquam faciant pacem, nisi sumant de ipsis vltionem. Quarta etiam causa fuit, quia timebamus ne nobis aufferentur vi. Quinta verò causa erat, quia de aduentu eorum nulla foret vtilitas, cùm nullum haberent aliud mandatum vel potestatem, nisi quòd litteras Imperatoris ad Dominū Papam & ad Principes deferrent, quas videlicet litteras ipsi nos habebamus, & malum ex eorum aduentu posse contingere credebamus. Itaq; tertia die post hoc, scilicet in festo beati Briccij nobis dederunt licentiam & litteram, Imperatoris sigillo munitam, mittentes nos ad ipsius Imperatoris matrem, quæ vnicuiq; nostrum dedit pelliceum vnum de pellibus vulpinis, quod habebat pilos deforis, & purpuram vnam. De quibus Tartari nostri furati sunt ex vnaquaq; vnum passum. De illa quoq;, quæ dabatur seruienti, meliorem medietatem sunt furati. Quod nos quidem non ignorauimus, sed inde verba mouere noluimus.

Honorantur commeatu & lautijs.

CAPVT XXXIX.

Qualiter ab illo itinere redierunt.

TVnc iter ad reuertendum arripuimus, ac per totam hyemem venimus, iacentes in desertis sæpius in niue, nisi quantum poteramus nobis cum pede locum facere. Ibi quippe non erant arbores, sed planus campus. Et sæpe manè nos inueniebamus totos niue, quam ventus pellebat, coopertos. Sic venientes vsq; ad Ascensionem Domini peruenimus ad Bathy. A quo cùm inquireremus, quid responderet

Difficilis legatorum reditus.

Bathy.

deret Domino Papæ, dixit se nolle aliud, nisi quod Imperator diligenter scripserat, demandare. Datisq; nobis de conductu litteris, ab eo recessimus,& sabbatho infra octauas Pentecostes vsq; ad Montij peruenimus, vbi erant socij nostri, ac seruientes, qui fuerant retenti, quos ad nos fecimus reduci. Hinc vsq; Corrensam peruenimus, cui iterum à nobis donaria petenti nô dedimus, quia non habebamus. Deditq; nobis duos Comanos, qui erant ex Tartarorum plebe, vsq; ad Kiouiam Rusiæ. Tartarus tamen noster non dimisit nos, donec exiremus vltimam Tartarorum custodiam. Isti verò alij, qui nobis à Corrensa dati sunt, in sex diebus ab vltima custodia vsq; ad Kiouiam nos duxerunt. Venimus autem illuc ante festum Beati Iohannis Baptistæ XV. diebus. Porrò Kiouienses aduentum nostrum percipientes, occurrerunt nobis omnes lætanter. Congratulabantur enim nobis, tanquam à morte suscitatis. Sic fecerunt nobis per totam Rusiam, Poloniam & Bohemiam. Daniel & VVasilico, frater eius, festum nobis magnum fecerunt, & nos contra voluntatem nostram benè per octo dies tenuerunt. Medioq; tempore inter se & cum Episcopis, cæterisq; probis viris, super his, quæ locuti fueramus eisdem, in processu nostro ad Tartaros consilium habentes, responderunt nobis communiter, dicentes: quòd Dominum Papam habere vellent in specialem Dominum, & in patrem, sanctam quoq; Romanam Ecclesiam in dominam & magistram, confirmantes etiam omnia, quæ prius de hac materia per Abbatem suum transmiserant. Et super hoc etiam nobiscum ad Dominum Papam nuncios suos & litteras transmiserunt.

Corrensa.

Gratulationes reducibus factæ.

Basilius & Daniel Principes.

Rußi agnoscunt primatū Papæ.

CAPVT XL.

Qualiter Fratres Prædicatores apud Bayothnoi, Tartarorum principem, admissi fuerunt.

¶ *Ex libello Fratris Simonis.*

Anno

ANno Domini M·CC·XLVII· in die translationis Beati Dominici, primi patris ordinis Prædicatorum, Fr. Ascelinus à Domino Papa, sicut iam suprà dictum est, missus cum socijs suis peruenit in exercitum Tartarorum. Et hoc in Perside, vbi erat exercitus ille sub Baiothnoy principe. Quod audiens idem Princeps in tentorio suo sedens in vestimento deaurato, suis quoq; Baronibus in sericis vestibus preciosis ac deauratis circumstantibus, misit ad dictos Fratres quosdam ex eisdem Baronibus cum suo Egyp, id est principali consiliario & interpretibus. Qui præmisso salutationis eulogio, dicunt eis: Cuius nuncij estis? Frater autem Ascelinus, principalis Domini Papæ nuncius, respondit pro omnibus: Ego sum Domini Papæ nuncius, qui apud Christianos dignitate maior omni homine reputatur, & ab eisdem illi tanquam patri ac Domino reuerentia exhibetur. In hoc verbo illi quàm plurimum indignati, dixerunt: quomodo superbè loquentes dicitis, quòd Papa, Dominus vester, sit maior omni homine. Nunquid scit ille, quòd Cham sit Dei filius? & quoniam Baiothnoy, & Bathy sunt Principes eius, sicq; nomina eorum diuulgantur & magnificãtur vbiq;. Quibus Fr. Ascelinus respondit: quis sit Cham, quisue Baiothnoy vel Bathy, Dominus Papa nescit, nec illorum nomina vnquam audiuit. Hoc autem à pluribus audiuit, & intellexit, quòd gens quædam barbara, quæ dicitur Tartarorum, de finibus Orientalibus iam dudum exiuit, quæ plures dominio suo regiones subiugauit, nulliq; parcens, infinitam hominum multitudinẽ prostrauit. Quod si nomina Cham suorumq; Principum recitari audisset, alicuius eorum nomen in litteris suis, quas afferimus, scribere nullatenus omisisset. At verò de tanta hominum strage, maximè Christianorum, dolore cordis tactus, atq; compatiens pietatis visceribus, de consilio fratrum suorum Cardinalium misit nos ad primum exercitum Tartarorum, quem citius inuenire possemus, exhortans Dominum exercitus, omnesq; qui ei obœdiunt, vt ab hominum strage & maximè Christianorum facienda in po-

Baiothnoy

Ascelinus alterius legationis princeps.

Iusta in arrogantiã vocem excandescentia.

Legationis mandata.

in posterum cessent, ac de perpetratis flagitijs vel facinoribus pœniteant, sicut tenor litterarum ipsius plenè manifestat legentibus. Rogamus igitur eum per vos, vt litteras Domini Papæ recipiat, visoq; illarum tenore, per suas litteras siue per nuncium, vel saltem solo verbo, per me Domino Papæ respondeat.

CAPVT XLI.

Qualiter ab eis Tartari de muneribus, & de aduentu Francorum inquisierunt.

Tartari munerum captatores

Papa mauult accipere quàm dare.

HIs itaq; peroratis, Barones prædicti cum interpretib9 suis ad Dominum suum reuersi sunt, eiq; verba Fr. Ascelini prædicta retulerunt. Post hoc aliquantulo spacio prioribus vestibus mutatis, alijsq; de nouo indutis, cum interpretibus suis ad Fratres redierunt, sicq; dixerunt: Hoc vnum quærimus à vobis, vtrum Papa, Dominus vester, aliquid Domino nostro Baiothnoy mittat, quod ei apportetis. Quibus Fr. Ascelinus respondit: Nihil vtiq; apportamus ei ex parte Domini Papæ: neq; enim est illi consuetudo, alicui Xenia mittere, infideli & ignoto maximè, quin potius fideles eius filij, scilicet Christiani, & etiam infideles quàm plurimi frequenter ei dona mittunt, & Xenia offerunt. Tunc iterum illi omnes ad tentorium Baiothnoy reuersi sunt, & post aliquantulam moram alijs indumentis de nouo induti, redeuntes Fratribus dixerunt: quomodo potestis præ verecundia ante Dominum nostrum velle comparere manibus vacuis, porrigendo litteras Domini vestri, quod nullus hominum huc veniens fecit ei? Tunc Fr. Ascelinus respondit: Cùm vbiq;, & apud Christianos maximè, consuetudo approbata obtineat, vt quilibet nuncius, litteras Domini sui ferens, ante illum, cui defert, veniat, ipsumq; videat, & ei proprijs manibus porrigat, si nos ante Dominum vestrum absq; muneribus accedere non licet, nec vobis hoc placet, vobis omnibus si placet, omittemus Domini Papæ litteras Domino vestro Baiothnoy ex parte

ipsius

ipsius porrigendas. In primis autem quæstionibus suis cautè, multumq; sollicitè, à Fratribus inquirebant, vtrum adhuc in Syriam Franci transfretassent. Audiebant enim à mercatoribus suis, vt dicebant, quòd multi Francorum in Syriam in breui transfretarent. Et tunc autem & antea fortasis apud se cogitabant, quales pedicas deceptionis, eorum pedibus inuoluendas, in ipso introitu eorum præpararent, siue sub simulatione fidei Christianæ suscipiendæ, siue sub qualibet alia mendaci delositate, vt ipsos à terrarum suarum introitu, Turquiæ scilicet & Halapiæ, cohercerent, seq; saltem ad tempus amicos Francorum velle fieri simularent, quos super omnes homines, qui sunt in mundo, sicut attestantur Georgiani & Armenij, formidant & timent.

Astus Barbarorum.

Franci ijsdem formidabiles.

CAPVT XLII.

Qualiter adorare Baiothnoy Fratres respuerunt.

POst verba prædicta Barones cum interpretibus suis ad Domini sui tentorium redierunt, ibiq; paululum commorantes, rursum vestimentis suis de nouo immutatis, ad Fratres reuersi dixerunt: si vultis Domini nostri faciem videre, & ei Domini vestri litteras præsentare, oportet vt eum adoretis, tanquam Filiũ Dei regnantem super terram, trina prius ante ipsum facienda genu flexione. Sic enim præcepit nobis Cham, regnans super terram Filius Dei, vt principes suos, Baiothnoy & Bathy, ab omnibus huc aduenientibus faciamus, sicut semetipsum, adorari. Quod & vsq; nunc fecimus, & in perpetuum firmiter obseruare proponimus. Tunc dubitantibus quibusdam Fratribus, & inter se conquerentibus, quid sibi Baiothnoy per adorationem intenderet fieri, vtrum scilicet idolatriam vel aliud aliquid Fr. Guichardus Cremonensis sciens mores & consuetudines Tartarorum, quas à Georgianis didicerat, inter quos etiam in eorum ciuitate Triphel in domo

Adoratio Tartarica

Guichardus Cremonensis.

Fratrum per annos VII. conuersatus fuerat, super hoc illos certificans respondit: De idolatria exhibenda Baiothnoy nullatenus formidetis: quia non hanc sibi petit à vobis fieri, sed in signum subiectionis Domini Papæ, totiusq; Romanæ Ecclesiæ, mandato Cham subijciendæ, hanc sibi, quam audistis, reuerentiã, omnibus ad se venientibus nuncijs consuetam exhiberi. Omnes itaq; Fratres circa petitionem huiusmodi deliberantes, statuerunt vnanimiter, omnes se potius velle decapitari, quàm sic adorando genua flectere coram Baiothnoy. Et hoc tum propter honorem vniuersalis Ecclesiæ conseruandum, tum propter Georgianorum & Armeniorum, Græcorum atq; Persarum, & Turcorum omniumq; nationum Orientalium scandalum euitandum, ne scilicet per huiusmodi reuerentiam, quasi per signum subiectionis atq; tributi, quandoq; Tartaris impendendi à Christianis, occasio & materia exultationis omnibus Ecclesiæ inimicis per partes Orientales diuulgaretur, & ne Christianis, ab eis captiuatis atq; subiectis, spes suæ liberationis, à Domino quandoq; superuenturæ, per Romanã ecclesiam penitus auferretur. Et ne etiam eidem sacrosanctæ Ecclesiæ, in exhibenda Baiothnoy à Christi fidelibus obedientia, defectu constantiæ mortisq; timore, macula quandoq; irrogari vel opponi posse videretur.

Legati cõstanter agunt.

CAPVT XLIII.

Qualiter Tartaris Christianitatem Fratres suaserunt.

PORrò Fr. Ascelinus prædictum consilium ac decretum, ab omnibus Fratribus obseruandum, de consensu ipsorum liberè coram omnibus, illic astantibus, protulit, insuperq; addidit: Ne fortè, quod absit, materia dissensionis, & occasio malignandi in responsionibus nostris à Domino vestro, vel etiam ab alijs, valeat reperiri, quia fortasse superbiam ac rigorem inflexibilem auribus eius, vel aliorum, verba nostra videbantur innuere, hoc etiam per nos significamus

Ascelini oratio.

ficamus ei, quòd omnem reuerentiam eidem parati ſumus exhibere, quam decet nos Dei ſacerdotes, ac religioſos viros, & nuncios Domini Papæ, ſalua Chriſtianæ religionis dignitate, & obſeruata in omnibus Eccleſiæ libertate. Illam quoq; reuerentiam, quam noſtris maioribus ac Regibus & Principibus facere conſueuimus, quam etiam docet nos ſacra ſcriptura, dicens: magnati humilia caput tuum; parati ſumus Domino veſtro facere propter bonum pacis & vnitatis & concordiæ. Illam quoq;, quam petitis, omninò reſpuimus, tanquam ignominiam religionis Chriſtianæ, mortemq;, quamcunq; nobis Dominus veſter inferre voluerit, potius eligimus ſuſtinere. Si autem, quod Dominus Papa & omnes Chriſtiani quàm plurimum exoptarent, Dominus veſter Baiothnoy vellet Chriſtianus fieri, non ſolùm ante ipſum genua flecteremus, verùm etiam ante vos omnes parati eſſemus, inſuper & plantas pedum ipſius omniumq; veſtrum etiam minorum propter Deum humiliter oſculari. Quod illi vt audierunt, ſuper admonitione iſta quàm plurimum indignati, ac perturbati, cum impetu & furore vehementi Fratribus ſic reſponderunt: Monetis, *Chriſtiani*
vt Chriſtiani fiamus nos, ſimuſq; canes, ſicut & vos. Nonne *Tartaris*
Papa veſter eſt canis, & vos omnes Chriſtiani canes eſtis? *canes.*
Ad hæc F. Aſcelinus nullatenus, niſi per prædictorum abnegationes, quæ vera eſſe ſupponebant, reſpondere potuit, impeditus videlicet eorum rugitibus ac fremitibus clamoſis atq; proteruis. Itaq; prædicti Barones cum interpretibus ſuis ad tentorium Domini ſui redierunt, & ſicut reſponderant Fratres, eidem plenariè retulerunt.

CAPVT XLIIII.

Qualiter illi de ſententia mortis in Fratres tractauerunt.

AVdiens itaq; Baiothnoy, quæ ſuo Egyp & Baronibus *Baiothnoy*
& interpretibus ſuis reſponderant, & indignanter ſu- *in legatos*
ſtinens, in eoſdem Fratres exarſit furore, ter ipſos per *ſtomachus*

sententiam diffinitiuam occidi præcipiens, innocentem eorum sanguinem effundere non abhorrens, nec omnium gentium cõsuetudinẽ approbatã metuens infringere, quæ permittit vbiq; nuncios progredi & regredi liberè ac securè. Quidam verò eius consiliarij hoc modo dicebant: non interficiamus omnes illos, sed tantùm duos ex illis, & ad Papam remittemus alios duos. Alij verò dicebant hoc modo: Excorietur eorum vnus, videlicet principalis Domini Papæ nuncius, eiusq; pellem impletam palea per socios suos ad Dominum suum transmittamus. Iterum alij dicebant: duo tantùm ex illis, primò fustigati per totum exercitum, occidantur. Alij autem duo, quo ad vsq; Franci eos subsequentes huc veniant, reseruentur. Porrò etiam alij dicebant hoc modo: duos ex illis nobiscum ducamus in exercitum, vt ibi multitudinẽ & potestatem nostram intueantur, & iacientibus machinis hostium nostrorum, ante illas ponantur, sicq; non à nobis, sed à machinis interfici arbitrentur. At verò Baiothnoy sententia præualebat, vt capitali sententia plecterentur omnes illi, quia contumaces fuerant in prostratione & adoratione facienda sibi. Tandem illo superordinante, qui dissipat cogitationes malignorum, vna de sex vxoribus Baiothnoy, quæ antiquior erat, & quidam etiam, qui super nuncios, illuc venientes, curam habebant, omnibus modis, quibus poterant, restiterunt sententiæ datæ de nece Fratrum. Illa siquidem vxor eius taliter coram eo perorabat: Si nuncios istos ocideris, omnium, qui te tale quid fecisse audierint, odium & horrorem incurres, donaq; & Xenia, quæ tibi à magnis hominibus è diuersis ac longis regionibus transmitti solebant, amittes. Nuncios etiam tuos, quos ad magnos homines mittis, vbiq; iusto freti iudicio destruent, & occident absq; vlla miseratione. Ille quoq;, qui nunciorum aduenientium curam habebat, Baiothnoy sic dicebat: Nosti, si recolis, quantum iratus mihi fuerit Cham super occisione cuiusdam nuncij, quem interficere mihi præcepisti, cuius cor à visceribus extractum ad incutiendum terrorem

Consultatio cum Synedris.

Vxor cordata.

Magister, legatorũ.

rorem

rorem alijs nuncijs venturis, & omnibus alijs audituris, in equi mei pectorali per totum exercitum tuum me publicè deportare fecisti. Si ergò nuncios istos occidere mihi iusseris, non occidam, sed à te fugiam, & innocentiam meam conseruans festinabo quàm citius ad Cham, & de morte istorum in plenaria curia tanquam maleficum & homicidam inauditum accusabo te, atq; conuincam. His ergò persuasionibus Baiothnoy emollitus & confractus, cor suum fellitum ac turbulentum, paulatim feruore subtracto, sedauit penitus ac pacificauit.

CAPVT XLV.

Qualiter de modo adorandi ad inuicem sunt altercati.

DEniq; post moram solito longiorem Barones ad Fratres cum interpretibus suis reuersi sunt, Dominiq; sui furorē, ex illorum responsione conceptum dissimulantes, ipsos taliter allocuti sunt: Ex quo nullatenus Dominum nostrum flexo genu adorare dignamini, quærimus, quis sit modus apud vos, secundum quem maiores vestros, prout decet, illorum dignitatem veneramini? Præterea si vos venire permittimus ante præsentiam Domini nostri, quærimus quem honoris ac reuerentiæ modum facietis ei, prout decet vos eius dominationem humiliter venerari? Tunc Fr. Ascelinus capucium suum à capite paululum subtrahens, & parumper caput inclinans, sic ait: Hic est modus reuerentiæ, quam nostris maioribus exhibemus, & hanc Baiothnoy, Domino vestro, nullamq; aliam, vlla constricti violentia, exhibere proponimus. Iterum verò quæsierunt illi: Quis esset modus, secundum quē Deum adorant Christiani. At ille respondit: multis Christiani Deum adorant modis, quoniam alij ad terram prostrati, alij genibus in terram defixis, atq; aliter alij & alij. Et multi quidem ac diuersi de longè venientes, Dominum vestrum adorant venerātes, ipsius tyrannizatione perterriti, eiusq; serui

Internuncij agunt cum legetis.

serui facti & Sclaui. At verò Dominus Papa & omnes Christiani tyrannizationem non metuunt, nec ab eis potestis hanc adorationem exigere, nec, quòd præcipit Cham, illis demandare, qui ei nulla iurisdictione & dominatione subiecti sunt. Iterum prædictis quæstionibus aliam addiderunt: Cùm vos Christiani adoretis ligna & lapides, id est lignis & lapidibus insculptas cruces, quare Baiothnoy adorare dedignamini, quem Filius Dei Cham vt seipsum præcepit adorari. Huic autem quæstioni, duplici articulo innodatæ, Fr. Ascelinus sic respondit ex ordine: Ligna & lapides non adorant Christiani, sed signum crucis, eisdem impressum, propter Dominum nostrum IESVM Christum in ea suspensum, qui membris suis, tanquam preciosis margaritis, eam ornauit suoq; cruore consecrauit, & in ea salutem nostram acquisiuit. Dominum autem vestrum prædictis rationibus nullatenus possumus adorare, quantalibet nobis proposita cruciatuum passione.

Exprobrant Christianis εἰκωνολατρεῖαν.

CAPVT XLVI.

Qualiter ad Cham ire recusauerunt.

Finitis huiusmodi verbis, dicti Barones ad Dominum suum reuertentes, eiq; Fratrum verba referentes, post aliquantulum iterum moram de mandato eius ad Fratres redierunt, dicentes: Dominus noster, Baiothnoy mandat vobis, vt vos ire ad Cham, dominatorem & regem omnium Tartarorum, properetis. Tunc enim ad eum venientes, quis & quantus sit, videbitis, quantaq; sit eius potentia, quantaq; gloria, quæ omnia nunc abscondita sunt ab oculis vestris, apertissimè cognoscetis. Ipsi verò Cham litteras ex parte Domini vestri Papæ proprijs manibus poteritis præsentare, visisq; potentia & gloria, diuitijsq; Cham infinitis, eidem Domino vestro veraciter poteritis, quæ ibi videritis aut audieritis, nunciare. At verò Fr. Ascelinus malitiam Baiothnoy percipiens, & animaduertens, quam etiam prius iam didicerat à pluribus tam Christianis quàm infidelibus

Instant de profectione ad Imperatorē.

infidelibus, sic respondit Baronibus: cùm Dominus meus, vt aliâs dixi, nomen Cham non audierit, nec me ad ipsum ire præceperit, sed ad primum, quem inuenire possem, exercitum Tartarorum miserit, ad Cham ire nolo nec debeo, præsentia Domini vestri & exercitus eius, quos habet, reperti contentus, & iniuncti mihi officij executione sufficienter liberatus. Litteras itaq; Papæ Domino vestro, & eius exercitui, paratus sum ostendere, si placuerit recipere ac videre: Sin autem, ad ipsum remeabo, eiq; rem gestam per ordinem nunciabo. Rursus illi: Qua fronte, inquiunt, vos Christiani omnes audetis dicere, quòd Papa sit omni homine maior dignitate: Quis enim vnquam audiuit, quòd Papa vester tot & tanta regna sibi acquisierit, quot & quanta Filius Dei Cham, Deo sibi hoc largiente, acquisiuit? Quis vnquam tam longè lateq; diffundi audiuit nomen Papæ, sicut & nomen Cham in orbe terrarum iam diffunditur, & dilatatur ac timetur vbiq;? Iam enim ab ortu Solis vsq; ad mare mediterraneum, & vsq; ad ponticum, Deo iubente, dominatur, & vbiq; in his terminis nomen eius magnum ac celebre ab omnibus in eis habitantibus timetur & honoratur. Cham ergo maior est Papa vestro & omni homine potentia & gloria, sibi à Deo datis, & acquisitionis dignitate. Ad primam partem huius quæstionis Fr. Ascelinus sic respondit: Dominum Papam omne homine maiorem dicimus dignitate, quia Beato Petro eiusq; successoribus concessa est à Domino potestas vniuersalis sacrosanctæ matris Ecclesiæ, hac eadem illis vsq; ad consumationem seculi perdurante. Deniq; hanc eis quæstionem Fr. Ascelino multis modis & exemplis explanante, illi tanquam brutales homines nullatenus intelligere valuerunt plenariè. Cæteris autem articulis non potuit respondere, impeditus eorum proteruia, & clamosa instantia, magis ac magis eorum vesania erumpente.

Exagitant Papæ ἀξίωμα.

CAPVT

CAPVT XLVII.

Qualiter Domini Papæ litteras in Tartaricum idioma transferri fecerunt.

POst hæc dicti Barones reuersi verba Fratrum Baiothnoy referentes, aliquantulum ibidem morati, rursum ad Fratres redierunt, dicentes: Dominus noster Baiothnoy per nos mandat vobis, vt Domini vestri Papæ litteras, ab ipso tenendas & inspiciendas, nobis omnibus tanquam nuncijs suis fidelibus ac securis committatis. Itaq; Frater Ascelinus non vocatus ad præsentiam Baiothnoy, sed exclusus, commisit ei litteras, licet contra consuetudinem nunciorum approbatam hoc faceret inuitus. Illi verò regredientes cum litteris ad Dominum suum, reuersi sunt post paululum, dicentes, vt mediantibus Fratribus & alijs interpretibus, ibidem astantibus, litteræ Papæ in Persica lingua scriberentur, deinde Baiothnoy porrectæ, iterum de Persico in Tartaricum expositæ, ab ipso Baiothnoy perlucidè & apertè audirentur. Tunc Fr. Ascelinus cum tribus suis Fratribus, ac suis interpretibus, & scriptoribus Baiothnoy, se à multitudine astantium sequestrauit, nulloq; illis vmbraculo superastante, litteras Domini Papæ de verbo ad verbum, mediantibus alijs interpretibus, exposuit, Persis notarijs scribentibus ea, quæ audiebant à Turcis & à Græcis interpretibus, & etiam à Fratribus. Itaq; litteris transcriptis, ac mediantibus interpretibus suis in Tartarico Baiothnoy expositis, eisq; penes se cum bulla retentis, idem Baiothnoy misit iterum prædictos Barones ad Fratres cum quodam magno scriba & solenni Cham, qui statim ad ipsum iter arrepturus erat, dicentes: Mandat vobis Baiothnoy, vt ex vobis eligantur duo, qui vadant ad Cham statim cum isto seruo suo vsq; ad ipsum securè ac fideliter. Qui ad illum peruenientes, Domini vestri litteras eius præsentiæ porrigent, ipsamq; responsionem, & ea quæ viderint de potentia in gloria Cham, domino suo referent. Quibus Fr. Ascelinus respondit: Diximus aliâs, quod

Ascelinus exhibet legationis diploma.

Differit apud interpretes.

quod ex mandato nobis iniuncto ad Cham ire nõ tenemur, & ligari quidem possumus, ac violenter illuc duci, sed spontanei non ibimus, nec ducemur. Inter nos quoq; nolumus diuidi, nec in hac legatione commissa nobis ad inuicem separari. Tunc illis recedentibus, prædictus scriba redijt, cautè verbis dolosis & adulatorijs interpositis, Fr. Ascelinum de verborum duritia reprehendens, & si quo modo ipsum ad Baiothnoy adorationem inclinare valeret, tentans. Cui Fr. Ascelinus ait: Putabam, inquit, vt à pluribus audieram, quòd inter Tartaros libenter veritas audiretur, sed, vt video, iam corruit in plateis eorum, nec ad illos ingreditur, nec ab eis diligitur, nec veretur. Duo verba dixi, quòd Dominus Papa, quo ad Christianos, dignitate maior sit omni homine, & quòd nescit quis sit Cham, quisue Baiothnoy. Quæ plus cæteris verbis meis grauauerunt Baiothnoy, suosq; Barones, vt animaduertere potui. Sed pro libertate fidei ac veritatis huc assisto, hominemq; mortalem non timeo. Cumq; iam vespere Fratres debebant à curia licentiari, scriba prædictus, in crastino profecturus, Fratres coram se fecit aduocari, legitq; coram omnibus litteras, quas Cham Baiothnoy transmiserat per totum orbem demandandas, admonens Fratres, vt ea, quæ in eisdem litteris audirent, memoriter retinerent. Omnia verò prædicta vtrinq; proposita fuerunt in die prima.

Recusat profectionẽ ad Imperatorẽ.

Agit confidenter.

CAPVT XLVIII.

Qualiter Fratres dolis & illusionibus Tartari apud se diutius detinuerunt.

EAdem itaq; die in sero, tenore litterarum audito, promittentibus illis Baronibus & scriba, quòd eisdem Fratribus traderetur transcripti copia, Fratres ad tentorium suum redierunt ieiuni, per milliare magnum distans à tentorio Baiathnoy. Transactis postea diebus IIII. Fr. Ascelinus & Fr. Guichardus ante tentorium Baiothnoy venientes,

Legati vrgẽt discessum.

tes, mediantibus Baronibus & interpretibus suis, eidem mandauere, quatenus tenori litterarum Domini Papæ, sicut idem tenor earum exposcebat, aliquo modo dignaretur respondere, ipsosq; Fratres ad Papam quàm citius remittendo, securè per terram suam conducere. Quidam verò Barones, qui malitiæ, quam aduersus Fratres Baiothnoy conceperat, assensum præbuerunt, taliter Fratribus responderunt: Altera die cùm ante Domini nostri Baiothnoy curiam venissetis, intelleximus ex verbis vestris, quòd ad videndum exercitum Tartarorum veneratis. Cùm igitur totus exercitus noster nondum in vnum congregatus sit, ipsum quoq; nondum videritis, adhuc à curia licentiari, vel ab exercitu nostro nunc exire non potestis. Quibus verbis Fr. Ascelinus sic respondit: Sicut in prima die super hoc verbo pluries vobis respondimus, nequaquam ad videndum exercitum vestrum principaliter, sed propter Domini Papæ litteras ad vos deferendas, earumq; responsionem eidem referendam huc venimus. Licet vtiq; ad nostrũ aduentum consequatur, videre vos & vestrum exercitum. Tunc Baronibus ad Baiothnoy redeuntibus, & se illi prædicta verba nunciare, statimq; responsionem ipsius Fratribus referre promittentibus, iidem Fratres in Solis feruore commorantes, illosq; ad se reuersuros, à prima diei hora vsq; ad nonam expectantes, tandem ad tentorium suum vacui reuersi sunt, nullamq; responsionem audierunt. Sic etiam aliâs multotiens causa licentiæ obtinendæ curiam frequentantes, à Tartaris sunt illusi, & vt viles Garconnes responsione illorum indigni, imò etiam velut canes ab eisdem sunt reputati. Itaq; sæpius, imò quasi quotidiè, ad curiã accedentes, & à prima vsq; ad sextam, ac frequentius vsq; ad nonam, in ardore Solis, mensibus Iunio Iulioq;, nullo eos operculo obumbrante, cómorantes responsioné fieri sibi, licentiamq; dari petierunt. Sed sine responsione, vel etiam sine collocutione illorum de curia, indignantium ad ipsos accedere ac loqui, ad tentorium suum ieiuni & famelici redierunt. Sic prædictus Baiothnoy aduersus illos indignatus,

Luduntur — *Habentur ignominiosè.*

tus,

tus, & ad excusationem malitiæ suæ, duritiam responsionum eorum prætendens, illosq; ter, vt dictum est, occidi præcipiens, per IX. septimanas ipsos in exercitu suo retinuit, eos tanquam nulla audientia dignos, vilipendens. Itaq; Fratres omnem eius malitiam indignationemq; patienter & humiliter sufferebant, ac necessitatem in virtutem solerter commutabant.

¶Tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum. Cicero.

CAPVT XLIX.

Qualiter illos Augutham expectare compulerunt.

DEniq; per V. septimanas executionem in eos latæ senétiæ suspendens, tandem litteris eorum factis ad Papam transmittendis, nuncijs quoq; præparatis cum ipsis ad eum destinandis, cogitauit eos licentiare, videlicet in festo S. Iohannis Baptistæ. Sed die tertia sequenti eandem licentiam reuocauit, quam eis côcesserat, dicens, se nolle ipsos ab exercitu suo tunc recedere, quoniã à Domino suo Cham, Dei filio, nuncium quendam magnum ac solennem, Augutha nomine, statim in exercitum suum aduenturum esse audierat, qui etiam ab ipso Cham, vt plures asserebant, super totam Georgiam imperandi mandatum habebat. Hic etenim Augutha in curia Cham magnus eiusdem consiliarius erat, sciebatq;, qualiter ipse Cham Domino Papæ rescripserat, mandatumq; nouum ab ipso Cham, per vniuersum orbem transmittendum, afferebat, sicut ipsemet Baiothnoy asserebat. Quod videlicet mandatum volebat idem Baiothnoy Fratribus intimare, ipsumq; ad Papam transcriptum per eosdem Fratres ac nuncios suos transmittere. Idemq; Augutha quotidiè præstolabatur à Baiothnoy maioribus Baronibus de illo exercitu, cum multo iumentini lactis ad potandum apparatu. Ideoq; nolebat Fratres, licet iam licentiatos, adhuc recedere, donec ad exercitum peruenisset homo ille, mandatum nouum Cham allaturus, & fortè de morte Fratrum, vt quidam vehementer crede-

Baiothnoy rescindit decretum de legatis dimittendis.

Augutha.

bant, quam vsq; tunc distulerat, cum ipso diffinitum consilium habiturus. Fratres autem tyrannidi eiusdem Baiothnoy resistere nō valentes, per tres septimanas & amplius adhuc, patienter & humiliter sustinuerunt, aduentum Augutha de die in diem præstolantes, stabantq; firmi & immobiles. Panem atrum & aquam breuem pro sustentatione corporali quandoq; vix ad sufficientiam habentes, & præ defectu panis vsq; ad vesperam quandoq; ieiunantes, caprinum & vaccinum lac, & etiam fortasse quandoq; iumentinum comedebant. Aquam etiam puram frequentius bibebant, & quandoq; pro magna pictantia mixtam cum aceto solacte, nulla de vino facta mentione.

¶Oportet qua diuinitus accidũt, necessariò, quæ ab hostib⁹ proficiscũtur, fortiter ferre. Thucyd.

CAPVT L.

Qualiter post eius aduentum recesserunt.

Ascelinus largitione dimissionẽ impetrat.

PORrò Fr. Ascelinus per moram illam, quam illic contrahebat, cogitans de facili passagium maris propter ineptitudinem hyemalis temporis futuri se posse amittere, perrexit ad quendam magnum cōsiliarium curiæ, rogans, vt pro Fratribus apud Baiothnoy preces interponere vellet, quatenus eis recedendi licentiam concederet. Volens etiam tempus redimere, quoniam dies mali erant, Xenia quædam eidem consiliario promisit, si ad hoc ipsum adiuuaret. Ille igitur ad Baiothnoy accedens, ac bona verba precesq; pro Fratribus interponens, litteras Papæ transmittendas, vt iam fuerat ordinatum, de mandato Baiothnoy fieri præcepit, ac nuncijs ordinatis, qui litteras Baiothnoy & Cham ad Papam transferrent, recedendi licentiam Fratribus impetrauit. Porrò litteris factis, nuncijsq; in eisdem litteris nominatis, & ad iter arripiendum præparatis, ecce in ipsa die, qua pariter exituri erant de exercitu, prædictus Augutha superuenit cum auunculo Soldani Halapiæ, & Fratre Soldani Mosoal, quæ olim Ninine vocabatur. Illi quoq; duo Augutham comitantes de Cham veniebant,

Augutha aduentus.

bant,

bant, cui pro nepotibus suis homagium fecerant, eumq; quàm pluribus donis & Xenijs honorauerant, ac tributarij eiusdem effecti fuerant. Igitur & ante præsentiam Baiothnoy peruenerunt; ei dona & Xenia quàm plurima offerentes, ipsumq; cum trina genuum flexione, capitumq; in terram allisione, secundum mandatum Cham adorantes. Itaq; Baiothnoy & omnes eius consiliarij de aduentu Auguthæ & comitum eius supra modum exultantes, festum & gaudimonium secundum morem suum in lactis iumentini potationibus, & in cantibus, vel potius vlulatibus eidem fecerunt. Tartaros quoq; vicinos cum vxoribus ad augmentum solennitatis conuocantes, negotium Fratrum aliorumq; nunciorum exercitus postposuerunt. Septem quippe diebus continuis comessationibus ac potationibus & vlulatibus vacauerunt, & in octaua die, scilicet sancti Iacobi, cum nuncijs ac litteris Baiothnoy, litterisq; Cham, quas vocant litteras Dei, ad Papam transmittendis, Fratribus liberè & absolutè recedendi licentiam concesserunt. Fuerunt autem per annum in eorum dominio, ad ipsos eundo, & cum ipsis morando, & inde reuertendo. Et Frater quidem Ascelinus in via illa tota moratus est per annos tres ac septem menses, antequam ad Dominum Papam rediret. Fr. Alexander & Fr. Albericus fuerunt cum eo per annos tres & paulò minus, Fr. Simon per duos annos & septimanas sex, Fr. Guichardus, qui assumptus est Triphelis, per V. menses. Sunt autem, vt dicunt, ab Acon vsq; ad exercitum illum Tartarorum in Perside LIX. dietæ.

Baiothnoy adoratur à Soldanorum legatis.

Agit festa conuiuia.

Ascelini & sociorũ diuturnũ iter.

CAPVT LI.

De litteris, quæ à principe Tartarorum ad Papam missæ sunt.

EXemplum autem litteræ, quæ à Baiothnoy ad Dominũ Papam missa est, hoc est. Dispositione diuina ipsius Cham transmissum Baiothnoy verbum. Papa ita scias. Tui nuncij venerunt, & tuas litteras ad nos detulerunt.

Tui nuncij magna verba dixerunt: Nescimus, vtrum iniunxeris eis ita loqui, aut à semetipsis dixerint. Et in litteris taliter scripseras: Homines multos occiditis, interimitis & perditis. Præceptum Dei stabile, & statutum eius, qui totius faciem orbis continet, ad nos sic est: Quicunq; statutum audierint, super propriam terram, aquam & patrimonium sedeant, & ei, qui faciem totius orbis continet, virtutem tradant. Quicunq; autem præceptum & statutum non audierint, sed aliter fecerint, illi deleantur & perdantur. Nunc super hoc istud statutum & præceptum ad vos transmittimus. Si vultis super terram nostram, aquam & patrimonium sedere, oportet vt tu, Papa, ipse in propria persona ad nos venias, & ad eum, qui faciem totius terræ continet, accedas, & si tu præceptum Dei stabile, & illius, qui faciem totius terræ continet, non audieris, illud nos nescimus, Deus scit. Oportet vt antequam venias, nuncios præmittas, & nobis significes, si venis autem non, si velis nobiscum componere, aut inimicus esse, & responsionem præcepti citò ad nos transmittas. Istud præceptum per manus Aybeg & Sargis misimus mense Iulij XX. die Lunationis in territorio Sitiens castri scripsimus.

Lex tyrānica.

CAPVT LII.

De litteris ab Imperatore ipsorum ad eundem principem missis.

Arrogans βλασφημία.

HOc autem est exemplar litterarum Cham ad Baiothnoy, quas ipsi Tartari vocant litteras Dei: Per præceptum Dei viui, Chingischam, filius Dei dulcis & venerabilis, dicit, quia Deus excelsus super omnia, ipse Deus immortalis, & super terram Chingischam solus dominus. Volumus istud ad audientiam omnium in omnem locum peruenire, prouincijs nobis obedientibus, & prouincijs nobis rebellantibus. Oportet igitur te, ô Baiothnoy, vt excites eos, & notifices eis, quia hoc est mandatum Dei viui & immortalis. Incessanter quoq; innotescas eis super hoc peti-

petitionem tuam, & innotescas in omni loco hoc meum mandatum, vbicunq; nuncius poterit deuenire. Et quicunq; contradixerit tibi, venabitur, & terra ipsius vastabitur. Et certifico te, quòd quicunq; non audierit hoc meum mandatum, erit surdus. Et quicunq; viderit hoc meum mandatum, & non fecerit, erit cæcus. Et quicunq; fecerit secundum istud meum iudicium, cognoscens pacem, & non facit eam, erit claudus. Hæc mea ordinatio perueniat ad noticiam cuiuslibet ignorantis & scientis. Quicunq; ergo audierit, & obseruare neglexerit, destruetur, perdetur & morietur. Manifestes igitur istud ô Baiothnoy. Et quicunq; voluerit vtilitaté domus suæ, & prosecutus istud fuerit, & voluerit nobis seruire, saluabitur & honorabitur, & quicunq; audire istud contra dixerit, secundum voluntatem tuam faciens, eos corripere studeas. Hæc de Tartarorum gestis, & itinere Fratrum Prædicatorum atq; Minorum ad exercitus eorum ad præsens dicta sufficiant. *Edictum barbarum*

CAPVT LIII.

De quibusdam miraculis, per signum crucis inter Turcos exhibitis.

ANNO prænotato scilicet ab incarnatione Domini M. CC. XLVII. mense Iunio accidit miraculum quoddam apud Iconium, in loco communi, vbi Crux erat sculpta in quodam palatio. Quidam enim ioculator ibidem stabat, & in facie omnium astantium cum vrso ludebat. Vrsus autem leuato crure super crucem, prope ipsum insistentem, minxit, statimq; videntibus omnibus ibidem expirauit. Cumq; Christiani astantes super id, quod acciderat, Deum benedicerent atq; laudarent, quidam Sarracenus indignatus est valde, quòd ibi super miraculo facto Christum attollebant. Ideoq; accedens in impetu tanquam in contemptum ipsius crucis & Christianorum, cum manu crucem percussit, statimq; brachium eius cum tota manu, qua illam percusserat, totaliter exaruit. Iterumq; Sarracenus *Legenda de cruce Iconiensi.*

cenus quidam alius ebrietati vacans, illamq; Christianorum admirationem & laudem vilipendens, quasi furiosus à potatione surrexit, & in contemptum Christianitatis super crucem mingere volens, morte subitanea percussus interijt. Sicq; Christianorum multitudine Deum magnificante, super tribus miraculis iam ibidem ostensis, quidam Græcus inspiratione diuina inflammatus, accessit ad Baiulum ciuitatis, rogans vt illum locum immundum & abominabilem ei venderet, in quo ad honorem Dei & sanctæ Crucis Ecclesiam ædificaret, pro quo etiam, si ipsum ei concederet, promisit quòd XXII. millia Soldanorum Soldano daret. At verò Kaldinus, Turcorum Episcopus, cùm audiret quod sic habere locum illum appeteret Christianus, impediuit quibus modis potuit omnibus.

CAPVT LIIII.

De progenie Soldanorum, & primò de filijs Salahadini, & de Calipho.

QVia verò multa superius dicta sunt de terra Turcorum & Aegyptiorum, in quibus habitant Sarraceni, quibus & præsunt Soldani, libet hîc pauca breuiter inserere de situ terrarum ac ciuitatum illorum, & prius de potestate Soldanorum. Siquidem Innocentius Papa huius nominis tertius, scire volens, quæ apud illos sunt, & nomina Satraparum, contra quos ad bellum parabatur exercitus Christianorum, scripsit Patriarchæ Hierosolymitano, vt inquisita fideliter veritate, statum ei nunciaret prædictorum. Igitur Patriarcha quàm citius potuit mandatum executus Apostolicum, rescripsit dicens: Duo fuerunt fratres Sarraceni nobiles. Nomen primogeniti Salahadinus, & nomen alterius Saphadinus. Salahadinus IX. filios genuit, postea vitam finiuit. Cui Saphadinus superuixit, omnesq; fratrueles suos interfici fecit, præter vnum, nomine * Noradinum, [illegible]alapiæ Soldanum. Quem manu tenuit Soldanus Iconij contra Saphadinum, quantùm permisit Caliphus eorum.

Innocentius III. Papa historiæ studiosus. Familia [illegible]dini. & [illegible] [illegible] [illegible]upr[illegible] [illegible] 31. [illegible] 93.

Caliphus

Caliphus enim Papa interpretatur, qui ab omnibus Sarracenis reuerentiã habens honoratur. Itaq; Baldach est caput paganorum, sicut Roma caput nostrum. Ibi namq; residet Caliphus, & ibi colitur Mahometus & à propinquis & à remotis. Est enim hæc ciuitas Agarenorum peregrinalis, ad quam scilicet peregrè proficiscuntur Sarraceni de partibus etiam remotis. Qui per desertum ituri magnum & inuium, sabulosum & inaquosum, onerant camelos victualibus, per XII. dies sufficientibus. Aqua verò deficiente, sed prope terram scaturiente, cameli sitientes, & aquam naturaliter sentientes, percutiunt terram pede. Quod videntes Sarraceni, mox terram effodiunt, aquam hauriunt, potumq; camelis tribuunt. Porrò Caliphus equitans cum gente sua, vt Mahometum adoret, ingreditur templum, & inclinatione capitis adorans orat Mahometum. Oratione finita, priusquam egrediatur de templo, splendidè quidem epulatur, & post epulas ad palatium coronatus reuertitur. Prædictus itaq; Noradinus possidet Halapiam cum pertinentijs CC. ciuitatum & castrorum numerumq; villarum infinitum.

Calipha. Sarracenorum Papa. Baldach. ¶ Alÿhae de Mecha habent. Vide Vartomanum. Noradinus.

CAPVT LV.

De filijs Saphadini terrarum possessoribus.

Porrò Saphadinus, fratruelium occisor, XV. filios habuit, quorum VII. terrarum possessores, alios VIII. reddituum perceptores fecit. Melahadinus primogenitus tenuit ac possedit Aegyptum totam, centum millibus villarum inclytam, à parte meridiei sitam. Secundus Coradinus possedit Damascum, & ciuitatem sanctam Hierusalem, totamq; terram, quæ fuit Christianorum. In cuius possessione sunt absq; villis ciuitates cum castris trecentæ. Hic habebat treugas cum Patriarcha & vtroq; templi & Hospitalis Magistro vsq; ad Passagium, quod fuit anno gratiæ M. CC. XVII. Tertius Melchiphus possedit totam terram,

Melahadinus. Coradinus. Melchiphus.

ddd

ram, quæ Gemella dicitur, & regionem circà, scilicet absq; villis CCC. I. ciuitates & castra. Quartus Melicmodan possedit totum regnum Asiæ, cum omnibus pertinentijs, quod benè continet ciuitates & castra sexcenta absq; villis. Quintus Melchisemaphat possedit regnum Sarco, vbi occisus est Abel, quod octingentas ciuitates & castra præter villas continet. Sextus Melchinoch regnum Baldach cum pertinentijs suis possedit, vbi Caliphus, sicut dictum est, residet. Septimus Salaphas non possidet terram vel regnum aliquod, sed fratres eius, terrarum possessores, mittunt ei singulis annis singuli binos equos benè insellatos & infrenatos, ac mille Byzantios Sarracenicos. Semperq; iste Salaphas cum patre suo Saphadino vexillifer eius equitat. Et ipse quidem Saphadinus equitans, filios suos visitaturus, inuoluitur purpurea syndone caput. Cui procedunt obuiam filij IX leucis, & appropinquantes, capitibus ei quater inclinatis, osculantur etiam pedes manusq; patris. Postea vicissitudine mutua pater quemlibet osculatur ter, dans cuilibet annulum aureum, imagine sua insignitum. Omnes isti terras Christianorum, quas possidebant, voluerunt reddere, & esse tributarij Patriarchæ & Ecclesiæ Romanæ, vt alias terras possiderent pacificè.

Melicmodan. *Melchimesaphat.* *Melchinoch.* *Salaphas.*

CAPVT LVI.

De filijs eiusdem, reddituum perceptoribus, & eius vxoribus.

Vectigal sepulcri Christi.

Ex filijs autem eiusdē Saphadini, reddituum perceptoribus, duo maiores sepulcrum Dominicū quinq; Christianis custodiunt, & oblata percipientes, quæ benè per annum XX. millia Byzantios Sarracenicos valent, inter se diuidunt. Quatuor autem de sex minoribus filijs cuiusdam aquæ percipiunt redditus, quæ Likalis nuncupatur, qua singulis annis Aegyptus mense Augusto rigatur. Valet autem redditus ille per annum XL. millia Byzantiorum Sarracenicorum. Porrò duo minores Fratres, quia casti sunt,

sunt, quidquid offertur ad pedes Mahometi custodiunt, eaq; percipientes, inter se diuidunt. Et hæc valent per annum XXX. millia Sarracenicorum Byzantiorum. Habuit autem Saphadinus XV. vxores, & similiter eius hæres. Quibus vocatis simul in palatio cum singulis dormit, & si qua masculum peperit, videntibus cæteris omnibus illam cognoscit. Si qua verò partum non habuerit, cum illa per Eunuchum vocata diligentius nocte dieq; priuatim dormit. Sic & cum qualibet pro beneplacito suo facit. Si qua verò moriatur, statim aliam defunctæ loco ducit. Hic Saphadinus de consuetudine prædecessorum suorum decies in anno videri permittit vultum suum. Cùm autem à rege vel Principe nuncius ad eum mittitur, nuncius ipse primo die in aula prima sui palatij recipitur, vbi sunt custodes & CC. Turci benè armati, nuncium custodientes. Secunda die veniens interpres ad nuncium, quærit ab eo viæ illius causam, & Soldano interpretatur eam. Tertia verò die potest nuncius Soldani responsum audire.

Saphadini πολυγαμία.

Mos audiendi legatos.

CAPVT LXXXIX.

De transitu * Ludouici, regis Francorum, in Cyprum.

¶ *Auctor.*

* X. Quē Bonifacius VIII. Papa in numerū diuorū retulit añ Christi 1294.

ANno Domini M. CC. XLVIII. rex Francorum Ludouvicus iter transmarinum arripuit, videlicet in sexta feria post Pentecosten exiens de Parisijs, multis eius vrbis processionibus eum vsq; ad sanctum Antonium deducentibus. Iuerunt cum eo venerabilis Odo, Tusculanus Episcopus, Apostolicæ sedis legatus, & duo fratres eiusdem regis, videlicet Robertus, Comes Atrebatensis & Carolus, Comes Andegauensis, cum vxoribus suis, multiq; Franciæ regni Baronibus & Episcopis. Alfonsus quoq;, dicti regis frater, Comes Pictauensis, crucem acceperat transmarinā, sed illo anno cum domina Blancha, regina, matre sua remansit

Ludouici R. expeditio Aegyptiatica.

Proceres συμμαχοι.

mansit ad regni custodiam. Itaq; die Martis in crastino sancti Bartholomæi rex cum suis nauem intrauit, & duobus diebus sequentibus inibi moram faciens ventum prosperum expectauit. Porrò sequenti die Veneris à portu recessit, & Duce domino nauigans, tandem die Iouis ante festum sancti Matthæi de nocte in Cypro apud Nymocium applicuit. Ac Comitissa Atrebatensis cùm esset prægnans, de portu Aquarum mortuarum in Franciam rediit, ibiq; vsq; ad Comitis Pictauensis transitum remansit. Rex autem de consilio Baronum suorum, & Baronum ac terrariorum Cypri, quia naues & Galeæ suæ cum balistariis ac gentibus suis nondum aduenerant, in Cypro diutius expectauit, & propter instantiam hyemis, & alias causas concurrentes, vsq; ad tempus Paschale iter suum aduersus Sarracenos distulit. Rex quoq; Cypri & omnes ferè nobiles illius regni, atq; prælati, crucis signaculum assumserunt, seq; cum rege Franciæ, super Sarracenos adueniente, præfixo termino profecturos, quò eos vellet ducere, iurauerunt. Eo tempore Soldanus Babylonis, qui versus partes Damasci per terram Christianorum venire parauerat, auditis de aduentu regis Francorum rumoribus, iter propositum reuocauit. Erantq; inimicitiæ inter prædictum Soldanum, & illum qui fuit Soldanus Damasci, & etiam Halapinos. His temporibus obierunt de peregrinis, Robertus, Episcopus Beluacensis, & Comes Montis fortis, Comes quoq; Vindocinensis, Guillermus de Melloto, & Guillermus de Barris, Dominus etiam Herchenbaldus de Borbone, & Comes Drocensis, & alii quàm plures milites, quorum numerus vsq; ad ducentos & quadraginta æstimatur. Sed & Comes Andegauensis quartana in Cypro laborauit. Cùm autem inter Archiepiscopum Nichosiensem & milites etiam regionis esset controuersia, propter quam omnes ferè milites illi erant excommunicati, prædictus Odo legatus, inter partes mediator, pacem reformauit, & dictos milites absolui fecit. Archiepiscopus quoq; Græcorum in Cypro, qui tanquam schismaticus & inobediens Archiepiscopo

Rex Cypri

Simultas Soldanorum.

Funera procerum.

episcopo suo Latino iam diu ab Ecclesia sua exulauerat, tunc temporis est reuersus, & tam ipse quàm alij Græci, qui excommunicati fuerant, ad obedientiam redierunt, & absoluit eos legatus, qui etiam coram ipso quasdam hæreses abiurauerunt. Multi etiam Sarraceni, qui detinebantur in Cypro captiui, baptismum instanter petentes, insigniti sunt charactere baptismali. *Archiepiscopus Cyprius Græcorum.*

CAPVT XC.

De legatione Tartarorum ad ipsum.

VEnerunt autem circa natale Domini ad regem Ludovvicum missi quidam nuncij à quodã viro magno, Ercalthay nomine, de gente Tartarorum, qui ei apud Nicosiam commoranti litteras eiusdem magnatis præsentârunt. Ibiq; præsens aderat Fr. Andreas de Lontunnel de ordine Fratrum Prædicatorum, qui maiorem ex illis nuncijs, nomine Dauid, nouerat, vtpote quem viderat in exercitu Tartarorum. Litteras autem sibi præsentatas in lingua Persica, litteris Arabicis in Latinum transferri fecit, earumq; transcriptum, sub contra sigillo suo clausum, matri suæ, reginæ Blanchæ, in Franciam misit. Nunciauerunt itaq;, quòd rex magnus Tartarorum, qui dicitur Cham, circa tres annos completos à die Epiphaniæ, proximè præterita, factus erat per Dei gratiam Christianus, & tam ipse quàm alij magnates plurimi, & maxima pars populi, & exercitus eorundem, sacrum baptismum susceperant, fidem Catholicam profitentes. Dictus etiam Ercalthay iam antea per annos aliquot similiter fidem susceperat Christianam, & baptismum, & nunc veniebat missus à dicto rege Cham cum maxima multitudine bellatorum, & erat ipsius intentio, fidem Christianam promouere ac roborare, & omnium crucem adorantium vtilitatem & liberationem pcurare; omnesq; aduersarios eiusdem crucis expugnare. Multum verò desiderabat, se Regis Francorum esse beneuolum & amicum. Audierat enim de ipso, *Ercalthay dynasta ad Ludouicum R. legatio.* *Imperator Tartarorum initiatur Christianismo.*

Calipha Baldacensis Soldani Babyl. protector. quòd applicare deberet in Cyprum. Dicebant etiam ijdem nuncij, se credere quòd dictus Ercalthay circa proximum Pascha ciuitatem Baldach obsidere deberet, in qua Caliphus habitabat, à quo Soldanus Babyloniæ pluries, ac specialiter olim in obsidione Damiatæ, succursum magnum in auxilium habuerat. His & alijs tam per nuncios quàm per litteras intellectis, Rex gauisus, nuncios honorificè susceptos perendinare fecit, eisq; liberaliter necessaria ministrari. In die enim natalis Domini cum rege fuerunt ad Missam in Ecclesia, & ad prandium in curia. Similiter in Epiphania cum eo ad Missam erant, & sicut videbatur, benè se habebant, ac more Christianorum se gerebant.

CAPVT XCI.

Exemplar epistolæ Tartarorum ad eundem Ludouicum.

HOc est autem exemplar epistolæ, siue litterarum, quas misit Ercalthay, siue Ercolthay, Princeps ille Tartarorum, ad regem Ludovvicum, & iubente rege ipso translatæ sunt in Latinum de verbo ad verbum. *Ἐπιγραφή.* Per potentiam Dei excelsi, missi à rege terræ Cham verba Ercalthay, Regi magno, prouinciarum multarum propugnatori strenuo, orbis gladio, Christianitatis victori, religionis Apostolicæ defensori, legis Euangelicæ filio, regi Francorum. *Salutatio.* Augeat Deus dominium suum, & conseruet ei regnum suum annis plurimis, & impleat voluntates suas in lege, & in mundo nunc & in futurum, per veritatem diuinæ conductricis hominum & omnium Prophetarum & Apostolorũ. Amen. Centum millia salutum & benedictionum. Ex hoc rogo, quòd recipiat salutationes istas, vt sint grandes apud ipsum. Faciat autem Deus, vt videam hunc regem magnificum, qui applicuit. Creator autem excelsus faciat occursum vestrum in caritate, & facere faciat, vt congregemur in vnum. Post hanc autem salutationem nouerit, quòd in hac epistola non est intentio nostra nisi vtilitas Christianitatis,

nitatis,

nitatis,& corroboratio manus regum Christianorum, Domino concedente. Et peto à Deo, vt det victoriam exercitibus regum Christianitatis, & triumphet eos de aduersarijs suis, contemnentibus crucem. Ex parte autem regis sublimis, sublimet eum Deus, videlicet de præsentia Kyocay. Augeat Deus magnificentiam suam. Venimus cum potestate & mandato, vt omnes Christiani sint liberi à seruitute & tributo & angaria, & pedagijs & consimilibus, & sint in honore & reuerentia, & nullus tangat possessiones eorum, & Ecclesiæ destructæ reædificentur, & pulsentur tabulæ, & non audeat aliquis prohibere, vt orent corde quieto & libenti pro regno vestro. Ista autem hora adhuc venimus pro vtilitate Christianorum, & custodia, dante Deo excelso. Misimus autem huc per fidelem nostrum virum venerabilem, Sabeldini Dauid, & per Marcum, vt annuncient bonos rumores, & quæ sunt circa nos dicent ore ad os. Filius autem recipiat verba eorum, & credat eis, & in litteris suis. Rex terræ augeatur. Magnificentia sua ita præcipit, quòd in lege Dei non sit differentia inter Latinum & Græcum & Armenium, Nestorinum & Iacobinum, & omnes qui adorent crucem: omnes enim sunt vnum apud nos. Et sic petimus, vt rex magnificus non diuidat inter ipsos, sed sit eius pietas super omnes Christianos, duretq; eius pietas & clementia. Datum in fine Mercharram. Et erit bonum, concedente Domino excelso. Huc vsq; exemplar epistolæ, quæ missa est regi Francorum in Cyprum ab Ercalthay, Tartarorum principe. Cui consonabant & aliæ quædam litteræ, quæ paulò antè dicto regi à rege Cypri, & Comite Ioppensi, fuerant præsentatæ. Quarum etiam transcriptum, vnà cum transcripto litterarum Ercolthay, transmisit Odo venerabilis legatus Innocentio Papæ. Harum verò litterarum exemplar talia continebat.

Votum.

Pollicitatio propugnandi Christianismi.

Petitio de sectis nullo discrimine habendis.

CAPVT

CAPVT XCII.

Exemplar epiſtolæ Coneſtabularij Armeniæ ad regem Cypri de Tartaris.

EXcellenti & potenti viro H. Dei gratia regi Cypri, & cariſsimæ ſorori ſuæ E. reginæ, ac nobili viro Y. de Ybelim, fratri ſuo, Coneſtabularius Armeniæ ſalutem & dilectionem. Noueritis, quòd ſicut ad iter agendum pro Deo, & vtilitate Chriſtianitatis, me expoſui, ſic Chriſtus IESVS vſq; ad villam, quæ vocatur Santequant, me conduxit. Multas quippe terras videntes, Indiam retrò nos dimiſimus, & tranſiuimus Baudac, totamq; terram eius, duobus arrepti itineris menſibus. Ciuitates plurimas deſertas vidi, quas vaſtauerunt Tartari, quarum nemo poſſet opulentiam vel amplitudinem æſtimare. Vidimus enim aliquas villas magnas itinere trium dierum, & pluſquam centum millia aggeres magnos & mirabiles oſsium, à Tartaris interfectorum. Nobiſq; videtur, quòd ſi, Deo diſponente, Tartari, qui paganos ſic deſtruxerunt, non aduenisſent, ad totam terram ciſmarinam implendam & acquirendam ſufficerent. Tranſiuimus vnum de Paradiſi fluminibus maximum, Gyon appellatum iuxta ſcripturam, cuius harena durat vndequaq; per vnam magnam diætam. De Tartaris verò ſciatis, quod innumerabiles ſunt, nec æſtimari ab homine poſſunt. Optimi ſunt artherij, terribiles forma, pluriumq; facierum, nec vobis poſſemus deſcribere litteraliter ritus eorum. Nunc quidem octo ſunt menſes, quod de die ac de nocte ambulamus, & nunc dicitur nobis, quòd ſumus ad medium terræ noſtræ & terræ Cham, maioris Domini Tartarorum. Intelliximus autem pro vero, quòd iam ex quo mortuus eſt Cham, pater huius, qui nunc eſt, anni quinq; tranſierunt. Sed Barones ac milites Tartarorum ita ſe per terras effuderant, quòd infra dictos quinq; annos, vt dictum Cham intronizarent, vix in vnum locum congregari potuerunt. Quidam enim eorum erant in India, alij verò in terra de Catha, alij in Ruſsia, & alij in

Tartarorum potētia.

terra

terra de Casthat & de Canghat. Hæc est terra, de qua tres reges in Bethlehem venerunt, Christum adorare, & Christiani sunt homines illius terræ. Ego siquidem ipse fui in Ecclesijs eorum, & vidi IESVM Christum depictum, tres quoq; Reges, vnum aurum, alium thus & alium mirrham offerentes. Per illos itaq; tres reges habuerunt illi fidem Christi, ac per illos Cham & omnes sui modò facti sunt Christiani. Vnde & ante portas suas habent Ecclesias, pulsant campanas, ac percutiunt tabulas, ita quòd euntes ad dominum suum Cham, primò quidem oportet ire ad Ecclesiam, & salutare IESVM Christum, post verò ire & salutare Cham. Inuenimus etiam multos Christianos effusos per terram Orientis, & multas Ecclesias pulcras & altas antiquas, quæ vastatæ fuerant à Tartaris. Vnde Christiani terræ illius venerunt in præsentiã Cham istius. Quos ille cum honore magno suscepit, & libertate donauit, & ne quis verbo vel facto contristaret eos, prohiberi fecit. Et quia peccatis nostris exigentibus, nó habebat Christus, qui nomen suum prædicaret in illis regionibus, ipsemet pro seipso prædicauit, & prædicat sanctissimis suis virtutibus, ita quòd gentes illarum regionum credunt in Christum. In terra verò Indiæ, quam Beat. Apostolus Thomas conuertit, est quidam rex Christianus, qui inter alios reges, vtpote Sarracenos, erat in anxietate magna positus. Nam vndiq; faciebant ei resistentiam seu violentiam, donec Tartari venerunt in terram illam, & ipse factus est homo illorum, acceptoq; exercitu suo & Tartarorum, Sarracenos inuasit, tantumq; in terra Indiæ acquisiuit, quòd tota Orientis terra plena est Sclauis Indicis. Horum enim plus quàm quingenta millia vidi, quos Rex dictus ceperat, & mandauerat venundari. Sciatis etiam, dominum Papam misisse nuncium prædicto Cham, & mandauit ei dicens: Vtrum Christianus esset, & cur gentem suam ad orbis conculcationem & necem misisset? Cui respondit Cham: quòd Deus auis suis & sibi mandasset, vt gentem suam ad interficiendas

Christianismus.

Rex Indiæ Christianus ἀμυνόμενος.

Magnus Cham flagellũ Dei.

ficiendas gentes pessimas mitteret: Super hoc autē quod mandauerat, vtrum esset Christianus, respondit, quòd hoc sciebat Deus, & si Papa scire vellet, veniret, & videret ac sciret. Huc vsq; exemplar epistolæ Conestabularij Armeniæ.

CAPVT XCIII.

De quibusdam relationibus nunciorum Ercalthay principis.

Digna rege percontatio.

QVæsiuit autem rex Francorum à prædictis nuncijs Ercalthay de ipso, à quo tempore baptismum suscepisset, & vbi esset modò? Quæsiuit & de statu Tartarorum, & quæ fuerit causa motiua aduentus eorum, & qua occasione suum, id est ipsius regis Francorum, cognouissent aduentum? Ad quæ sic illi responderunt: à Soldano, inquiunt, Mussulæ, quæ scilicet olim vocabatur Niniue, missæ fuerunt litteræ quædam ad magnum regem Cham, quas receperat à Soldano Babyloniæ, in quibus Babyloniæ Soldanus mentionem de applicatione & aduentu regis Francorum faciebat, mendaciter asserendo, quòd LX. regis Francorum naues per violentiam ceperat, & in Aegyptum deduxerat. Per id ostendere volens, quòd idem Mussulæ Soldanus in aduentu regis Francorum confidere non debebat. Hac igitur occasione dictus Ercalthay audito regis Francorum aduentu, nuncios misit ad eum, qui denunciarent ei, in hoc esse propositum Tartarorum, vt in æstate proxima obsiderent Caliphum. Rogabantq; regem, vt Aegyptum aggrediens impugnaret, ne dictus Caliphus ab Aegyptijs in aliquo adiuuari posset. Dixerunt etiam ijdē nuncij, quòd isti, qui nunc appellantur Tartari, exierunt de terra sua transactis XL. annis, quæ non habet ciuitates, aut oppida seu villas, sed abundat in pascuis, & ob hoc incolæ sunt intenti tantùm in pecoribus alendis, distatq; per XL. diætas à terra, quam nunc inhabitat ille Rex magnus Cham,

Astutum Soldani Babylon. mendacium.

¶ Dolus an virtus, quis in hoste requirat? Virgil.

Tartarorum primordia.

Cham, & in qua posuit sedem suam. Quæ scilicet terra Tartar vocatur, vnde & nunc Tartari nominantur. Dicebant quoq; quòd ijdē Tartari primò debellauerunt filium Iohannis Presbyteri, ipsumq; cum exercitu suo peremerunt in ore gladij. Dicebant etiam, quòd ille Cham habet secum omnes ferè Capitaneos populorum cum innumera multitudine equitum, & hominum, & animalium. Et sunt in tentorijs semper, quia nulla ciuitas eos capere posset. Equi verò illorum & animalia semper commorantur in pascuis, quia non possunt ordeum & paleam inuenire, quod sufficere posset equis suis. Capitanei verò præmittunt homines, qui sibi regiones subijciant, & ipsi cum rege magno remanent. In cuius potestate & voluntate est, vt quando moritur, regem instituat aliquem de filijs & nepotibus suis. Dixerunt etiam, quod iste, qui nunc agit in sceptris, * Kyocay nomine, matrem habuit Christianam, regis, qui Presbyter Iohannes vocatur, filiam. Ad cuius exhortationem, & cuiusdam Episcopi sanctissimi, qui Malassias vocatur, suscepit Sacramentum baptismi, & cum eo XVIII. filij regum, & plures alij, maximè Capitanei. Multi tamen adhuc inter illos sunt, qui nondum fidei Sacramentum susceperunt. Ercalthay verò, qui nuncios miserat, Christianus erat iam ex pluribus annis, & non erat de semine regio, sed tamen magnus & potens. Agebat in finibus Persidis à parte Orientis. Requisiti verò nuncij de * Bachon duce, cur sic malè recepisset Domini Papæ nuncios, responderunt, quia homo paganus erat, & Sarracenos habebat consiliarios: Sed iam potestatem tantam vt prius non habeat: quia modò sub Ercalthay potestate constitutus erat. Præterea requisiti de Soldano Moysac, siue Mussulæ, quæ quondam Niniue dicta est, an Christianus esset, dixerunt eum fuisse cuiusdam Christianæ filium, & quòd ex corde Christianos diligeret, ac festa illorum obseruaret, nec in aliquo legi Mahometi obediret. Et credebatur, quòd si tempus & opportunitatem

Militia.

* Occoday. Videtur autem loco hic non carere mendo.

Ercalthay

* Baiothnoy

Soldanus.

Mussula.

tem haberet, libenter Christianus fieret. Dicebant etiam, quòd summi Pontificis nomen apud Tartaros iam celebre esset, & quòd Ercalthay, domini sui, propositum erat, vt in æstate proxima Calipham oppugnaret, & iniuriam Domino IESV Christo illatam vindicaret.

CAPVT XCIIII.

De legatione regis Francorum ad principes Tartarorum.

Ludouici R. ad Tartaros legatio.

TAndem habuit rex Francorum consilium, vt ad ipsum regem Tartarorum, & ad Ercalthay nuncios suos cum litteris & iocalibus mitteret, ita quòd aliqui eorum ab Ercalthay ad ipsum regem Ludovvicum directè redirent, & alij ad regem Cham vlterius procederent. Significantibus autem Tartarorum nuncijs, quòd rex Cham valdè carum & gratum haberet de scarleta tentorium, siue capellam, fecit eam rex Ludovvicus præparari ac fieri speciosam, & quosdam pannellos, habentes leuem atq; subtilem brodaturam, in qua scilicet brodatura, tentorio affixa, ea quæ Dominus noster IESVS Christus pro nobis in corpore suo gessit, honestissimè satis sunt exarata. Hæc igitur & alia, ad ornamentum Capellæ & cultum diuinum pertinentia, misit rex Ludovvicus regi Cham ad deuotionem fidei Christianæ in eo excitandam. Insuper etiam de ligno sanctæ crucis misit tam eidem Regi quàm Ercalthay per nuncios suos cum litteris, ad vtrumq; directis, hortantibus vt eum, qui per gratiam suam ad cognitionem sui nominis eos vocauerat, debita veneratione colerent, & in eius amore iugiter permanerent. Sed & dominus Odo legatus eidem regi, magno Cham, & matertera suæ, & Ercalthay, ac Prælatis eorundem destinauit epistolam, denuncians eis, quòd sacrosancta Romana Ecclesia eos libenter vt filios carissimos reciperet, audiens gratulabandam conuer-

Munera.

Odo primatus Papalis assertor.

conuersionem eorum ad fidem Catholicam, dummodo fidem orthodoxam vellent firmiter tenere, & eam confiteri matrem omnem Ecclesiarum, eiq; præsidentem, IESV Christi vicarium, & quòd eidem vicario cuncti, qui Christiana professione censentur, meritò debeant obedire. Prælatos etiam eorum admonuit specialiter, vt idipsum omnes saperent, & in eis schismata non essent, sed in veritate fidei, scilicet in quatuor primis generalibus concilijs editæ, & à sede Apostolica approbatæ, immobiliter permanerent. Fuerunt autem huius legationis nuncij, videlicet à rege Francorum ad principes Tartarorum destinati, prædictus Fr. Andreas cum duobus alijs Fratribus eiusdem ordinis, & duobus clericis, & duobus seruientibus regis, qui parati & instructi paulò ante purificationẽ profecti sunt, & vnà cum prædictis Tartarorum nuncijs VIII Calend. Febr. à rege licentiam acceperunt, ac tertia die Nicosiam exierunt. Super omnes autem Fr. Andreas Capitaneus, & magister à rege constitutus, non multò pòst ad eundem regem litteras misit, quarum transcriptum dictus Rex matri suæ Blanchæ reginæ in Franciam vnà cum transcripto litterarum Ercalthay transmisit. *Andreas legationis princeps.*

CAPVT XCV.

De discordia inter Soldanos, Babylonium & Halapium.

INterea Soldanus Babyloniæ, intellecto quòd rex Franciæ hyemaret in Cypro, statim iter arripuit veniendi versus partes Damasci, per ciuitatem Ierusalem transitum faciendo, & hoc intendens modis omnibus & aspirans, vt Halapiæ * Soldanum, & alios eidem adhærentes sibi pacificos & confœderatos attraheret, eosq; secum in auxilium suum adduceret. Ad hoc etiam nuncios suos Caliphus Baldacensis, & Senex de monte, destinauerant, vt illos ad concordiã reuo-

* Melecnasarem vt Haythonus.

Soldanus Babylon. studet pacificationi cum Alapiensi. Adhibet sequestres

reuocarent. At Soldanus Halapiæ, cognoscens versutiam & malitiam Soldani Babyloniæ, non est ausus in ipso confidere, nec pacem aut compositionem cum eo voluit inire. Propter quod idem Soldanus Babylonicus in iram motus, vrbem Camelæ, quæ pertinet ad Soldanum Halapiæ, per gentem suam obsideri fecit, & ipse Damascum rediit. In qua scilicet obsidione dictus Soldanus propter hyemem ac pluuias & Beduinorum incursus, fertur in hominibus ac rebus & animalibus suis multa dispendia sustinuisse. Dum itaq; Babylonicus exercitus in obsidione dicta permaneret, Soldanus Halapiæ præparato exercitu suo venit, vt eos ab obsidione remoueret. Ad quem accedens nuncius Caliphi, monuit eum, vt cum Soldano Babyloniæ pacem firmaret, proponens ei pericula multa, quæ Sarracenis imminebant hoc tempore, eo quòd exercitus Christianus ad perdendum gentes atq; legem Mahometi conuenisset. Et siquidem ipsi Sarraceni taliter in semetipsos bella conuerterent, hoc illis ad incommodum & confusionem, & Christianis eorum aduersariis ad profectum cederet. Cùm hæc & alia etiam multa nuncius Caliphi proponeret, & de hoc iam pluries cum eodem Soldano tractasset, ille nullatenus verbum pacis admittere voluit, dicens, quòd quandiu in eius dominio Babylonii morarentur, super hoc aliquatenus non tractaret, & nisi recederent, die crastino proculdubio cum eis prælium & conflictum iniret. Videns itaq; dictus nuncius, quòd nihil in tractatu pacis proficeret, recessit, ac festinans ad exercitum Babylonicum, imminentis eius belli periculum nunciauit, & sic eos ab obsidione recedere fecit. Qui cum maxima confusione in Damascum receperunt se, vbi tunc morabatur Soldanus Babyloniæ, graui detentus infirmitate. Inter hæc autem Magister militum templi & Marescallus hospitalis scripserunt Ludovvico regi, quòd Soldanus Babyloniæ cum exercitu magno venerat in partes Gazæ, ad conciliandum sibi Soldanum Halapiæ & Damasci. Timebantq;, ne fortè Ioppen,

Gerit rem infeliciter

Tentatur valetudine.

pen, vel Cæsaream, intenderet obsidere. Postea quoq; scripsit idem Magister regi, quòd Admiraldus quidam Soldani Babyloniæ ad ipsum venerat, vt eiusdem regis Francorum voluntatem inquireret, eò quòd Dominus suus libenter cum ipso pacem haberet. Quod Regi omnibusq; Baronibus displicuit valdè, præsertim cùm à quibusdam diceretur, Soldanum ad requisitionem eiusdem Magistri prædictum Admiraldum ad ipsum misisse. Itaq; rex in continenti præfato Magistro per litteras suas inhibuit, ne de cætero tales nuncios absq; mandato suo speciali reciperet, aut cum eis colloquium habere præsumeret. Dicebatur enim ab omnibus, qui factum Syriæ nouerant, quòd quantumcunq; oppressi essent Syri, nunquam primi faciebant verbum de treugis, sed tunc primò, quando cum instantia magna requisiti super hoc erant à Turcis. Ideoq;, quòd dictus Magister, vt dicebatur, prior inde verbum mouerat, ex hoc Christianorum conditio deterior facta fuerat, præsertim quia Turci ex hoc ipso poterant credere, quòd Rex se viribus inferiorem existimans, quacunq; causa vel occasione inuenta festinaret ad propria remeare.

Ludouicus rex edocetur de motu & molitionibus Barbarorum.

Eiusdem stomachus

Interdictum.

CAPVT XCVI.

De quibusdam euentibus Cypri dum ibi moram traheret Rex Francorum.

PRæterea dum idem Rex Francorum in Cypro cum regina Margaretha, vxore sua, moram traheret, Armeniæ quoq; Rex, intellecto eius aduentu, misit nuncios solennes, quendam Archiepiscopum scilicet Armenium, & alios domesticos suos, cum litteris suis & Xenijs, se offerens eius voluntati. Quos ille, prout decuit, honorabiliter recepit. Cùm autem intellexisset, esse discordiam inter ipsum & principem Antiochiæ grauem plurimum atq;

Ludouicus R. solicitatur legatione Armenij.

damno-

damnosam, quæ iam longo durauerat tempore, propter hoc & alia quædam misit nuncios proprios ad vtrumq;. Postea verò procedente tempore, accedentibus ad eum vtriusq; nuncijs, inita est inter ipsos coram illo treuga, ab instanti natiuitate sancti Iohannis per duos annos duratura. Quia verò Turcomani paulo ante terram Antiochiæ depopulati fuerant, Patriarcha & princeps Antiochenus à rege Francorum auxilium petierunt, eisq; à rege sexcenti balistarij missi sunt. Accidit autem dum esset Rex in Cypro cum exercitu Christiano, vt oriretur discordia inter Vicecomitem Castriduni, & marinos suos, instigante Diabolo. Et ex parte Ianuensium à balistarijs Vicecomitis interfecti sunt duo, quorum vnus erat magnus & nobilis homo. Idem quoq; Vicecomes, nescio quo spiritu ductus, habito tractatu cum Comite Montis fortis, voluit ad partes Acconensium transfretare cum militibus multis. Quod vbi Rex agnouit, ipsi cæterisq; militibus, ne hoc facerent, inhibuit: quoniam hac occasione totus posset exercitus dissolui, & Christianitatis etiam negotium impediri. Cumq; Vicecomes quoquo modo id, quod proposuerat, implere vellet, Rex Galeas suas armari fecit, & dominis nauium, ne Vicecomitem aut complices suos aliquatenus attemptarent ferre, prohibuit. Tunc idem Vicecomes ad aliud se conuertit, & nauem cum omnibus, quæ in ea erant, saisiuit, asserens quòd secundum conuentiones, inter ipsum & dominos nauis habitas, tam nauis quàm ea, quæ ibi erant, ipsius esse debebant. Porrò mediante rege tractatum fuit, vt in duos bonos viros vtraq; pars compromitteret, & rex tertium poneret. Sed quia consensum partium obtinere non valuit, ideò dicta discordia tunc sedari non potuit. Tandem ad instantiã regis & legati Vicecomes post Pascha nauem, quam saisierat, Ianuensibus restituit. Qui & promiserunt sub pœna duarum millium librarum, quòd iuri starent in curia regis Francorum super querelis, quæ vertebantur inter ipsos & Vicecomitem ante dictum. Interea verò

Agit pacificatorem.

Subleuat auxiliaribus copijs Antiochenos.

Motus socialis Vicecomitis Castriduni.

verò miserat Rex apud Acon & alia loca maritima, ad marinarios & naues atq; vasella conducenda. Cumq; nuncij hac de causa in Acon die Dominica in quinquagesima venissent, nullatenus Ianuenses ac Venetos ad hoc flectere potuerunt, vt rationabile precium in vasis suis ponere vellent. His diebus instigante Diabolo, inter Ianuenses ex vna parte, & Pisanos ex altera seditio grandis exorta fuit, ita quòd vnus Consul Ianuensis telo percussus interijt. Sed & paulo antè seditio exorta fuerat inibi inter Venetos & Balliuum regni Cypri. Itaq; rex Francorum secundò misit Patriarcham Hierosolymitanum ac Suessionensem Episcopum, Conestabularium suum, & quosdam alios in Acon pro vasis & marinarijs conducendis, & pro sedandis seditionibus antè dictis. In Cypro quoq; fabricari fecit parua quædam vasella, ad terram hostium capiendam necessaria. His autem diebus capti sunt quidam, qui confessi sunt, quòd ipsi & quidam alij à Soldano Babyloniæ missi fuerant, vt regem & maiores exercitus veneni maleficiò enecarent.

Alter Genuensium & Pisanorum.

Sicarij à Soldano Babyl. subornati.

CAPVT XCVII.

Qualiter idem Rex Damiatæ portum cepit.

AD extremum autem venerunt naues, vasaq; conducta, venerunt etiam de insulis naues quàm plures, ac multi Barones ac milites, & alij peregrini, qui moram in insulis fecerant, in hyeme iam transacta. Itaq; die sabbathi post Ascensionem Domini cùm esset iam in naui sua rex Francorum, congregatis ibidem maioribus exercitus, de ipsorum consilio publicatum fuit per exercitum, quòd apud Damiatam vniuersi cum Dei adiutorio dirigerent iter suum. Die siquidem ascensionis, prout ordinatum fuerat, ascenderunt nauem, sed vsq; ad diem Mercurij sequentem adhuc in portu remanserunt: quia tempus opor-

Edictum de nauigatione.

tunum nauigandi nō habebant, nec adhuc gentes illorum paratæ totaliter erant. Eadem itaq; die velo facto, recessit rex à portu Nimocij cum nauium & vasellorum copiosa multitudine. At postea per aliquot dies cum difficultate ac ventorum contrarietate procedentes, venerunt prope Paphum, ciuitatem Cypri, tantaq; fuerat temporis contrarietas, vt oporteret illos prope Nimocium bis reuerti. Venitq; tunc ad eos princeps Achaiæ cum gentibus & vasellis quàm pluribus in subsidium illorum ac terræ sanctæ, & cum eo similiter Dux Burgundiæ, qui in partibus Romanis moram traxerat in hyeme. Expectauerunt igitur peregrini apud Nimocium, & congregauerunt ibidem exercitum suum per incommoditatem temporis dispersum. Tandem in festo sanctæ Trinitatis vela ventis dari fecerunt, ita quòd in sequenti die Veneris apparuit eis terra Aegypti, & post paululum ciuitas Damiata. Appropinquantes itaq; iuxta ciuitatem, in portu steterunt, & naues suas anchorauerunt. Eadem die cùm viderent portum magna Turcorum equitum ac peditum multitudine munitum, & os fluuij, quod de propè eminebat, ex abundantia galearum armatum, consilium habuit Rex cum maioribus de exercitu, vt in crastino summo mane exirent in insulam, ad terram capiendam in parte illa, videlicet vbi terram similiter illi ceperant, qui in alia obsidione Damiatæ fuerant, ita quòd fluuius esset inter ipsos & ciuitatem. In ipso igitur crastino, peregrinis intrantibus galeas, cæteraq; vasella parua, quotquot intrare potuerunt, & accinctis, vt decuit, & armatis, Rex cum legato, sacrosanctam crucem Domini triumphalem deferente nudam & apertam, erat in quodam vasello, procedente quoq; in alijs vasellis iuxta ipsos Beati Dionysij martyris vexillo, fratribus regis ac cæteris Baronibus & balistarijs, ac militibus circumquaq; comitantibus. Deinde processerunt viriliter in nomine Domini versus terram, de Dei quoq; misericordia & virtute sanctæ Crucis non modicam habentes fiduciam, & insultus plurimos

Tempestas

Achæi & Burgundi nouæ copiæ.

Ludouicus R. maturè consultat.

plurimos tam sagittarum emissionibus quàm alijs facientes contra hostium ferociam. Cumq; vasella ipsa, in quibus erant, propter nimiam maris planiciem, vsq; ad siccum attingere non possent, Christianus exercitus in nomine Domini, relictis vasellis, in mare saliendo se misit, & vsq; ad siccam terram cum armis suis pedes venit. Sarraceni verò, qui littus occupauerant, nitentes defendere terram, nostris appropinquantibus, & exeuntibus de vasellis, sagittas & tela fortiter iaciebant, & cum gladijs feriebant. Sed nostri præualentes, intrauerunt & occupauerunt terram hostibus repulsis, paucis & quasi nullis nostrorum vulneratis aut læsis, multis verò Sarracenorum & equis eorum pluribus lethaliter vulneratis & interfectis. Inter quos etiam de maioribus ipsorum ceciderunt aliqui, videlicet vnus qui erat villæ Capitaneus, & alij duo Admirati. Soldanus autem ibi præsens non erat, sed de nouo è Damasci partibus venerat, & tunc erat in loco, qui per vnam dietam à ciuitate prædicta distat, vbi & quadam infirmitate languebat. In ipsa verò die occupauerunt os fluuij galeæ nostræ, & fugerunt galeæ Sarracenorum, & ascenderunt fluuium. Fixis autem Rex & peregrini tentorijs suis super littus, pernoctauerunt ibidem, & in crastino, videlicet die Dominico, inibi commorari ordinauerant, vt gentes ipsorum & equi, qui scilicet adhuc in nauibus erant, illa die descendere, ac venire in exercitum possent.

Exponit copias in terram.

Fundit hostem.

Soldani morbus.

CAPVT XCVIII.

Qualiter ipse Rex vrbem intrauit & occupauit, hostibus fugatis & expulsis.

HVic autem felici principio feliciora quoq; adiecit Dominus noster IESVS CHRISTVS populo suo Catholico. Nam Sarracenis, qui erant in ciuitate, diuina

Damiata sponte ab incolis & præsidiarijs deseritur. virtute perterritis, subitò illa nocte populus, & in crastino die Dominica magnates, & alij omnes, ex vrbe dicta exierunt, & in fugam conuersi, eam circumquaq; posito igne, penitus reliquerunt. Quo percepto, statim exercitu commoto, multi de nostris currentes intrauerunt vrbem per quendam pontem nauium, quem dimiserant Sarraceni satis integrum, nisi quòd in ipso erat interruptio vna, quæ statim fuit à nostris gentibus reparata. *Venit in potestatem Christianorum.* Rex insuper habita certitudine de præmissis, aliquos de suis, quos ad hoc duxit eligendos, intromisit, ac per totam ciuitatem guarnisionem suam posuit. Postea recedens à littore, in quo erat, eadem die versus pontem ciuitatis se traxit, ibiq; ante pontem ipsum tentoria sua posuit, vt si necesse esset, illis, qui erant in vrbe tempestiuè succurrere posset. De victualibus autem guarnisionis licet multa per ignem deperierint, multaq; amota fuerint & subtracta, multa tamen adhuc remanserunt ex eis: quoniam ad longum tempus abundanter ciuitas à Sarracenis fuerat munita. Erat quoq; ciuitas ipsa tam ob fluminis interpositionem, quàm murorum & turrium fortium circuitum, fortissima, multumq; postquam aliàs capta fuerat infortiata. *Inexpugnabilis habita.* Vnde dicebant multi, quòd per vim expugnari vel capi nullatenus potuisset, nisi Deus miraculosè per virtutem suam id faceret, quamdiu scilicet intus aliqui essent, qui victualia sufficienter habentes ibidem morari vellent. Postea verò mundata ciuitate à quorundam mortuorum scilicet ac bestiarum cadaueribus, & extincto igne, legatus vnà cum Patriarcha Hierosol. nec non Archiepiscopis & Episcopis, qui præsentes erant, & magna etiam parte conuentuum, *Ludouici R. & procerum solennis in eandem ingressio.* item rex Ludovvicus cum pluribus alijs processionaliter nudis pedibus, præsente etiam rege Cypri, pluribusq; Baronibus & alijs ciuitatem intrauerunt. Et in primis locum, in quo erat Mahomecia, reconciliauit legatus, qui dudum in altera eiusdem vrbis captione Beatæ Virginis Ecclesiæ deputatus fuerat & appropriatus. Deinde redditis

ditis inibi de impensis beneficijs gratiarum actionibus altissimo, celebrata est Missa solenniter in honore beatissimæ Mariæ virginis à legato. Proposuit etiam ibidem Rex, annuente Domino, constituere Prælatos & Canonicos, debitum assiduè famulatum Domino reddituros. Capta est autem ciuitas Damiata anno Domini M. CC. XLIX. post festum sanctæ Trinitatis die octaua. Illic ergo stetit Rex per totam æstatem cum exercitu Christiano: non enim volebant inde recedere, vsq; ad decrescentiam fluminis, quod tunc, sicut dicebatur, terram occupare debebat: quoniam aliàs in partibus illis per eius crescentiam exercitus Christianus damnum incurreret. Eodem anno circa festum Iohannis Baptistæ, Alfonsus, Comes Pictauensis, frater dicti Ludovvici regis, iter trans marinum arripuit, & regina Blancha, mater eorum, ad custodiam regni sola remansit. Itaq; dictus Comes cum exercitu magno in crastino sancti Bartholomæi mare apud Aquas mortuas intrauit, & die Dominico ante festum Apostolorum Simonis & Iudæ apud Damiatam applicuit.

Cunctatio ob Nili exundationes.

Alfonsus, Comes Pictauiensis.

CAPVT XCIX.

Qualiter apud Massoram aduersus Sarracenos processit.

REx autem Ludovvicus & exercitus Christianus deliberato communi consilio, tam nauali quàm terrestri exercitu præparato, XX. die Nouembris de Damiata recesserunt, & aduersus exercitum Sarracenorum congregatum, & castra metatum in loco, qui Massora dicitur, processerunt. Et in ipso quidem itinere Sarracenorum insultus aliquos sustinuerunt, in quibus ijdem Sarraceni assiduè suorum detrimentum non modicum receperunt. Intellexerunt etiam in ipso itinere, Soldanum Babyloniæ de nouo miseram vitam finisse. Qui & ad * filium suum, tunc in Ori-

Ludouico R. tendit in hostem.

*Melech sàlam, vt Haytho nus.

Mors Soldani Babylon.

in Orientis partibus morantem, vt in Aegyptum veniret, miserat, & à cunctis maioribus exercitus sui iuramenta fidelitatis eidem fieri fecerat, relicta totius exercitus ac terræ suæ custodia cuidam Admirato, nomine Sacardino. Accedentes igitur ad locum prædictum die Martis ante natale Domini, primò quidem accessum habere nequiuimus ad Sarracenos eosdem propter quendam fluuium, inter vtrumq; exercitum defluentem, qui scilicet fluuius Chaneos dicitur, & in loco illo à magno flumine deriuatur. Inde inter vtrumq; fluuium posuerunt castra nostra, à maiori fluuio ad minorem protendentia. Vbi aliquando conflictu habito cum Sarracenis, multi ex eis ceciderunt, interfecti nostrorum gladijs, maxima quoq; illorum multitudine submersa in aquis Nili validis & profundis. At verò quia fluuius Chaneos vadabilis nõ erat propter aquarum profunditatem, & riparum altitudinem, cœperunt super eum nostri facere * calciatam, vt exercitui Christiano pateret transitus per eam. Dum igitur ad hoc multis diebus cum immensis laboribus & periculis ac sumptibus institerunt, Sarraceni econtra totis conatibus resistentes, machinis nostrorum, quas ibidem erexerant, machinas quàm plures opposuerunt, quibus & castella lignea, quæ super passum eundem collocari fecerant, conquassata lapidibus & confracta, igne græco totaliter combusserunt. Quo facto, ferè omni spe frustrata per calciatam illam taliter transeundi, tandem per quendam Sarracenum, ab Aegyptiorum exercitu venientem, datum fuit nobis intelligi, locum aliquantulum inferius vadabilem esse, quo poterat exercitus Christianus fluuium transmeare. Inde communicato consilio, die carnis priuij manè ordinatis aciebus venientes ad locum, transierunt fluuium, non tamen sine graui periculo: quia profundior ac periculosior erat locus, quàm eis fuerat intimatum. Nam & equos illorum ibi natare oportebat, & propter altas & lutosas ripas exitus prædicti fluminis periculosus erat. Itaq; transacto

Sacardinus Admiratus.

Chaneos Fl.

* Forsan pótones dicit.

Christiani transmittunt Nilũ.

facto fluuio, ventum est ad locum, vbi iuxta prædictam calciatam erant machinæ Sarracenorum. Habitoq; cum Sarracenis congressu, nostri qui præcedebant non parcentes sexui vel ætati, multos ex ipsis trucidârunt, inter quos & Capitaneum illorum, & quosdam alios Admiratos ibidem interfecerunt. Deinde verò dispersis aciebus nostris, quidam nostrorum per hostium castra discurrentes, venerunt vsq; ad villam, quæ Massora dicitur, quotquot hostium occurrebant gladijs occidentes. Sed tandem Sarraceni, percepto eorum inconsulto processu, resumptis viribus, irruerunt in eos, & vndiq; circumuallantes oppresserunt ipsos. Vbi nostrorum strages non modica Baronum ac militum tam religiosorum quàm aliorum facta est. Ibiq; & Robertus Comes Atrebatensis, frater Ludovvici regis, in manus hostium incidens, temporaliter amissus est. Itaq; die illo, Sarracenis super nostros vndiq; irruentibus, & imbrem sagittarum emittentibus, vsq; ad horam circiter nonam graues illorum sustinuerunt insultus. Tandem deficiente nostris omninò balistariorum subsidio, multisq; illorum vulneratis, & equis eorum pro maiori parte sauciatis, vel occisis, tamen auxiliante Domino cãpum obtinuerunt, suorum viribus recollectis. Ibiq; iuxta Sarracenorum machinas, quas acquisierant, illa die castra sua posuerunt, vbi & die illo pauci numero cum rege moram fecerunt, facto prius de lignis ponte, per quem possent ad ipsos illi, qui erant vltra fluuium, transmeare. In crastino verò plures ex illis de mandato regis transeuntes fluuium, castra metati sunt iuxta ipsum. Et tunc destructis Sarracenorum machinis, licias & pontes nauales fecere, per quos nostri de vno exercitu ad alium liberè transire poterant & securè. Sequenti verò die Veneris Sarraceni, congregatis ex omni parte viribus suis, cum infinita multitudine ad nostrorum licias conuenerunt, & tantos tamq; terribiles insultus, quantos, vt à pluribus dicebatur, nunquam viderant facere Sarracenos, ex omni parte Christiani exercitus fecerunt.

Pugnant secundo Marte.

Caeduntur ob incuriam.

Sustinent denuò irruentẽ hostem fortiter.

Qui-

Quibus tamen nostri restiterunt, ordinata copia bellatorum ex omni exercitus parte, & ipsorum impetus repulerunt, maxima eorum multitudine nostrorum gladijs occumbente.

CAPVT C.

Qualiter in regressu cum exercitu suo captus fuit.

Melechsale aduentus, & in paternum regnũ successio.

POstmodum elapsis aliquot diebus, aduentauit apud Massoram Soldani filius, de Orientis veniens partibus: in cuius aduentu tympanizantes ac lætantes Aegyptij, receperunt illum in Dominum, & ex hoc augmentata est non modicũ fortitudo eorum. Nostris autem postmodum occulto Dei iudicio omnia in contrarium successerunt ipsorum desiderijs, inolente peste diuersarum ægritudinum, & etiam mortalitatis generalis tam in hominibus quàm in equis, ita vt in exercitu vix aliqui essent, qui mortuos suos, vel ægrotantes ad mortem, non plangerent. Vnde pro magna parte diminutus erat Christianus exercitus atq; consumtus, tantus etiam erat defectus victualium apud illos eo tempore, quòd quàm plures inedia deficiebant ac fame. Non enim ad exercitum vasalla naualia de Damiata transire poterant, impedientibus Sarracenorum galeis & vasis piraticis, quæ per terram in prædicto flumine collocauerant, sicq; quàm plurimis vasis nostris prius ab eis in flumine captis, tandem duas successiuè carauennas ceperunt, victualia & alia multa bona ferentes ad exercitum, cæsa multitudine marinariorum & aliorum in totius exercitus detrimentum. Vnde omninò deficiente suffragio victualium & annonæ equorum, cœperunt deficere ferè omnes, in desolationem ac terrorem non modicum incidentes. His igitur incommodis artatos ineuitabilis necessitas illos induxit à loco prædicto recedere, & ad

Christiani peste & fame conflictantur.

partes

partes Damiatæ, si dominus prouidisset, redire. At verò dum quinto die Aprilis essent in itinere reuertendi, Sarraceni cum infinita multitudine Christianum illum exercitum sunt aggressi, acciditq; permissione diuina, fortasse peccatis aliquorum exigentibus, vt præfatus Rex Ludovvicus cum duobus fratribus suis, qui supererant, videlicet Alfonso Pictauensi & Carolo Andegauensi, Comitibus, ac cæteris, qui cum eis redibant, in manus inimicorum, scilicet Sarracenorum, inciderent. Itaq; per terram nemo penitus euasit, sed omnes capti sunt, & carceribus mancipati, non sine magna strage nostrorum, & effusione sanguinis Christiani. Maior etiam pars illorum, quæ reuertebatur per fluuium, similiter fuit capta, vel etiam gladio interfecta, vasellis naualibus vt plurimum similiter dissipatis, in quibus ægrotantium multitudinem dolorosam incendij flamma combussit. Itaq; gens illa sceleratissima præter blasphemias, quas in contumeliam creatoris proferebant in conspectu populi Christiani, crucem quoq; flagellis cædentes in eam spuebant, & in opprobrium fidei Christianæ viriliter pedibus conculcabant.

Ludouici R. & fratrũ captiuitas.

Clades reliquæ multitudinis.

Vecordia Barbarorum in victoria.

CAPVT CI.

Qualiter sub certo pacto à Sarracenis dimissus fuit.

POstea verò per dies aliquot Soldanus regem Ludovvicum de faciendis treugis fecit requiri, petens instanter cum minis & austeritate verborum, vt absq; mora sibi faceret Damiatam cum omnibus rebus, ibidem inuentis, restitui, ac resarciri omnia damna & expensas, quas fecerat vsq; ad tempus illud, à die scilicet quo Damiatam receperant Christiani. Tandem post multos tractatus vsq; ad decennium inita est treuga, sub hac forma, videlicet

Soldani cum Ludouico R. aequissima pacificatio

quòd idem Soldanus Regem & omnes captiuos Christianos, qui capti fuerant à Sarracenis, postquam rex in Aegyptum venerat, nec non & omnes alios, de quibuscunq; partibus oriundos, qui capti fuerant à tempore, quo Soldanus Kyemel, auus eiusdem Soldani, olim cum Imperatore treugas inierat, omnes inquam hos de carcere liberaret, & liberos, vbi vellent, abire permitteret, & quòd terras, quas in regno Hierosolymitano in aduentu regis Christiani tenebant, cum omnibus pertinentijs in pace tenerent. Rex autem tenebatur ei reddere Damiatam, & octo millia Byzantiorum Sarracenicorum pro liberatione captiuorum, & damnis ac expensis prædictis. Insuper etiam liberari Sarracenos omnes, eo tempore in Aegypto captos à Christianis, nec non & illos, qui capti fuerant in regno Hierosolymitano à tempore treugarum, quæ factæ sunt olim inter Imperatorem & Soldanum prædictum. Adiectum est etiam, quòd omnia bona regis mobilia & omnium aliorum, quæ apud Damiatam remanerent, post eius recessum salua forent, ac sub eiusdem Soldani custodia & defensione portanda, quandocunq; oportunitas haberetur, ad terram Christianorum. Omnes etiam Christiani infirmi & alij, qui pro rebus suis, quas illic habebant, vendendis, in Damiata moram traherent, similiter tuti essent sine impedimento vel contradictione quacunq;, recessuri per terram vel mare quando vellent. Et omnibus illis, qui per terram vellent recedere, tenebatur idem Soldanus securum conductum vsq; ad terram Christianorum præstare. Ac cùm huiusmodi treugæ, præstitis iuramentis, hinc inde fuissent firmatæ, iamq; Soldanus cum exercitu suo veniret Damiatam pro complendis omnibus, quæ firmata essent, accidit iudicio diuino, vt quidam Sarraceni milites, non sine conniuentia maioris partis exercitus,

Miserabilis cædes.

irruentes in Soldanum prædictum, surgentem in mane de mensa post prandium, ipsum immaniter vulnerarent, & de suo tentorio exeuntem, vt posset fugæ beneficio liberari, viden-

videntibus ferè omnibus Admiratis, & aliorum Sarracenorum multitudine, frustratim gladijs trucidarent. Quo perpetrato, statim multi Sarracenorum armati venerunt ad regis tentorium in illo furoris calore, ac si vellent in eum & in alios Christianos desæuire. Sed ipsorum furiā diuina clementia mitigante, requisierunt Regem ac suos instanter super firmandis treugis præhibitis, ac festina deliberatione Damiatæ ciuitatis, præmissis tamen quibusdam verborum & comminationum tonitruis. Tandem igitur, sicut Domino placuit, Rex firmauit treugas cum omnibus Admiratis, quas cum Soldano fecerat antea, & ab omnibus & singulis iuxta legem ipsorum super hoc recepit iuramenta, determinatis quoq; certis temporibus, infra quæ hinc inde captiui liberarentur, & Damiata ciuitas redderetur: in cuius redditione & tunc cum eisdem Admiratis, & antea cum Soldano, Christiani ea de causa, non tamen sine difficultate conuenerant, quia de illa retinenda nulla spes erat, sicut certissimè per illos, qui de illa venerant ad ipsos, intellexerant. Propter quod Rex de consilio Baronum potius elegit ac decreuit Christianitati fore consultius, se aliosq; captiuos per huiusmodi treugas liberare, quàm & ciuitatem cum residuo Christiano populo existente in ea taliter amittere, & se aliosq; sub tantis periculis in carcere remanere. Itaq; statuta die ciuitatem Damiatam Admirati receperant; qua recepta, Regem & fratres suos, nec non & alios Barones & milites de regno Franciæ, Hierusalem & Cypri liberauerunt. Ex tunc ergo spem habuit Rex & sui firmam, eo quòd illos liberassent, quod de reddendis omnibus alijs Christianis, secundum treugarum continentiam, iuramenta sua firmiter obseruarent.

Admirati confirmāt pacificatoriam pactionem.

Soluunt vinctos.

CAPVT CII.

De infractione treugarum à Sarracenis.

Ludouico R. discedit ex AEgypto.

HIs ergò peractis, ab Aegypti partibus Rex & alij capti liberati recesserunt, ibiq; certos nuncios ad recipiendos captiuos, & ad custodiam rerum, quas illic dimiserant, eò quòd nauigia non habebant, quæ ad portandum sufficerent, reliquerunt. Postmodum autem in Acon venientes, de captiuis detrahendis sollicitè cogitantes, remiserunt in Aegyptum & alios solennes nuncios, atq; nauigia ad reducendum captiuos & alias res, quas ibi dimiserant, scilicet machinas, arma, tentoria, equos & alia multa. Sed Admirati prædicti à nuncijs nostrorum sibi reddi captiuos, & alia supradicta, iuxta formam treugarum cum instantia postulabant. Sicq; detinuerunt eos diutius in Babylonia spe reddendi omnia, quæ repetebant. Tandem post expectationem diutinam de captiuis omnibus, quos reddere tenebantur, qui plus quàm XII. millia esse firmiter asserebantur inter antiquos & nouos, non liberauerunt nuncijs regis nisi tantummodo CCCC. de quibus etiam pars quædam exiuit è carcere pecunia mediante. De cæteris autem rebus nihil omninò voluerunt reddere, quinetiam, quod detestabilius est, electos iuuenes de Christianis captiuis ducendo ad victimam, sicut oues, appositis gladijs super eorum ceruicibus, à fide Catholica, quantum in eis erat, compellebant apostatare, ac sceleratissimi Machometi legem clamare. Quorum multi quidem imbeciles atq; fragiles, profitendo legem illam detestabilem, à fide exorbitauerunt, cæteri verò vt athletæ fortissimi, constantissimè in ꝓposito fidei persistentes, coronas martyrij receperunt. Adhæc cùm rex Ludovvicus post initas treugas, & liberationem suam, firmam fiduciam haberet, quòd liberatis captiuis terra transmarina, quam Christiani tenebant, vsq; ad tempus, in treugis diffinitum, pacificè

Repetit captiuos & res relictas.

Luditur ab Admiratis.

per-

permaneret, de reditu suo in Franciam disposuerat, ac de nauigio & alijs, passagio necessarijs, tractauerat. Sed manifestè videns, quòd Admirati prædicti apertè contra treugas veniebant, sibiq; & Christianitati contra propria iuramenta illudere non timebant, requisiuit consilia Baronum ac militum religiosiorum, quid sibi esset in euentibus huiusmodi faciendum. Quorum maior pars concorditer asserebat, quòd si eos recedere ad præsens contingeret, prædicta terra in amissionis periculo remaneret, maximè cùm in statu tam debili tamq; miserabili constituta esset, captiui quoq; Christiani, qui ab infidelibus detinebantur, omni spe liberationis sublata, pro perditis reputarentur: at ex illorum mora possent euenire Christianis & terræ illorum aliqua bona, præsertim cùm inter Babylonicos & Soldanum Halapiæ discordia grauis esset exorta, qui scilicet Soldanus exercitibus suis congregatis, Damascum iam ceperat, & quædam castra, sub dominio Babyloniæ constitura, processurus, vt à multis asserebatur, in Aegyptum, ad mortem interfecti Soldani vindicandam, & ad terram illam, si posset, occupandam. His ergo consideratis, Rex, licet ei dissuaderetur à multis, maluit tamen adhuc differre passagium, & morari per aliquod tempus in regno Syriæ, quàm Christi negotium, sic desperatum, & captiuos prædictos, in tantis periculis constitutos, relinquere. Alfonsum verò Pictauensem & Carolum Andegauensem, Comites, videlicet fratres suos, ad reginam matrem suam consolandam duxit in Franciam remittendos.

Consultat cùm suis de reditu.

Bellū Soldani Alapiensis cū Babylonijs

Alfonsius Pictauiēsis.

Carolus Andegauensis.

Acta sunt hæc anno Domini M. CC. L. regni verò Ludouici XXIIII.

FINIS.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

SVperabant fortè chartæ nonnullæ, quæ ne vacuæ distraherentur, supplendas è Baronis Herbersteinij Historia Moschouit. putauimus. Et alter quidem locus pertinet ad mentionem nominis Susdal, quod habet Fragmentum Vincentij, alter ad Tartaros, de quibus vt præcipuè Haythonus agit, ita idem Fragmentum Vincentij non parum eandem historiam illustrat. Tuum fuerit, candide lector, istam operam nostram æqui boniq; facere, & beneuola fruitione auctoris diligentiam & studium, cui Opus, quod in præsenti damus, debetur, non tam excitare quàm confirmare. Nos etiam ad rem litterariã typis nostris iuuandam ornandamq; tam paratos quàm paratissimos cognosces. Vale.

De principatu Susdal.

Pag. 90.

SVsdali principatus, cum eiusdem nominis castro & ciuitate, in qua sedes Episcopalis est, inter Rostovv & Vuolodimeriam situs est. Quo tempore Mosci imperij sedes Vuolodimeria erat, inter præcipuos hic principatus numerabatur, ac reliquarum adiacentium vrbium metropolis erat. Crescente pôst imperio eius, sede Moscovviam translata, Principum secundogenitis est attributus: quorum tandem posteri, ex quibus Basilius Schinski cum nepote ex fratre (qui, dum nos Moscovviæ essemus, adhuc viuebant) per Iohannem Basilij eo sunt exuti. Insigne in ea vrbe Vestalium monasterium est, in quo Solomea, à Basilio repudiata, erat inclusa. Inter omnes Principis Moscovviæ principatus ac prouincias, vbertate soli, rerumq; omnium copia, Resan primas sibi vendicat: secundum hanc sunt, Iaroslavv, Rostovv, Pereaslavv, Susdali, Vuolodimeria: quæ fertilitate terræ proximè accedunt.

De Tartaris. Pag. 93. & seqq.

DE Tartaris, eorumq; origine, præter ea quæ in Annalibus Polonorum, & duobus de Sarmatijs libellis continentur, multi passim multa scripsere: quæ hoc loco repetere, magis tædiosum quàm vtile esset. Quæ autem ipse in Ruthenorum annalibus, multorumq; hominum relatione cognoui, paucis adscribenda censui. Aiunt Moabitenos populos, qui postea Tartari dicti sunt, homines lingua, moribus, habituq; à reliquorum hominũ ritu consuetudineq;

dissidentes, ad fluuium Calka peruenisse: qui vnde venissent, quo religionis dogmate vterentur, omnibus ignotum fuisse. Quanquam à quibusdam Taurimeni, ab alijs Pitzenigi, ab alijs alio nomine appellarentur. Methodius Patanzki Episcopus, ex Ieutriskie desertis inter Septentrionem & Orientem eos processisse dicit, causamq; migrationis talem refert. Gedeonem quendam, primi nominis virum, terrorem ipsis de fine mundi, quem iminere dicebat, quandoq; iniecisse: cuius oratione inducti, ne amplissimæ orbis opes cum mundo simul interirent, innumera cum multitudine ad spoliandas pũincias exiuisse: & quicquid ab Oriente ad Euphratem, sinumq; Persicum continetur, crudeliter diripuisse, atq; ita prouincijs passim vastatis, Polovvtzos gentes, quæ adiunctis sibi Ruthenorum auxiliaribus copijs, solæ occurrere ausæ erant, ad fluuium Calka profligasse, anno mundi 6533. Quo loco autorem libelli de duobus Sarmatijs, de Polovvtzis populis, quos venatores interpretatur, errasse clarum est. Polovvtzi enim campestres dicuntur: nam Pole, campus est: Lovvatz, & Lovvtzi, venatores, adiuncta autem tzi vel ksi syllaba, non mutat significationem: neq; enim ab vltimis, sed primis syllabis significatio deducenda est. Et quod einsmodi Ruthenorum dictionibus syllaba generalis ski adijci solet, ea res homini imposuit: atq; ita Polovvtzi, campestres, & nõ venatores interpretari oportet. Polovvtzos Rutheni Gotthos fuisse perhibent: quorũ tamen sententiæ non accedo. Qui Tartaros describere velit, multas nationes describat necesse est. Nam ex sola secta hoc nomen habent: & diuersæ nationes sunt, longè ab inuicem distantes. Atqui ad institutum

redeo.

redeo. Bathi, Tartarorum rex, magna manu à meridie in Septentrionem egressus, Bulgariam, quæ ad Vuolgam infra Cazan est, occupauit. Anno dein sequenti, qui erat 6745. sequutus victoriam, in Moscovviam vsq; peruenit, vrbem regiam aliquandiu obsessam per deditionem tandem accepit: sed fide, quam dederat, non seruata, omnibus cæsis, vltrà progressus, vicinas prouincias, Vuolodimeriam, Pereaslavv, Rostovv, Susdali, compluraq; castra & oppida, cæsis, aut in seruitutem abductis inhabitatoribus, exussit: Georgium magnum Ducem, instructo exercitu sibi occurrentem, profligauit, & occidit: Basilium item Constantini captiuum secum abduxit, interemitq;. Quæ omnia, vt suprà dictum est, anno mundi 6745. gesta sunt. Ab eo tempore omnes ferè Russiæ principes à Tartaris inaugurabantur, illisq; parebant, vsq; ad Vuitoldum, magnum Lithvvaniæ Ducem, qui prouincias suas, & quæ in Russia occupauerat, à Tartarorum armis fortiter defendit, vicinisq; omnibus terrori fuit. Magni autem Duces Vuolodimeriæ & Moscovviæ, vsq; ad modernum Basilium ducem, semper in præstita semel Tartarorum Principum fide & obedientia permanserunt. Hunc Bathi annales referunt ab Vulaslavv, Hungarorum rege, qui post baptismum Vuladislaus dictus, inq; diuorum numerum relatus est, occisum fuisse in Hungaria. Nam cùm regis sororem, quam in regni depopulatione fortè nactus fuerat, secum abduxisset, Rexq; & sororis pietate, & indignitate rei commotus, hunc insecutus fuisset: impetuq; in Bathi facto, cùm soror arreptis armis, adultero contra fratrem auxilio esset, iratus Rex, sororem vnà cum Bathi adultero interfecit. Gesta sunt hæc anno mundi 6745.

Asbec

Asbec ipsi Bathi in imperio successit, moriturq; anno mundi 6834. Cui filius Zanabeck suffectus est: qui fratribus suis, vt solus sine metu regnaret, occisis, moritur anno 6865. Hunc Berdebeck sequutus, qui fratribus duodecim pariter occisis, obijt 6867. Post quem Alculpa, à Naruss quodam regulo, cum liberis statim ab inito imperio occisus, non vltra mensem imperauit. Ad hunc regnum iam possidentē omnes Principes Russiæ conuenerunt, imperandiq; in sua quisq; prouincia potestate impetrata, abierunt. Occiditur anno 6868. Cui Chidir in regno succedens, à filio Themerhoscha occisus est: qui regno per scelus parto, vix septē diebus potitur. Etenim à Temnick Marnai ejectus, cum vltra Vuolgam fugisset, ab insequētibus militibus occisus est, anno 6869. Post hos Thachamisch imperium adeptus, anno mundi 6890. cum exercitu XXVI. Augusti egressus, Moscovviam ferro igniq; vastauit. Is, à Themirkutlu ꝓfligatus, ad Vuitoldū, magnū Lithvvaniæ Ducē, ꝓfugit. Themirkutlu porrò regno Sarai anno mundi 6906. præfuit, moritur 6909. Cui Schatibeck filius in imperio successit. Post quē Themirassack cùm exercitū maximū in Retzā ad depopulandā Moscovviam duxisset, tantum terrorē principibus Moscovviæ iniecit, vt desperata victoria, abiectis armis, ad diuorum tantùm auxilium confugerent. In Vuolodimeriam statim pro imagine quadam diuæ Mariæ Virginis, quæ multis miraculis editis ibi celebris erat, mittunt: quæ cùm in Moscovviam duceretur, Princeps omni cum multitudine honorificè illi obuiam procedit, eaq; primùm vt hostem auerteret humilimè implorata, maxima veneratione ac reuerentia in ciuitatem deducit. Quo cultu se im-

p etrasse.

petrasse dicunt, quòd Tartari vltra Retzan non fuerint progressi. In cuius rei perpetuam memoriam eò loci, vbi imago expectabatur, susceptaq; fuit, templum exædificatum est: diesq; is, quem Rutheni Stretenne, id est obuiationis diem vocant, XXVI. Augusti quotannis solenniter celebratur. Acta sunt hæc anno *6903*.

Narrant Rutheni, hunc Themirassack obscuro genere natum, ex latrocinijs ad tantum dignitatis gradum peruenisse, furemq; in adoloscentia egregium fuisse, indeq; nomen acquisiuisse. Et quòd aliquando ouem furatus, deprehensusq, à domino ouis, iactu lapidis vehementiore crus illi fractum fuisset, idq; cum ferro quodam colligasset, à ferro & claudicatione nomen sibi inditum fuisse. Themir enim ferrum, Assack claudum significat. Is Constantinopolitanis à Turcis grauiter obsessis, filium suum cum auxiliaribus copijs misit: qui profligatis Turcis, soluta obsidione, ad patrem victor reuersus est, anno *6909*.

Tartari in Hordas diuiduntur, in quibus Savvolhensis horda & celebritate & multitudine primas tenuit: nam reliquæ hordæ omnes ex ea originem traxisse dicuntur. Horda autem illis conuentum, seu multitudinem significat. Quamuis autem quælibet horda peculiare nomen habeat, scilicet Savvolhensium, Præcopensium, Nahaisensium, & aliæ multæ, quæ omnes Mahometani sunt: Turcas tamen se vocari ægrè ferunt, probriq; loco ducunt. Sed Besermani appellari gaudent, eoq; nomine & Turci se appellari volunt &c.

APPEN-

APPENDIX AD EXPOSITIONES Haythoni.

NOndum quod sciam, vel Haythoni nostri commentarius, vel reliqua Orientalis historia interpretem, aut, si mauis, explanatorem reperit. Ac profectò argumentum id tam arduum quàm necessarium esse videtur. Nos pro modulo nostro saltem periculum faciemus, eum beneuoli lectoris studio conatui nostro euentum despondentes, de quo Poëta:

Vt desunt vires, tamen est laudanda voluntas.

Vt vt enim rem non semper acu tetigerimus, secundum Comicum, attamen hoc forsan effectum dederimus, vt exemplo nostro plures incitentur, sicq; tandem & vberiora & meliora proferantur. Id quod singulis, qui possunt, & ab id genus monumentis instructiores sunt, curæ esse, rogatos meo loco etiam atq; etiam volo. Nunc ad Haythonum acccedo.

IN CAPVT I.

De regno Cathay) *Hoc regnum Ptolemao dici volunt Scythiam intra & extra Imaum. Celebrat autem Strabo lib. 15. inter India regiones Catheam, & incolas Catheos, de quibus etiam Arrianus lib. 5. Orosius lib. 3. cap. 19. Inde procul dubio nomen Kathay, quod idem apud Paul. Venetum reperias, seu Kythai, quam enunciationem habet Speculum Vincentij lib. 32. cap. 9. & seq. eandemq; adhuc hodie Moschos obseruare, constat ex Herbersteinij de rebus Moschouit. comment. pag. 89. remansit. Plura de*

ra de moribus Catheorum Strabo ibidem. Memorat tamen Chalcocondyles lib. 3. pag. 80. Cathaiam vrbem magnam & opulentam, quæq; multitudine hominum & diuitiarum copia superet reliquas orientales vrbes præter Samarchandam & Memphim, memorat Chataidas, nationem Tartaricæ stirpis; sed vt de situ variet: collocat enim in Hyrcania. Adhac ab eodem referuntur Chatagia regio & Chatagij populus. Quas quidem appellationes de magno Cham & Cathaynis accipi oportere, docent quæ habet pag. 83. b. Etenim Cathayni regni Ions vrbem in Tartaricis Imperatoribus, qui & magni Cham, Cobila & Tamor regiam delegere, vt Haythonius cap. 19. & 47. Paulus Venetus lib. 1. cap. 65. Adde insuper quæ è Nicolao Veneto de Cathaio (sic enim ab auctore illo nominatur) retulit AEneas Syluius pag. 291.

IN CAPVT II.

De regno Tarsæ) *Tarsa veteribus Gedrosia esse existimatur. De hac Strabo, Plinius & alij.*

IN CAPVT III.

De regno Turquestan) *Annotauit Antonius Geufræus lib. 2. de origine Turcorum, ab auctore nostro traditos regni Turquestani limites planè eosdem esse, quos Strabo & Plinius Parthorum regno attribuissent. Habet & hoc, Turquestanos sonare liberos. Etsi verisimilius est, nomen à Turcis incolis deriuatum: quippe vnde Paulus Venetus lib. 1. cap. 43. eosdem tractus Turciam magnã nuncupârit. Alij tamen regnum Turquestan Arianam, alij Caramaniam, dici putant. Auctor Chronici Hierosol. regnum Corrozan appellare videtur. Id nomen etiam apud Haythonum legitur cap. 15. & 35. Atq; adhuc hodie Turcorum seu Turcomanorum nomen istis in finibus durare, docet Alexander Guagninus pag. 107. b.* Turcomanorum Horda, *inquit,* vltra

Caspi-

Caſpium mare ſita eſt. Eius imperium inter quinq; fratres partitum eſt, quorum qui primas tenet, Azynchan nominatur, reliqui verò Soltani appellantur, in totoq́; imperio ſolummodo quinq; oppida reperiuntur. Incolæ Mahometicam hæreſin amplexantur, viuuntq́; iuxta Nahaycenſium Tartarorum conſuetudinem,& cum Perſarum principe, vulgò Zophi nuncupato, frequentiſſimè bella mouent. *Hæc ille.*

IN CAPVT IIII.

De regno Coraſminorum) *Sunt, qui hoc regno Sogdianam intelligendam exiſtiment: nam ibi Ptolemæus Choraſmios collocauit. Strabo tamen lib. 11. Choraſminos dixit, ſed de ſedibus diſcrepat. Quod ad res geſtas & motus eorum attinet, de ijs Zonaras in hiſtoria MVCHVMETI, Caliphæ Perſidis, & auctor noſter infrà cap. 15. Pertinere ad eoſdem ſuſpicor de fratribus Samiardis locum in Chronico Friſingenſis lib. 7. cap. 33. Nam Haythoni quidem expoſitiones hac in parte perturbatiores ſunt. In primis verò de Choraſminorum bello cum Aladino aqua hæret. Quanquam nodus iſte ita forſan commodiſſimè ſoluitur, vt hanc antiquiorem ſtatuamus, hoc eſt, ad id tempus referamus, quo à Choraſminis Perſia primùm occupata fuit, vt Aladinus Solymani, Soldani Turciæ, aut certè alter eius nominis, Gaiazadini pater, accipiatur, de quo vtroq; infrà: altera verò in Syriam poſterior credatur: quippe quæ in FRIDERICI II. Cæſ. imperium inciderit. Eſt enim illa ipſa, de qua Petri de Vineis epiſtolæ lib. 1. cap. 28. Niſi quòd ibi non Choraſmini, ſed Goheſmini vocantur. Meminit Speculum Vincentij lib. 30. cap. 88. meminere Blondus Decad. 2 lib. 7. & Chronicon Bergomatis ad ann. 1253. ac ille quidem noua nominis deprauatione Groſſoinos, hoc Groſſonos ſeu Gorſſonos appellant. Addantur præterea, quæ habet Antoninus Florentinus Tom. 3. cap. 8. §. 8.*

APPENDIX

IN CAPVT V.

De regno Cumaniæ) *Distincta enunciatione & significatione veteres nomina habent, Comana & Cumania. Nam prius quidem oppidi est, quod Ptolemæus in Pamphylia, Eustathius in Armenia collocauit. Sed & Cappadocia Comana habet, de quibus Cæsar de bello Alexandr. Strabo lib. 12. Plinius lib. 6. cap. 3. Procopius lib. 1. de bello Persico. Et Nicephorus Callist. lib. 13. cap. 37. inde Comanenos, l. Quum antea C. de agris & censit. lib. 11. Comanenses dixere. Alterum Cumania eidem Plinio lib. 6. cap. 11. Castellum est citra portas Caucaseas, quas perperam vulgò Caspias vocari ait, communitas ad arcendas transitu gentes innumeras. Quæ autem nostro auctori Cumania est, aliis Comania dicitur. Ac mirum, quàm recentiores nonnulli se torqueant, quæ appellatione ista terra censenda. Nam Sabellicus à seipso dissentiens, alibi Comanorum nomine Cappadocas, alibi Colchos, Iberos & Albanos accipit. Eandem opinionem Moletius sequitur. Cùm Leo Afer Cumaniam simpliciter Circassiam accipiat, alij verò Chamanenem, quæ Straboni Pontica Cappadociæ pars est, alij Ponti oram supra Cappadociam, in qua Gregoras lib. 1. pag. 7. gentes collocauit: Zinchos, Abasgos (fortè Alanos) Gotthos, Hamaxobios, Tauroscythas & Borysthenitas, moxq; addit: Mysiam ad Istri ostia tenere, qui Hunni & Comani vocentur: vt Comanorum nomen non καθολικὸν sed μερικὸν faciat. Verùm omnem dubitationem tollit Vincentij Beluacensis fragmentum: itaq; eò lectorem remittimus. Vt etiam Cumani, & quas diximus, finitimæ gentes finibus à Tartaris pulsi, Istrum transmiserint, & aliquantisper in Thracia oberrârint, donec Andronici Paleologi militiæ asscripti, & in colonias traducti fuere, Gregoras eodem loco, quem antè citauimus, docet. Constat quoque tum Cumanos in Vngariam progressos (qui volet, simul alios legat, simul Bonfinium lib. 8. & 10. adiunganturq; quæ noster habet au-*

bet au-

bet auctor cap. 21. Mechouius lib. 1. cap. 9.) & cùm tandem hostiliter haberentur, ad Tartaros rediisse. Idem post defectionem ab Andronico facturos Alanos, Turci oppressere. Interim tamen est, quod de Gotthis ἐποχὴν relinquat. Certum enim est, eos sedes suas retinuisse. Et rectè quodammodo idem de Zinchis affirmauerimus. Quæ res vt euidentior fieret, de duabus gentibus hisce paulò plenius explicare visum fuit. Gotthi, eorum Gotthorum, qui in Italia, Gallia, Hispania latè imperârunt, pars sunt. Nam vbi hi assumtis nouis Ostgotthorum & VVestgotthorum appellationibus in coloniam iuere, illi in prima patria mansere, & Gotthiæ, quæ Tauricæ pars australior est, nomen dedere. Etenim altera septentrionalior de Hunnis Gazaris, Gazaria dici cœpit, nunc Tartarorum Vlanorum, seu Pracopitarum, sedes. Meminit autem Gotthorum Tauricorum Nicephorus Callisti lib. 17. cap. 13. & plurimas in Thraciam eos excursiones fecisse, ait, meminit Pachymerius lib. 5. Eosdem à Sarmatis Polucios cognominatos, Mechouius scripsit. Etsi quam eius nominis notionem subiungit, rectè reiicit Baro Herbersteinius de rebus Moschouit. pag. 93. Interpretatur enim campestres, non venatores, quòd Pole Sarmatica lingua campus, Louczi venatores dicantur: Cùm non ab vltimis, sed primis syllabis significationes peti soleant. E Soldanis Turcicis Othomanæ familiæ primus Gotthiam classe tentauit AMVRATHES II. vt Chalcocondyles lib. 6. Filius & successor MAHOMETES II. inuitatus principum Gotthiæ fratrum discordia, cùm minor natu maiorem interfecisset, ad eum debellandum vnum de Beglerbeiis cum copiis amandauit. Cui etsi Gotthus salutem pactus sese sponte dedidit, tamen Mahometis iussu securi percutitur, & Gotthia in prouinciam redigitur. Nec excutere hactenus gens hæc seruitutis barbaricæ iugum potuit. Nisi quòd planè ἀξιομνημόνευτον καὶ ἐξαίρετον, quod legimus apud Iodocum Ludouicum Decium, rerum Polonic. scriptorem, adhuc suo tempore (floruit autem circa annum Christi 1516.) Gotthos Tau-

rica populum armis ferocem, & contra Tartaricos insultus finitimis præsidio fuisse. Adde his, quæ habet Mechouius lib. 1. cap. 11. & 16. item Pyrcamerus in Germania sua. Estq; æquè notabilis narratio, quam ex eiusdem Pyrcameri sermonibus inseruit Silesiæ annalibus suis Ioachimus Curæus pag. 41. Testatur enim de vera, id est Germanica Gotthorum lingua. In eandem sententiam disserit Petrus Bizarus lib. 1. rerū Persicarum pag. 37. Et optandum esset, etiam Ouidij Poëtæ librum extare, quem 4. de Ponto sermone Getico, seu Gotthico (nam nomina ista, enunciatione variata, gentis unius esse, alibi demonstrauimus) se conscripsisse profitetur. Zinchi, dubito, an Gregoræ Cercitæ sint. Veteres quidem utrunq; nomen, sed de gentibus diuersis habent. Magis tamen in sententiam illam inclinatione propendeo: fortè quòd Cercitæ in fines eorum successerint. Videntur enim iidem Zinchi ijdem esse, quos in eadem ora Procopius Zechos nominauit. Quod ipsum nouam coniecturam parit, Boiemicos Zechos inde oriundos fuisse. Cæterum Cercitæ post CIRCASSI dicti fuere, nempe ea dialecto & forma, qua qui Atticis Thettali & Molotti vocantur, reliquis Græcis sunt Thessali & Molossi, & in Germanica lingua Hassi seu Hessi nunc creduntur, qui olim Chatti. Scimusq; nomen Circassi hodie etiamnum durare. De sedibus eorum ita Baro Herbersteinius pag. 108. Circa Mæotidis paludes & Pontum, ad fluuium Cupa, qui paludes influit, Aphgasi populi sunt, quò loci vsq; ad Merulam fluuium, qui Pontum illabitur, montes occurrunt, quos CIRCASSI, seu Ciki incolunt. Hi montium asperitate freti, nec Turcis nec Tartaris parent. Eos tamen Christianos esse, suis legibus viuere, in ritu & cæremonijs cum Græcis conuenire, lingua Slauonica (qua vtuntur) sacra peragere, Rutheni testantur. *Hæc ille. Cum quibus præterea coniungantur, quæ Mechouius disserit lib. 1. cap. 7. &*

iterum

iteruidi lib. 2. cap. 1. Item Alexander Guaguinus pag. 108. Est & hoc de Circassis memorabile, quòd vti principiò, seu post extinctam Syraconi familiam, Soldani AEgypti è Mamaluchis Cumanis lecti fuere, ita posterioribus temporibus idem ordo, eademq́ dignitas, ferè Circassis cessit. Nam quòd Leo Afer historiam illam, Cumanorum mentione omissa, ad solos Circassos restrinxit, ab eo non immeritò discesserimus, vti itidem suprà Circassia nomen perperam ab eo vsurpatum, ostendimus. Atq; hîc de gentibus istis duabus expositio nostra desinat. Redeo ergo ad Cumanos. Qui vt saluа adhuc libertate Imperatoribus Byzantinis militârint, testatur Chronicon Hierosol. Et habet ea de re plura in idem Chronicon Appendix nostra. Iidem sese cum Blachis, seu VValachis coniunxere, Isaacio & Alexio, Angelis, imperantibus, vt Nicetas pag. 49. & 59. Pulsi à Tartaris, atq; vti diximus, Andronici Paleol. militiæ ascripti, cùm alia flagitiosè patrârunt, tùm nullum sacrilegij genus omisere, vt Gregoras lib. 3. Cætera ad hanc gentem pertinentia exponit auctor noster cap. 52. & in idem Appendix nostra.

IN CAPVT VI.

De regno Indiæ) *Veterem Indiam diligenter veteres Geographi & pleriq; Historici descripsere, neq; ipsi* ἐπὶ βάλλον μέγα *nostrum desiderari suo loco patiemur. De recenti quoq; diuersa diuersorum extant commentationes. Inprimis verò notandum venit, quod de* IOHANNIS PRESBYTERI *in India regno, & Tartarorum ab eo defectione, & Pauli Veneti Itinerario & Speculo Vincentij traditur. Nec minus operæprecium fecit Garcias ab Horto Lusitanus in historia aromatum &c. cuius in Latinam linguam versionem Carolo Clusio Atrebati debemus. Itaq; locum illum totum ex lib. 2. cap. vlt. hîc asscribemus.* Elapsi sunt, *inquit*, circiter trecenti anni, quòd potens quidam

Rex

Rex in regno Delij magnam illius Indiæ, quæ intra Gangem est, partem occupauit, & regnum Balaguate, siue Balagate, quibusdam Regulis gentilibus ademit. Eodem tempore tyrannidem in Cambaija occupârunt quidam Mauritani, expulsis legitimis dominis Gentilibus, quos REISBVTOS vocant.

A REGVLIS Balaguate originem ducere creduntur, quos nunc Venezaras appellant, tum alij hanc regionem incolentes, Colles nuncupati. Sed tum hi, tum quos Reisbutos vocant, præda & latrocinijs vitam in hunc vsq; diem sustentant. Illis totum regnum Decan, his, Reisbutis scilicet Cambaija regnum tributum pendent, vt ab eorum incursionibus se redimant. Nec hactenus à vicinis regibus domari potuerunt: nam strenui sunt & militares viri. Sed etiam ipsi Reges pecuniarum auidi, illos impunè grassari sinunt, modò prædæ partem auferant. Est verò hoc regnum Delij procul in continenti situm Septentrionem versus, & Corasone vsq; extenditur. Frigida admodum est regio, niuibus & gelu per hyemem non minus diuexata, quàm nostra Europa. Hoc regnum occupârunt, elapsi sunt triginta amplius anni, Mogores, quos Tartaros nuncupamus. Sed aliquanto pòst tempore Tartaris ademptum est idem regnum ab vno Equite, qui infensus Regi Bengala, quòd eius fratrem occidisset, seditionem aduersus Regem mouit, eoq; trucidato regnum Delij, aliaq; multa regna occupauit, ita vt omnium sui temporis potentissimus Rex fuerit existimatus. Nam à viris fide dignis accepi, eius ditionem octingentas leucas ambitu occupasse. Erat hic Eques initiò dominus montium quorundam vicinorum re-

rum regno Bengala, vocatusq; fuit Xaholam, id est, Rex mundi. De huius gestis maior historia conscribi posset, quàm de magno Tamirhan, quem nos corrupto nomine Tamberlanem vocamus, nonnulli Tamirlangue, idq; melius, quòd Tamir proprium eius nomen fuerit, & langue claudum significet, quemadmodum ipse erat.

Cæterum cùm hic Rex Xaholam occupasset Decam & Cuncam, nec posset tantum imperium continere, redijt ad sua: & his postremò occupatis regnis suum consobrinum præfecit.

Delectatus est semper eius consobrinus peregrinis nationibus, vt sunt Turci, qui propriè sunt Asiæ minoris incolæ, quam nunc Natoliam appellant: Rumes, qui Thraces sunt, Corasones, quos nonnulli Arios putant, & Arabes.

Diuisit autem regnum in prouincias, quibus præfectos dedit. Maritamiam eam regionem, quæ ab Angediua vsq; ad Cifardam per sexaginta leucas extenditur, deinde interiori regione cum alijs terminatur prouincijs, gubernandam dedit Adelham, quem nos Idalcam appellamus. Ei prouinciæ, quæ à Cifardam vsq; ad Negatona extenditur per viginti leucas, interiori verò regione alijs prouincijs, & Cambaija iungitur, præfecit Nizamaluco.

Hi solùm duo præfecturam obtinuerunt in Cuncam, qui tractus est maritimus vsq; ad montem Guate appellatum. Latè patet hic mons, & multis locis præaltus est, illud autem mirum, eius fastigium in pulcherrimam planiciem desinere. Et quoniam lingua Persica Bala fastigium significat, Guate verò montem, vasta illa vltra eum

montem prouincia, nomen Balaguate inuenit, quasi dicas supra montanam vel vltra montanam.

Balaguate igitur prouinciæ præfecti sunt Imademaluco, quem nos Madremaluco appellamus, & Cotalmaluco, & Verido.

Erant verò omnes isti præfecti, peregrini natione, præter Nizamaluco, quem ex Decan oriundum prædicant, & filium esse vnius Tocha, Regis Daquem, cum cuius vxore stupri consuetudinem habuerit Rex Daquem. Hinc fit, vt Nizamaluco ex regia stirpe se prognatum prædicet: reliquos verò præfectos Regis esse seruos & regia pecunia emptos.

Successu verò temporis factum est, vt hos omnes præfectos tæderet obsequij regij. Coniuratione itaque inter se facta, prouincias, quibus præfecti erant, singuli sibi occupârunt, & captum regem Daquem, in Beder primaria regni Decam vrbe, Verido, vni ex præfectis, custodiendum dederunt.

Huius coniurationis etiam participes fuerunt Gentiles quidam, veluti Mohadum Coia & Veriche, quibus cesserunt regiones amplæ cum aliquot opulentis vrbibus: videlicet Mohadum, vrbs Visapor, quæ nunc est regia Idalcam, & Solapor, & Paramda, quas postea illi ademit Nizamaluco. Veriche suam prouinciam retinuit.

Proauus eius Adelham, qui nunc viuit, vnus è coniuratoribus fuit, natione Turcus: mortuus est anno 535, supra millesimum. Valde potens is semper fuit: at ei bis ademerunt Lusitani ciuitatem Goa, quæ ducentis leucis ab ostiis fluminis Indi, quem incolæ Diu vocant, abest.

Auus eius Nizamaluco, qui nunc rerum potitur (meminit

minit huius lib. 1. cap. 17. & in Andanager, totius regni Decam vrbe primaria, regiam habuisse ait, tum hortos eius prædicat, omni peregrinarum arborum, etiam nostratium genere excultissimos: item eodem lib. 1. cap. 31. vbi regem potentissimum nominat, quiq; propter mediocrem doctrinam semper apud se eruditos Medicos alat cùm Persas tum Turcos magnis stipendijs) pater illius mei amici, quem aliquoties curaui, à quo plus duodecies mille pardaons accepi, &, si aliquot mensibus singulis annis apud eum hærere vellem, in stipendium annuum offerebat quadraginta millia, quod accipere nolui: obijt anno 9. supra millesimum & quingentesimum. Hic erat, vt suprà dixi, ex Decam.

Imademaluco, vel Madremaluco, natione Circassius fuit initiò Christianus: mortuus is est anno 1546.

Cotalmaluco, natione Corasone: mortuus est anno quadragesimo octauo supra millesimum & quingentesimum.

Verido, natione Hungarus, & initiò Christianus, anno millesimo quingentesimo & decimo mortuus est.

Cæterùm antequàm ad horum nominum interpretationem accedamus, quædam præmittere lubet huic nostro proposito deseruientia.

Rao lingua indigena Regem significat: Naique verò Tribunum militum, aut Capitaneum vulgò vocatum. Admittentibus ergo his regibus aliquem Gentilem indigenam in suum famulitium & ministerium, si exiguo honore illum censent, proprio eius nomini vocabulum Naique adnectere solent, vt Saluenaique, Acemnaique: Si verò multo honore dignum censent, Rao vocabulum

adijciunt, vt Chitarao. Sed Rao ſimpliciter & ſine additione prolatum, Regem Bisnager per excellentiam ſignificat, qui olim certè ab Adelham multum diuexatus eſt: nunc verò reliquis totius Decam regulis potentior eſt, & ab eis fidelitatem accipit.

Sed vt ad rem redeamus, Adel lingua Perſica iuſticiam ſignificat: Ham verò apud Tartaros Regem ſonat: & quoniam eos, quibus fauent, Ham vocant: hinc factum eſt, vt Adelham, quaſi Rex iuſtus dictus ſit, cùm ipſe & eius ſimiles iuſticiam haud quaquam coluerint. Hunc Hiſpani Sabayo appellant, quoniam, vt intelligo, Arabica & Perſica lingua Saibo Dominum ſonat, quo nomine per excellentiam vocatur.

Maluco regnum ſonat, & Neza lanceam lingua Perſica: hinc dictus eſt Nizamaluco, quaſi lancea regni.

Sic Cota idem eſt Arabibus, quod arx Latinis: hinc Cotalmaluco, id eſt arx regni.

Imad eadem lingua ſolium ſonat: hinc Imadmaluco, id eſt ſolium regni.

Verido conſeruationem ſignificat: hinc Melique Verido, quaſi dicas regem conſeruationis. Siquidem à nonnullis vocati ſunt hi Præfecti non Maluci, ſed Meliques, quaſi dicas Regulos. Sed nec maluco propriè regnum ſignificat, ſed regionem aut prouinciam.

Porrò quoniam Nizamaluco interdum à me Nizamoxa appellatur, huius vocabuli ſignificationem prætermittendam eſſe non duco. Xaiſmaël, pater eius Xatamas, qui nunc rerum in Perſia potitur, ex humili genere euectus eſt in ſummum Imperatorem: & controuerſiam cum Turcorum Imperatore habuit ſuper ſua religione.

Is omni-

Is omnibus vicinis regionibus, quæ eius religionem excipere non vellent, cruentum intulit bellum. Huic succedens filius Xatamas, idem mandatum dedit Regulis regionis Decam: & eos titulo Xa, quod Regem Persica lingua sonat, decorauit. Hinc factum est, vt nunc Adelxa, Nizamoxa, Cotumixa appellentur, nomenq; regium saltem retineant: tametsi monetam cudendi facultatem non habeant, nisi æream. Huius religionem amplexus est Nizamoxa: at reliqui Reguli post Legati eius abitum eam reiecerunt.

Hunc Xaismaël appellârunt etiam Turci Sofij: quoniam sui exercitus Imperatorem virum strenuum habuit nomine Sufi.

Sunt qui Xeque non Xa dicendum putent: sed errant. Nam tametsi Xeque dignitatis sit nomen, quippe Xeque senem significat (vnde dicuntur Xeques Arabes) tamen Xa Ismaël dicendum est. *Hactenus Garcias.*

IN CAPVT VII.

De regno Persarum) *Persiam, quæ & Persis, hodie Pharsic, Turcis Queselbach, id est rubra capita, nempe à Sophianâ secta, dici, scripsit Antonius Geufræus, populos subiectos vno nomine Agiamios, Iouius lib. 33. pag. 582. Nam Chalcocondyles in fine lib. 3. de eodem nomine varians, Arzamios appellat. Nota autem veteris Persici regni potentia: quippe quo secunda Monarchia, quemadmodum vocant, censeatur. Eo destructo, Persæ primum Macedonibus, deinde Parthis seruierunt: donec & his euersis, ARTAXERXES quidam regnum ad Persas reduxit, & possidendum familiæ suæ reliquit. Eam rursus SARRACENI magis debilitârunt quàm oppresserunt. Mansisse enim sequentibus eti-*

bus etiam temporibus, è Cedreno constat. Sarracenos, debellato & caso MVCHVMETO Calipha, TVRCI excussere. Estq́ hinc, vt tam apud Græcos quàm apud nostros scriptores gens ista sæpè Persarum nomine veniat. Tandem Turcorum potentia BELCHIAROCI morte dissoluta, Persidem ARMENII & GEORGIANI communibus viribus inuaserunt, & Barbaros inde penitus depulerunt; vt auctor noster cap. 15. Ergo vacuam CORASMINI occupârunt, & vsq; ad Tartaricas irruptiones possederunt. Tum enim eiectis illis Persiden HAOLONVS subegit. Ac retinuit deinde posteritas eius vsq; ad TAMERLANIS bella. Huic enim Persis quoq; cessit, idq;, vt alibi dicemus, per matrimonium. Nepos TZOKIES, seu Zenzas, victus & casus ab VSSVMCASSANE, eundem successorem habuit. Nisi quòd hîc inserit, & Vssumcassani quasi præmittit, GEORGIVM, regem Christianæ professionis, AEneas Syluius. De cuius confœderatione cum Dauide, Imp. Trapezuntio, & aliis per Orientem Christianis Principibus, tum de legatione ad Papam & Ducem Burgund. idem AEneas Syluius pag. 848. & seq. quatuor. Ac profectò hærere ista in parte aqua videtur. Nobis etsi multa in mentem veniebant, nihil tamen definimus: malumusq; indicatione nostra lectoris philohistoris studium, vt ex aliorum monumentis, quibus ipsi in præsenti deficiebamur, inuestiganda & cognoscenda omnia existimet, excitare, quàm coniecturarum nostrarum inculcatione vel remorari vel distinere. Redeo igitur ad Vssumcassanem. Ab huius posteris rursus in SOPHIANAM familiam, quæ iam rerum potitur, Persis deuoluta est. Cæterùm priscum illud Persarum regnum, quæq; deinde à Macedonibus & Parthis condita fuere, alibi dedimus. Nec suo loco ARTAXERXIS domum prætermittemus. Etiam infrà persequemur Sarracenicum, Turcicum & Tartaricum regnum. Tantum ergò ASSIMBEIA familia (nam ea Vssumcassanes editus fuit) item SOPHIANA nobis restant. Tradunt autem scriptores magno con-

gno consensu, Assimbeam Turcicæ originis esse, & ipsum SCENDEREM, in quo Chalcocondyles principium fecit, alij Assambecum, id est Assam Dominum, vocârunt: nec alterum nomen (Assimbeij) aliter ab eo, quàm enunciationis diuersitate discernendum. De SOPHIANA aliquantum variatur. Qua de re ἀκριβολογεῖσθαι modò noluimus, satisq́ nobis visum fuit, si Ioannis Barrij ex Asiæ decadibus sententiam, quam & Cælius Augustinus & Petrus Bizarus rerum Persicarum lib. 9. pag. 295. (nam superioribus libris variat) sequuntur, recitaremus, sic tamen vt ex alijs de HISMAELE Sopho & posteris attexeremus, quæ attexi rectè posse videbantur. Quare iam de vtriusq́ familiæ stemmate expositio procedat.

FAMILIA ASSIMBEIA.

SCENDER, alijs de familia ASSAMBECVS, barbarorum Asiam incolentium longè fortissimus, nec vlli mortalium rei militaris scientia, corporisq́ robore & audacia inferior, vt Chalcocondyles, fecit bellum Armenijs, regnante tum LIVONO altero, idq́ regnum totum subegit, vt Basilius Heroldus. Deinde BAIAZETHIS I. Soldani Turcici armis oppugnatus, amisit Arsengam regiam, & alter è filijs in hostis potestatem peruenit. Ad extremum domesticis insidijs opprimitur: nam cùm grauiter ab vxore dissideret, illa stipatoribus auro corruptis, comprehensum necat, & regni administrationem sibi vsurpat. Vide Chalcocondylem libro 2.

|

Carailuces (nam id nomen retinemus è Dauidis, Imp. Trapezunt. & Gorgoræ, Ducis Georgianæ, ad Ducem Burgund. epistolis, expositis ab AEnea Syluio pag. 849. & seq. cùm Basilius Heroldus Chasanem nuncupet) fertur à patris calamitate TAMERLANIS castra secutus fuisse, eumq́ cum ca-

cum ca-

cum cæteris Turcicis regulis ad bellum BAIAZETHI I. inferendum inflammasse. Quæri possit, natusne eo censeri debeat Tezetines, de quo Chalcocondyles lib. 5. pag. 91.b. Nam vrbs, quam ibi auctor is nunc Ertzingam, nunc Artzinganim vocat, alijs est Arsenga.

|

CHASANES, cognomento Longus, vt Chalcocondyles lib. 3. Aßimbeius cognomento Sumcaßianus, vt Chronicon Bergomatis, VSSVMCASSANES cognomento Magnus, vt Iouius, Assambech, vt AEneas Syluius, recuperat Tartarorum ope Arsengam, & mox reliquam Armeniam adijcit. Adortus etiam Tzapnidas, seu Tzanos, (hi Colchidis loca vsq; ad Amastrim vrbē tenebant, vt idem Chalcocondyl. lib. 2. suntq; Procopio & Agathia Zani, Christiani quidem sed barbari) eos quoq; edomat, & primùm cum IOHANNE, rege Trapezuntio, deinde cū fratre eius et successore, DAVIDE, societatem et affinitatē iungit, â Dauide Iohannis filia vxore honoratus. Quare hoc successu TZOKII, nepoti TAMERLANIS, suspectus factus, et dū legatos eius minus benignè habet, bello ab eo petitus, gemino prælio superior discedit, & ipso Tzokie cæso, regna eius, hoc est Persidem & alia sibi vendicat Pòst cùm pro Dauide rege apud MAHOMETEM II. Imp. Turcicum intercederet, illi exitium, sibi bellum attrahit: in quo primum victor, deinde iterato certamine tormentorum vi in fugam vertitur, Moritur anno ætatis 78. regni 40. Quem de Chasane hoc AEneas Syluius scrupulū inijciat, de ijs auctoris huius expositionibus cognoscere & discutere lectorē malumus, quas habet pag. 848. et seqq. quatuor. Vxor ei fuit CATHARINA, Iouio Despina, Iohannis, regis Trapezuntij, vt diximus, filia: liberi

|

♂

Zeina-

♂

Zeinales, militauit patri contra MAHOMETEM II. in eoq; bello audacius se periculis obijciēs, perit.

Vngher Maumet, euasit cum patre è prælio aduersus Mahometem II. Fraude Curdorum (de gente hac agemus, cap. 8.) ad defectionē perductus, sed mox ab ijsdē desertus, primùm ad BAIAZETHEM, Mahometis F. deinde ad ipsum Mahometem profugit: Cuius opera Sanga regione potitus, & aliquanto pòst patri proditus, crudeliter perimitur. Bizaro de reb. Persic. pag. 327. & seq. Meminit Chronicon Bergomatis lib. 15. & seq. sed vt prorsus variet. De prodito eo historia similis est ea, quā de Mermeroë habet Agathias pag. 488.

Calul, interimitur eadem nocte à IACVPPO fratre, qua nocte pater vita defunctus est. Bizarus ibid. pag. 329.

IACVPPVS, cognomento Chiorzeynal, id est Strabo, excipit parricidio patris regnum, vicissim vxoris venenata potione extinctus, anno Christi 1485. regni 7. Cæteras eius res gestas persequitur Iouius lib. 13. item Bizarus lib. 10.

Martha, collocatur à patre Aidari, cognomento Harduelli, mater HISMAELIS Sophi.

Aluantes — *Moratchamus.*

A patris morte inter se de regno armis contendentes, opprimuntur ab HISMAELE Sopho, Aluante in prælio cæso, Moratchamo fugato in Arabiam. Vide Iouium. Variat Cælius Augustinus et Aluantem Rocenum, Moratchamum Marabecum nominat, nec ad Arabas, sed ad SELYMVM I. Imp. Turcicum, fugisse, ait. Aliter etiam de Moratchamo Maierius, aliter de tota IACVPPI successorum historia Bizarus ibidem.

FAMILIA SOPHIANA.

HALIS, Calipha, & noua Syarum secta auctor. De hoc inter Caliphas Syriacos.

HOCEMVS, & ipse Calipha. Reliquit filios duodecim: inter quos præcipui

Cazinus Musa, propagauit familiam, à qua Sophianorum gentilitas orta existimatur. Ea seculis aliquot intercisa sic se habet.

Mahometes Mabadinus.

* * *

SOPHVS, Persidis regulus, tenuit Ardenelim oppidum: & quia ab HALI genus repetebat, etiam sectam eius resuscitare cœpit. Vide Persicam Bizari historiam lib. 10.

Guines, paterni dogmatis sectator, ea sanctimonia fama claruit, vt TAMERLANES, rex Tartarorum, eum inuiserit, & triginta millibus captiuorum donârit.

Secaidar, Geufrao Seich Aider, Iouio Aidar, cognomento HARDVELLES, nempe ab oppido eius nominis, Tauristo trium dierum itinere distante, quod cum imperio obtinebat, bello & religione æquè clarus, interficitur à IACVPPO affine, vt idem Iouius: nam vt alij varient, consule Bizari Persicam historiam lib. 10. Vxor Martha, VSSVMCASSANIS F. vnde secundum Cal. Augustin. nati

HISMAEL I. à rerum gestarum magnitudine cognominatus Magnus, vt Iouius, à religione SOPHVS, à secta

Solymanus

cta Syach, à capitis tegumento Cuselbas & Etnazerj, vt Maierius. Historiam eius copiosissimè & splendidissimè Iouius descripsit, verius tamen forsan eo libello Maierius, quem è Gallico sermone superioribus annis Latinum fecit Ludouicus Camerarius. Tradidit autem idem Iouius lib. 13. regnū Persarum primùm Hismaëlem inuasisse anno Christi 1499. & lib. 33. vita annos tantùm 44. expleuisse.

TAMASVS, Busbequio Sagthamas, alijs Thaamas seu Thomas, declaratur à patre successor ea lege, vt Perside, Armenia & prouincijs Oceano proximis contentus, caeterorū regnorū praefecturas fratribus permitteret. Anno Christi 1535. id est, cùm iam in nonum annum regnasset, vt Iouius lib. 33. graui à SOLYMANO, Imp. Turcico, bello petitur, exutus tum Babylonia & Mesopotamia, et ipsa regia Taurisio direpta. Sed mox inter vtrunq; pace reconciliata, eam deinde, vt alij, dubia fide, vt alij, constanter obseruat, et cum successoribus quoq;, SELYMO II. & AMVRATE III. colere pergit. Nam vitam produxit vsq; ad annum Christi 1575. regni 49. aetatis 68. De eius ingenio, rebus gestis, regni statu, praeclarè Petrus Bizarus. Idem redituum eius annuorum summam nominauit tricies centena millia nummum aureorum. Liberi ei nati quatuor, vt Itinerarium Rauwolfi, quod & de nomine tam ipsius quā liberorū variat, 14. in ijsq; mares vndecim, foeminae tres, vt alij. Nos, quae apud Bizarū extant, nomina et res gestas excerpem9.

Elcasus, honoratur praefectura Assyria & Mesopotamia. Pòst à Tammaso alienatus, profugit ad SOLYMANVM, Imp. Turcicum: ab eoq; deditus, vsq; ad vitae finem in custodia habetur.

Becramus, creuit Mediam, et post Elcasi fugam Assyriam adiecit, non multo pòst vita defunctus.

Somirza, accipit è fraterna sortitione Parthiā.

II

MVHEMET, cognomento Hodabendus, seu Cudabendus, id est Adeodatus, patre viuente degit in regno Corrozano, ductaq; ibi reguli filia, tres inde filios procreat. A morte patris, regni successionem, procerum studio delatam, repudiat. Iterum de ea ab HISMAELIS fratris interitu solicitatus, etsi grauatè tandem tamen suscipit. De parricidio eius in fratres, & bello contra Turcos, quod inchoatum anno Christi 1577. etiamnum durat, legatur Petri Bizari historia Persica lib. 11. & extat alia, vt succincta, ita exquisita de eodem argumento HENRICI PORSII narratio.

HISMAEL II. æquè consilio ac manu promptus, belliq; appetentissimus, patre adhuc superstite Turcos ter inuadit, et maxima clade afficit. Quare affectati regni patri accusatus, custodiæ traditur. Eodẽ vita defuncto, cùm Muhemet frater regnum delatum aspernaretur, ipse è custodia dimissus id suscipit. Quod dum gerit impotentius, cùm alia flagitia perpetrat, tum fratrũ vnum veneno necat. Ergo in odiũ vocatus, sororis, fratrũ & procerum conspiratione ipse quoq; veneno tollitur, anno regni secundo.

Caidar Mi-
rises, patri pba.
admodũ acceptus, fertur Historiæ cognitionem, cæteraq; doctrinarum studia, inprimis verò quæ ad politicam gubernationem spectant, plurimùm coluisse. Itaq; regni successor à patre designatus, procerũ malitia impeditur, & ab HISMAELE fratre vita expellitur.

Musta-
nus.

Mirca

Genuitus Mirises, occupat, et iisdẽ artibus amittit Laiganum, Gilani regni propugnaculum.

Emircanus Camises, fratrum natu maximus, vixit in TAMMASI aui aula, ob egregias animi corporisq; dotes illi longè carissimus. Patre ad regnum euecto, belli contra Turcos ab eo imperator declaratur.

IN CAPVT VIII.

De regno Medorum) *Priscum Medorum regnum, regiamq́; ARBACIS familiam, Syntagmate nostro enucleauimus. Habet idem alterum in minore Media ab Atropato conditum, indeq́; nouo Atropatenes nomine celebratum, atq; ad Romanam Monarchiam vsq; continuatum. Tum enim ARIOBARZANE pulso, regnum hoc Arsacidis, seu regibus Parthorum, cessit: cùm ex ijsdem maiorem Mediam iam antè MITHRADATES I. subegisset. Mansit ergo exinde Media in Arsacidarum fide, & eandem postmodo seruitutem sub ARTAXERXIS familia dominatu seruijt. Quam cùm rursus Sarraceni fregissent, sed interior Persis, quæ alijs CorroZan est, libertatem ab eo hoste defendisset, exemplum istud Medos quoq; animauit. Primùm enim SENACHERIMVM principem ditionem suam BASILIO II. Imp. qui de Bulgaria deuicta* βελγαρόκτονος *cognominatus fuit, permisisse, & remunerationis loco Patricium & Cappadociæ Ducem creatum, tum Sebastia, Larissa, Abara vrbibus, nec non prædijs plurimis, donatum fuisse, apud Cedrenum legimus. Etsi Paulus Diac. histor. miscell. pag. 623. meminit, sub Iustiniano II. Mediam à Leontio receptam. Id quod de parte accipimus, vt & eum Cedreni locum, quo Mediam MVCHVMETO, Calipha Persarum, paruisse, ait, cùm ex eodem certum sit, & antè & post hoc tempus prouinciam illam ByZantio præfectos accepisse. Vbi CHORASMINI in Persidem infusi fuere, etiam Mediam eis cessisse, alibi ostendimus. Et effloruere ibi CORDI seu CORDINI, vt noster auctor cùm hoc cap. tum 34. & 52. gens Turcica. Sic enim è Leone Afro ratiocinamur: qui cùm SALADINVM à Cordis propaget, tamen Turcicam linguam ei propriam fuisse scribit. Et disertè de Syracono Tyrius suffragatur lib. 20. cap. 12. Nec repugnârim, si cui suspicari libeat, vt in sedes, sic & in nomen veterum Corduenorum nouos colonos Turcos successisse.*

 Nam il-

Nam illos quidem inter Mediæ gentes Plinius memorat, & Paul. Diac. histor. miscel. lib. 10. pag. 284. cum iisdem Mardomedos coniungit. Sanè sono nominum Cordueni & Cordini enunciatio admodum cognata est. Vti itidem fortè Chronic. Hierosol. inde Curz deprauauit lib. 4. cap: 8. Nec alia Curdorum seu Curtorũ, è quibus nominibus illud in Petri Bizari historia Persica, hoc in Rauwolfi Itinerario occurrit, notio. Cùm Plinius scriptum reliquerit, etiam Corduenos antea Carduchos appellatos. Hac nostra tempestate Mediam regulum habere, qui Sophianæ familiæ imperium agnoscat, indeq; Siruansa (de appendicis huius significato alibi disseruimus) dicatur, eadem Petri Bizari historia Persica traditur lib. 12. At Curtos, antea semper liberos, nunc Turcis parere, Rauwolfus ibidem docet. Postremo loco addendum videbatur, Mediam Romanis Medenam dici cœpisse, vt Sex. Rufus. Byzantinæ historiæ scriptores eandem Baaspracaniam & Aspracaniam denominârunt. Hodie Seruan seu Zeruan vocari volunt, qua de re Bizari testimonium iam adduximus, & conuenit Henrici Porsii historia, conuenit Francisci Billerbegi epistola edita à D. Chytræo. Nam Iouius lib. 14. idem nomen Albaniæ accommodauit.

IN CAPVT IX.

De regno Armeniæ) *De vetere Armenia præclarè Strabo lib. 11. Ptolemæus lib. 5. Notabile est, quod scripsit Nicephorus Callist. lib. 17. cap. 37. maiorem Armeniam SAPORI, regi Persarum, à Philippo Arabe Imp. concessam, indeq; incolas Persarmenios appellatos fuisse. Præterea noster auctor infrà cap. 14. Armeniæ Ciliciã accenset. Imò et Chronic. Hierosol. Armeniæ nomine Ciliciam intelligit, id quod euidenter Nicephori Gregoræ lib. 4. de eodem argumento narrationes arguunt. Estq; hæc Speculo Vincentii Armenia minor. Nec dissentit Æneas Syluius pag. 326.* Succeſſu temporis, *inquit*, minor Armenia Taurum transcendit,

ſcendit, Ciliciamq; complexa eſt. *Et pag. 210. Ciliciam nunc minorem Armeniam dici teſtatur. Quinetiam idem Chron. Hieroſol. in Armenia Edeſſam, Meſopotamiæ caput, collocauit. A qua tamen ſententia ita Procopius variat lib. 1. de bello Perſic. pag. 137. vt regionem, in qua Edeſſa ſita, Oſroënen, & eam Meſopotamiæ partem, quæ ad Amidam pertinet ciuitatem, Armeniam quibuſdam vocitari, dicat. Sed neq; iſtud obſcurum, Ciliciam poſt Caramaniam dictam, nempe ab Amano monte, vt Iouius lib. 17. Cæterum quod auctor hîc addit, Armeniam ſemper vni regi paruiſſe, de eo iudicium omnibus, vel mediocriter antiquitatis & hiſtoriarum cognitione tinctis, in procliui eſſe oportet. Et quæ vetus Armenia regna habuerit, de eo Syntagmatis noſtri expoſitiones in medio ſunt. Eſt quoq; memorabilis Procopij locus, Orat. 3. de ædificijs Iuſtiniani Imp. Ideo totum hîc inſero.* Quo tempore, *inquit*, Romanis ALEXANDER Mammeæ imperauit, quidam Parthorum rex fratrem ſuum, ARSACEN nomine, Armenijs regem præfecit. Perdurauit itaq; pax per hanc cognationem quingentis annis. Reſidebat autem Armeniorum rex in magna Armenia, Romanorum Imperatori ex antiquo ſubiectus. Poſteriori ſeculo cuidam Armeniorum regi, Arſaci, duo fuerunt filij, TIGRANES & ARSACES. Hic morti vicinus, condito teſtamento, ambos filios regni ſucceſſores inſtituit, non definita vtrilibet æquali potentia, ſed Tigrani relicta quadruplici parte. Et ſic adminiſtrato regno pater è viuis exceſsit. Arſaces filius grauiter ferens, ſe fraudatum eſſe, rem ad Romanorum Imperatorem detulit. THEODOSIVS Arcadij F. admodum adhuc iuuenis Romanis imperabat. Tigranes amiſsionem regni timens, Perſis ſe dedidit, regno tradito. Quocirca ſubortum eſt diſsidium inter Romanos & Perſas propter

Arme-

Armeniorum regionem. Tandem inter eos conuenit, vt Tigranis partem, Persæ, Arsacis, Romani haberent. Deinde vtrimlibet fœdere pacto, Romanorum Imp. Armenijs semper regem & dominum præfecit. Sed quoniam huiusmodi regnum hostiles incursus propulsare non potuit, carens militari exercitu, IVSTINIANVS rex animaduertens, Armeniam identidem sine ordine ferri & gubernari, regni nomen extinxit, præside instituto, & militaris exercitus descripta multitudine. *Hactenus Procopius. Vbi tamen notandum venit, de regni nomine, abolito à Iustiniano, ita Cedrenum pag. 301. discrepare, vt ante huius imperium Armeniam sine præfectis fuisse, tantumq; Comites & Duces habuisse dicat: nam eundem Imp. primùm TZitan, quem virum bellicosum & rebus gerendis aptum vocat, Armeniæ præfecisse, atq; adeò THEODORAE Augustæ sororem, nomine Comitô, ei collocasse. Vt vt sit, de eo quidem auctores conueniunt, Armeniam ab hoc tempore à Ducibus & Patricijs gubernatam. Nominatur etiam dehinc peculiari distinctione Armenia quarta. Sed eam explicationem abrumpo. Sub CONSTANTINO Pogonato, cùm Sarraceni tum Calipham haberent AOMAREM, primùm Armeniam tentauit Auidus Dux, Mauriano, Romanorum Duce, fugato. Tandem IVSTINIANVS II. Pogonati successor, transegit de Armenia tributis cum Habdimelecho. Et cùm pactione ista rupta, bellum mouisset, nec multo pòst turpiter victus esset, Sabbis Patricius Armeniam Habdimelecho tradidit. Eam seruitutem gentis Principes pertæsi, Sarracenos præfectos comprehensos occidunt, & ad Romanos deficiunt. Quare Habdimelechus Armeniæ cum nouis copijs Muhammatem immittit. Qui re feliciter gesta, Principes captos vno in loco viuos cremat. Estq; exinde varia fortuna à Romanis (Græcos potius dixerimus, seu Constantinopolitanos) & Sarracenis in Armenia pugnatum. Qua de re cùm ad*

alios

alios Byzantinæ historiæ scriptores, tum ad Cedrenum lectorem remittimus. Vnum istud repetendum ex Vrspergensi duximus, primùm contra Græcos ab Armenijs Turcos attractos, sed eo euentu, de quo Chronicon Hierosol. & Speculum Vincentij lib. 30. cap. 144. lib. 32. cap. 29. Nam barbari Græcis oppreßis, mox arma in Armenios conuertére. Itaq; cùm in idem tempus Argonautarum nostrorum expeditio incidisset, gentis Principes, quos Vincentius Barones nominat, cupidè se cum illis coniunxere. Plenius de tota illa historia Chronicon Hierosol. & Gregoras lib. 4. meminitq; AEneas Syluius loco, quem suprà citauimus. Habet & istud Haythonus cap. 14. Armenios cum Georgianis socijs post BELCHIAROCI mortem Turcos inuasisse, eosq; Persidis possessione depulisse. Etsi ea fortuna gentibus hisce diuturna non fuit, Perside à Chorasmijs occupata. Et recruduerunt eâdem tempestate cum Græcis bella. De quibus præter Nicetam Tyrius lib. 18. 19. & 20. Sed & Soldano Turciæ Armenios vectigales fuisse, loco, quem antè retulimus, Vincentius docet. Ad extremum noui regni fundamentum in Armenijs iecit ROBINVS. Primùm enim LEO frater ex inauguratiône Archiepiscopi Moguntini regium nomen vsurpauit. Ac nos quidem de isto regno regijsq; in eo familijs hîc solùm agemus. Astringit autem Speculum Vincentij idem regnum Ciliciæ; eam enim auctori illi Armeniam minorem dici, suprà meminimus. Cùm Gregoras lib. 6. pag. 22. Armeniam, quæ regnum habuerit, Ciliciæ finitimam fuisse scribat. Quod ad regias familias attinet, earum primordia & distinctionem Speculo Vincentij debemus, vt HAYTHONI & successorum vsq; ad Liuonum I. res gestas Haythoni ὁμωνύμου commentario. Nam de cæteris nondum æquè αὐτόπτου vetustatis monumenta in manus nostras peruenere. Tantùm ergo Basilij Heroldi expositiones delibabimus, sed vt omnia in medio relinquamus, præsertim cùm AEneas Syluius adhuc sua ætate Armeniam Christianæ profeßionis Ducibus subiectam fuisse

dicat, & in his Bedebethi ad se legationem commemoret. Agit de eadem re luculentius in epistolis pag. 848. usq; ad 852. Num de religione Armeniorum Christiana teneatur, eam genti etiamnum permanere. Ac in Græcis quidem scriptoribus cùm alij de ea commentantur, tum Nicephorus Callist. lib. 8. cap. 35. & iterum lib. 18. cap. 53. & seq. in nostris præter alios Brocardus Monachus, item Mechouius lib. 2. cap. 1. Edidit etiam superioribus annis ad Armenios MANVELIS COMNENI Imp. legationem, qua de religione Armeniorum disputatio est, sic vt imago pij de religione colloquij ea repræsentetur, popularis meus IOANNES LEVNCLAIVS, vir doctissimus & eruditissimus, varijsq; auctoribus summi ingenij, diligentiæ, industriæ, elegantiæ laude è Græca lingua in Latinam conuersis, de re litteraria præclarissimè meritus, item eorum, qui in rubra Russia degunt de S. Trinitate confessionem, commentario vestitam, ABDIAS PRAETORIVS. Habet autem supremam apud Armenios Ecclesiasticam iurisdictionem Patriarcha. Hunc Legatio, quam diximus, & Tyrius lib. 14. cap. 18. CATHOLICVM vocant, nempe propter infinitum, id est amplius quàm mille Episcopos sub eius potestate constitutos, numerum, vt Frisingensis lib. 7. cap. 32. & adhuc hodiè sic vocari, constat. Memorabile est, quod tradidit Nicetas lib. 2. de imperio Isaacij Angeli pag. 46. Armenios cum Germanis non solùm commercia agitasse, verùm etiam in multis religionis dogmatibus consensisse: Quippe, *inquit,* apud Alemanos & Armenios sacrarum imaginum adoratio æquè interdicta est, & azymis in sacris vtriq; vtuntur &c. *Eódem alludit Nicephorus Gregoras lib. 4. pag. 14. Sed nec istud ex Auentino præteriri debebat, Beronoardum quendam, qui sub FRIDERICO BARBAROSSA vixerit, scriptum reliquisse, nondum illo tempore Germanicæ linguæ vsum in Armenia confinio desiisse. De eo enim indicium milites fecisse, qui Imperatorem hunc in Asiam secuti fuissent, sic vt idioma ad*

vnquem cum Bauarico congruerit. Extat de eadem re Lazii narratio in principio lib. 7. de migrationibus gentium. Quin & à Niceta traditum est pag. 47. Barbarossam tum ab Armenijs perhonorificè susceptum fuisse. Nam eximium gentis huius in Germanos amorem esse, Schiltpergerus Germanica historia sua profitetur, & suo ipsius exemplo sibi fidem facere conatur. Sed quod subijcit, Armeniorum lingua Germanos dictos Numitz, id Henetarum gentium imitatione factum statuamus: hæ enim Germanos vocant Nemetzos: quod nomen etiam apud Græcos Constantinopolitanos irrepsisse, de Gregora & Glyca historijs planum fit. In calce ascribere placuit locum Chalcocondylæ de Armeniorum apud Sarracenos & Turcos priuilegio: quandoquidem illo gens hæc in hunc vsque diem gaudere dicitur. Sic igitur ille lib. 3. Ex Armenijs solis, *inquit,* quamuis ab ipsis in religionis negotio dissentiant, mancipia non rapiunt: quia Armenius quidam vaticinatus est, gloriam Mahometis per vniuersum orbem propagandam. Estq; hæc vnica causa, viri honori id tribuentes, quòd nulla ab Armenijs mancipia abducant. *Hæc ille.*

PRIMA REGVM ARMENIÆ familia.

FRATRES, E MAIORE ARMENIA oriundi, vt Speculum Vincentij lib. 32. cap. 29.

ROBINVS, inuadit Armeniam, diuersis Baronibus parentem, ijsq; partim subactis, partim ad amicitiam perductis, præfecti potius a-

LEO, accepit à fratre filiæ eius tutelam: Qua exclusa, Armeniam sibi vendicat, & ad regios honores aspirat, misso ea de re legato ad Pa-

α

quàm Regis dignitate illam administrat. Speculum Vincentij ibidem.

Filia ἀνώνυμος, à patre regni hæres instituta, & LEONIS patrui tutelæ tradita, hunc non protectorem, sed hostem experitur. Cùm deinde Philippo Monfortio nupsisset, dotis loco magis regni spem quàm possessionem ad eum affert.

β

pam & OTHONEM IIII. Cæs. Itaq; ab Archiepisc. Mogunt. ea conditione inauguratus, vt Imperij cliens esset, & pueros, qui nondum ætatis annum duodecimum superassent, Latinis litteris imbui curaret, deinde proceres in Robini nepotis verba iurare cogit. Moritur anno Christi 1219. Speculum Vincentij lib. 31. cap. 93. & lib. 32. cap. 29. Variat de nomine Nicetas, & Lebunem vocat. Habet & hoc, diuersa ab eo cum CAICHOSROE, Soldano Turcico, gesta bella, & licet à RVCRATINO fratre pulsum, atq; ad se profugum, benignè habuerit, tamen in integrum restituere noluisse. Meminit tam Robini quàm Leonis Engelhusius, & cum Speculo Vincentij vtriusq; ætatem ad ann. Christi M. CC. XLII. collocat. In quo postremo numero manifestum est mendum. Et rectius Arnoldus Lubec. qui circa illa tempora vixit, Leonis inaugurationem ad HENRICI VI. imperium retulit. Huius enim auspicijs Christianæ copiæ tum in Asiam transmiserant. Addit de perfidia Leonis Specul. Vincentij, quod cùm filiam principis Antiocheni fratri collocasset, eum deinde per insidias trucidàrit. Eodem alludit Arnoldus Lubec. lib. 5. cap. vlt.

Filius ἀνώνυμος, forsan ante patrem vita defunctus.

Robinus, destinatur regni successioni ab auo, sed frustra, siue & ipse ante illum mortuus, siue regno & vita à Constante orbatus.

N. filia, collocatur à patre principis Antiocheni fratri, & eo cæso, itidemq; patre è vita sublato, rapitur à CONSTANTE, & filio eius HAYTHONO nubere cogitur.

ALTE-

ALTERA REGVM ARMENIÆ familia.

CONSTANS, regni Armeniæ Baro, vt Speculum Vincentij, à morte LEONIS regnum sibi, filiam eius filio suo HAYTHONO rapit, atque inuitam collocat. Nam de regno quidem sententiam illam, quæ Engelbusii est, forsitan rectius sequemur. Cuius possessionem sibi & familiæ confirmaturus, sexaginta duos Barones aduersantes, vi & fraude de medio tollit. Par eius in Soldanum Turciæ (GAIAZADINVM fuisse suspicor) perfidia notatur. Cùm enim metu Tartarorum asseruandas ab eo matrem & sororem accepisset, ambas Barbaris dedidit, & per Sinibaldum F. fœdus & amicitiam cum eis pepigit.

HAYTHONVS, potitur regijs nuptijs, regnique successione, patris opera. Cæteras eius res gestas habet Haythonus. Quarum historia vt conseruaretur, tum filijs nepotibusque magna diligentia narrauit, tũ redigi in scriptis fecit, vt idem Haythonus loquitur cap. 46. Regnauit ann. 45. mortuus ann. Christi 1270. — N. filia Leonis.

Sinibaldus, regni Armeniæ Conestabulus, fungitur gemina legatione ad Tartaros, primùm pro patre, deinde pro fratre. Haythonus cap. 24. Speculum Vincentij lib. 32. cap. 29. & 92.

N. filia ἀνώνυμος.

HAYTHONVS, Dominus Curchi, pòst Monachus familiæ Præmonstratensis, & historiæ huius auctor. Vide præfationem interpretis & cap. 46.

TIVONVS, adit regnum, à patre per manus traditum. Haythonus cap. 33.

Theodorus, memoratur ab Haythono cap. 46.

⊙

N. filia ἀνώνυμος, nupsit Friderico, principi Antiochiæ, FRIDERICI II. Cæs. notho filio.

⊙

LIVONVS, celebratur Haythoni encomio ibidem.

MARIA, seu Xene (vtrunq; enim nomen Gregoras habet) forsan & ipsa Theodoro genita, puella annorum 13. offertur à fratre vxor Michaeli, ANDRONICI PALAEOLOGI I. Imp. Byzant. filio, & Byzantium honorificè deducta, ritè illi collocatur. A mariti morte ob filij ANDRONICI PALAEOLOGI II. cum auo contentiones aliquantisper in custodia habetur: ac licet gratia inter vtrunq; reconciliata, & ipsa libertatem recuperarit, tamen vindictæ studio ad nouas filij molitiones conniuet, vel potius eas adiuuat. Tandem illo ad imperium euecto, ob morbū eiq; in nouas difficultates incidit: & cùm Thessalonicensibus præfectum Syrgiannem, à se adoptatum, dedisset, magnum ea re in posterum malorum pelagus conflat. Moritur tamen ante filium, & Thessalonicæ inhumata, etiam Nicephori Gregoræ, è cuius historia hæc excerpsimus, ad filium næniam promeretur.

N. filius ἀνώνυμος, fortè ante patrem mortuus

LEO, cooptatur regni successor

α

IOHANNES, regnauit post patrem. Deinde religione ductus, familiæ Franciscanæ se adoptandum præbet. A quo tempore Barbaris regnum

β

LIVONVS, potitur regno à LEONIS, fratris filij, morte opera Irenes viduæ: quippe quam etiam optimatibus re-

γ

LEO, forsan & ipse LIVONO genitus, excipit fratris Liuoni regnū, sed ab Barbaris præreptum. Ideo auxiliorum

δ

α

à IOHANNE patruo. Vxor Irene, Philippi, Princ. Tarentini F.

β

longè lateq; vastantibus, ad arma redit, & prælio cum hoste congressus, cadit in acie.

γ

clamantib9 vxorem duxerit. Quare grauibus inde turbis natis, & IOHANNE fratre interea cæso, dum ipse nil contrà audet, tota Armenia SCENDERI, auo VSSVMCASSANIS Magni, cedit, & ita cedit, vt hostis imperio contentus, reliqua genti integra permiserit.

δ

corrogandorũ gratia primùm Romam ad Vrbanum VI. Papam, deinde in Galliam ad CAROLVM VI. regẽ profectus, quia ibi bello omnia ardebant, Galliam tum infestante RICHARDO II. rege Angliæ, pacificatoris partes suscipit, exinde per totum decennium ab Anglo detentus, & interea perhonorificè habitus. Dum autem causa ipsius ad Bonifacium IX. Papam reijcitur, pro Asiatica expeditione Africana contra Tunetanum regnum decernitur, sicq; ab hoc tempore Armenia Christianos reges habere desiit.

IN CAPVT X.

De regno Georgiæ) *Nomen Georgiæ hac quidem in terra veteres scriptores, tam Latini quàm Græci, ignorant. Vocant enim Iberiam, quæ Græcis cognomento orientalis dicitur: nam occidentalis ijsdem Hispania est. Retinent etiam nomen Iberiæ recentiores Græci, seu Byzantinæ historiæ auctores, vti contrà nostri annales Georgiam & Georgianam inculcant, nempe à Georgis Scythis, vt Volaterranus Geographiæ lib. 12. pag. 117. Hos enim Strabo memorat lib. 7. Agnoscit eosdem Eustathius in Dionysium, agnoscunt Plinius & Mela. Et credibile est, gentem illam demum in Iberia sedes cepisse, indeq; regioni nomen dedisse. Nam Aethico quidem eadem Gargania dici existimatur, vti Procopius ibidem Gorgam vrbem nominauit, quæ ambæ voces ad Georgos alludunt. Sed redeo ad antiquam Iberiam. Ex hac in Hispaniam Iberos, in Siciliam Sicanos, deductos colonos volunt. Eandem*

andem primùm in Romanis Ducibus bello tentauit CN. POMPEIVS Magnus, idq; ob initam cum hoste Mithradata Eupatore societatem. Ac indicauit munera aurea, quæ tum rex Iberiæ, qui alijs est Arsaces, alijs Artoces, alijs Artocus, Pompeio miserit, Zonaras. Habet etiam familiam illius Syntagma nostrum in descriptione regni Armeniaci. Commemoranturq; dehinc alijs temporibus alij Iberorum reges, de quibus suo loco agemus fusius. Vt Christianismum gens illa amplexa sit, docet Ecclesiastica historia Eusebij lib. 10. cap. 10. & meminere Suidas in vocibus Armenij & Iberes, Nicephorus Callist. lib. 8. cap. 34. Conditum quoq; Iberis templum in Hierosolymis à Iustiniano Cæs. legimus apud Procopium Orat. 5. de eiusdem ædificijs. Tandem in Iberia ABASGI inclaruerunt, & ibidem ab Agathia & Procopio Alani & Suaui celebrantur. Sunt autem postremi hi Sueui: nam eadem enunciatione eos Sueuos, qui cum Alanis in Hispaniam immigrârunt, Iornandes celebrat. Nec ignota in hac ora reliqua Alanæ gentis historia. Abasgi peculiare, neq; ignobile, regnum condidere. De quo exquisita Zonaræ extat narratio in historia Leonis Isauri. Suntq; & illius & sequentis temporis tam Abasgiæ quàm Iberiæ regum & principum nomina in medio. Nam indifferenter dignitates istæ recensentur, nec rarò Curopalatæ inculcantur. Sed de his nihil hîc verborum faciendum duximus. Vbi SARRACENI se commouerunt, præter Lazicen (ea Colchidis pars est) & Iberiam & Abasgiam eis cessisse, Paulus Diaconus auctor est lib. 21. Quanquam iste dominatus ceu in herba concidit, regum & principum successione illa, de qua diximus, vsq; ad tempora Turcica propagata, vt Cedrenus pag. 635. Nec multo pòst Hierosolyma ab Argonautis nostris recuperata, Iberi seu Georgiani (sic enim noster auctor nuncupat) cum socijs Armenijs Turcos Perside expulerunt. Vtq; exinde potentia illorum creuerit, Tyrius docet lib. 11. cap. 16. & disertius auctor noster hoc ipso capite. Vbi quidem illud inprimis notandum, quod

quòd duo Georgiæ regna facit, alterum eius nominis, alterum Abcas, vnde rursus Mechouius lib. 1. cap. 7. Abgazaros seu Abgazelos dixit. Nam hæc distinctio cum Græcis conuenit, qui pro Georgia Iberiam nominant: uti altera vox Abcas haud dubiè de Abasgia deprauata est, posterioris syllabæ litteris κτ̀ μεθάθεσιν transpositis. Ad extremum Georgianos partim Tartaris vectigales factos, partim ab iisdem in seruitutem redactos, Speculo Vincentii & Chalcocondylæ historia traditum est. Tametsi ista assertio non planè cum auctore nostro congruat. Iamq́ Tartarorum etiam potentiâ conuulsa, & Persico regno primùm ad Assimbeiam, deinde ad Sophianam familiam translato, vtriq́ Georgiani adhæsere, ita tamen ut semper seu Duces seu Reges suos retinuerint. Nam alteram dignitatem retulit de Gorgora συγχρόνῳ AEneas Syluius, alteram Sabellicus ad annum Christi 1500. de Bacharate, qui Ionio est Pancratius. Nec potest non rerum memoriæ studiosis commendatissima esse Gorgoræ ad Ducem Burgundiæ epistola, quam idem AEneas Syluius habet pag. 850. Cùm pag. 301. dicat, Georgianorum ad se legationem venisse, quo tempore Mantua Romam redierit. Nam ad orientem Solem Christiani nominis Reges & Principes, nec non Turcici pleriq́, excitati Pontificum Romanorum legationibus, fœdus inter se aduersus MAHOMETEM II. Soldanum Turcicum, percusserant, & suis ad Pontificem (is fuit tum ipse Aeneas Syluius, cognomento Pius II.) et Ducem Burgundiæ legatis remissis, eidem iungi Christianos occidentales cupiebant. Qua de re AEneas Syluius pag. 848. Sub TAMMASO, Hismaëlis Sophi F. floruit LEVENTBEGVS, de quo Persica Bizari historia lib. 11. An autem hoc patre nati sint fratres duo, quos Mustapha Bassa ann. 1579. imperio spoliatos Constantinopolin misit, sic ut alter ad Mahometismum defecerit, alter cum Cæsaris nostri Oratore amicitiam iunxerit, non habeo, quod certò affirmem. Estq́ de vtroq́ lectu dignissima Francisci Billerbegi epistola ad D. Chytraum, item alia Martini

Crusii expositio in annotationibus in Turcograec. pag. 199. Agit de ijsdem Henrici Porsii de bello Persico narratio pag. 20. & seq. item 34. Etsi pag. 10. Georgianos non vni sed diuersis Regulis parere ait, sic quidem, vt licet aliqui confinijs Turcæ vicini sese in clientelam eius dediderint, tamen toto belli tempore non exiguas Persarum regi suppetias tulerint. Nunc de Abasgis repeto, Christianismi horum primordia describi à Nicephoro Callist. lib. 17. cap. 19. Et Georgianos, vti Armenios, CATHOLICVM habere, Brocardi de terra sancta commentario & Vincentij Speculo docemur. Notauit & alia de lingua, qua tam vulgò quàm in sacris vtantur, item quæ domestica ipsorum, quæ Turcorum consuetudine appellationes de eis vsurpentur, Abdias Prætorius commentario suo in Armeniorum confessionem pag. 131. & seq. De qua expositione illud saltem decerpendum, ac mentione nostra indicandum videbatur, quòd vocem Giaur adeò Turcis inuisam factam ait, vt & præstigiatores & Paganos quosuis tum etiam Christianos ita nuncupent. Nec præteriri hîc debebat locus Bartholomæi de Salignaco Tom. 8. cap. 1. Georgiani, *inquit*, quando Hierosolymam eunt peregrinatum, Sultano (Aegyptio) tributũ non soluunt, sed in Camelis dromedarijs & equis pompaticis venientes, erectis vexillis Hierosolymam ingrediuntur. Horum fœminæ vt mares armatæ incedunt. Pileis vtuntur vt Turcæ cubito altis. Sultanus ac Turca eos valde timent &c.

IN CAPVT XI.

De regno Chaldæorum) *Notæ gentes sunt, CHALDAEI & ASSYRII. Regnum eorum, quæ prima Monarchia est, regiaq; in eo familia, Syntagmate nostro explicantur. Nec obscuri externorum imperiorum in Chaldæos & Assyrios dominatus. Nunc istud addo, illorum caput Babylonem, horum Niniuen censeri.*

feri. Sunt autem qui Babylonem pòst Baldachum, seu vt alij, Bagadat dictam existiment. Verisimiliores sunt Rauwolfi coniecturæ, qui Baldachum è Ctesiphontis ruderibus constructum putat. Niniuen nouo nomine Mussulam appellatam, & ASSANGVRIS Satrapæ familiæ paruisse, à Tyrio traditum est, & nos suo loco referemus. Forsan etiam de huius familiæ imperio Chaldæorum regnum intelligendum. Addit Haythonus cap. 15. Assyrijs, destructo Turcorum regno, id est à BELCHIAROCI morte, Soldanos quinq; imperasse. Quos inter vt Baldacensis SALADINO de Aegyptio regno litem mouerit, & ius suum armis persecuturus, Tartarorum irruptione impeditus fuerit, apud Leonem Afrum legimus lib. 8. pag. 276. Tartaros hosce, quibus tum Persicum regnum cessit, demum familia ASSIMBEIA, & hanc rursus SOPHIANA excussit. Cui vt nostra memoria SOLYMANVS II. Imp. Turcorum Baldacum extorserit, Iouij docet historia.

IN CAPVT XII.

De regno Mesopotamiæ) *De Mesopotamia ad hunc modum explicat Procopius lib. 1. de bello Persic.* Regio, quæ è Samosatis extra Euphratem est, iamdudum Commagene, nunc autem ex fluuij nomine Euphratisia vocata est: quæ autem inter vtrunq; fluuium (Euphratem & Tigrim) existit, Mesopotamia ex argumento nominis dicitur. Cuius pars non solùm hac appellatione, sed alijs quibusdam dicitur nominibus, vt ea, quæ ad Amidam pertinet ciuitatem, Armenia nonnullis vocitatur: Edessa verò cum ipsis circò locis Osroëne. Est enim Osroës viri nomen, qui hìc regnauit superioribus temporibus, quando hi coloni Persis fœderati erant. *Hæc ille. Arriano Mesopotamia est Assyria inter Tigrim & Euphratem interiecta. Quæ nuncupatio alludit ad Ebraicam Aram Naharaim,*

 id est

id est, Syria fluuiorum. Est & illud notabile, quòd Strabo eam naui comparat. Numeratur autem Mesopotamia inter antiquissima orbis terrarum regna. Et Cusanrathaim quidem historia è litteris sacris nota est. Vicit etiam Mesopotamenos DAVID rex, extatq́; hac re ad Deum gratiarum actio ipsius Psal. 60. Tempore regni Græcorum, quæ est ALEXANDRI Magni & successorum monarchia, in Mesopotamiæ vrbibus Haran, seu Carræ (sic enim Græcis dici, Iosephus scripsit) Macedonicam coloniam accepere, vt Dion, EDESSA verò, quæ in litteris sacris est Rages, Chronico Hierosol. Rohas, Brocardo Rase, nostro auctori Rohais, regno censeri cœpit. Ac refertur ABGARI regis historia ab Eusebio histor. Eccles. lib. 1. cap. 15. repetijtq́; Nicephorus Callist. lib. 2. cap. 7. lib. 17. cap. 16. Celebrantur & alij deinceps eius nominis Edessani reges, quorum nomenclationem omitto: Cùm Xylander annotârit, idem nomen reges illos καθόλȣ, seu instar cognomenti vsurpasse. A Romanis Imperatoribus vario euentu de Mesopotamia certatum fuit. Nec momenta singula persequor: habes enim Sex. Rufi epitome. Tantùm hoc è Cedreno & Nicephoro addo, IVLIANVM Apostatam ingredi Edessam ob florentem ibi Christianismum noluisse. Vbi Sarracenica impietas se commouit, Edessa ab Iado, duce AOMARIS Caliphæ, subigitur, & in gentis eius potestate permanet vsq; ad ROMANI ARGYRI imperium. Tum enim à Salamane Amere proditam Georgius Maniaces, præfectus vrbium ad Euphratem, recepit. Itaq; exinde à Ducibus regitur, qui à Byzantinis Imperatoribus mitterentur. Vt autem ex his postremus BALDVINVM, Godefridi fratrem, & in regno Hierosol. successorem, adoptârit, vtq; demum IOSCELYNI familia ibi rerum potita sit, docet Chronicon Hierosol. & in idem Appendix nostra, plenißimè verò omnium Tyrius. Memorat etiam Assambegi, seu VSSVMCASSANIS in Mesopotamia Soldanatum AEneas Syluius, qua de re alibi. Tandem hac nostra tempestate prouinciam illam Othomana

mana familia cessisse, occupatam scilicet à SOLYMANO II. *è Iouij historia liquet.*

IN CAPVT XIII.

De regno Turquiæ) *Regnum Turquia* SOLYMANI *familia ditionem dicit. Is enim se Solymansa, id est Solymanum regem, & Soldanum Turcia appellauit, vt auctor noster infrà cap. 15. Ibidem de tota Turcica historia, in eaq́ de Solymani familia, agemus fusius. Sunt autem eadem nomina: Turquia, Turcia, Turchomania, & tantùm enunciatione differunt. Idem auctor noster etiam Graciam nominauit, vti Arnoldus Lubec. Romaniam cognomento desertam. Nam Europaa Romania Thracia & finitimis prouincijs aliquot censetur: sicuti Graciam ipsam inde deprauato nomine Turcis Rumuli seu Horomeli, Gracos Romechi appellari, aiunt. Hodie tamen pro Turcia Natolia, seu Anatolia (nam vtrunq́ habet Chalcocondyles lib. 5. pag. 91. a.) nomen inualuit,* ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, *hoc est ab oriente, cùm idem nomen Graci, seu Constantinopolitani, qui & Romani dici voluere, de ijs prouincijs prius in vsu habuissent, quas à Turcis defenderant: vti hi contrà Romaniam terras nominârunt, quas de Romanis seu Gracis cepissent, aut etiam ijs adhuc parebant: nam & eo modo loqui scriptores reperias. Atq́ haud scio, an non vocis Romania vsus iste primùm Persas auctores habuerit. De eo enim non obscurè testari videtur Nicephorus Callist. lib. 18. cap. 21. & pertinet eòdem Cedreni de Constantino Magn. fabula pag. 233. Quinetiam ambo scriptores illi Natoliam nominârunt, Nicephorus quidem lib. 11. cap. 4. & iterum lib. 13. cap. 5. Cedrenus pag. 255. Placuit autem hîc prouincias & ciuitates, quas nouis auctor nominibus retulisset, ad veterem nomenclationem reuocare. Est igitur in prouincijs Sauria, Isauria: Briquia, Lycia: Quisitan vel Quiscum, Ionia: Ienech, Pontus: in ciuitatibus Zichia,*

Cydna : Epheson, Ephesus: Nichor, Nicomedia : Ginapolis, Germanopolis: TrapeZonda, TrapeZus.

Et ista sola prouincia à paucis temporib9 effecta est regnũ) *TrapeZuntis principes Chalcocondyles Reges, auctor noster & alij Imperatores vocârunt. Atq; idem nomen ipsosmet de se vsurpasse, patet è Dauidis Imp. epistola apud AEneam Syluium pag. 849. De primordijs eorum disertius sub historiæ suæ finem Nicetas. Neque enim audiendus Chalcocondyles lib. 9. pag. 115. vbi imperium TrapeZunt. in Isaacio, qui ANDRONICI Tyranni filius fuerit, orditur, non etiam Sabellicus Ennead. 9. lib. 6. qui totam hanc historiam ignorari scribit. Cæterum fines TrapeZuntij imperij Paphlagonia, Ponto & Colchide censebantur. De quibus prouincijs singulatim hîc dissereretur, necesse non esse duximus. Habet enim vetus Ponticum regnum Syntagma nostrum. Nec Paphlagonicum suo loco à nobis prætermittetur. Tantùm ergo Colchica historia enucleationem aliquam desiderare videbatur. Ac prisca quidem ex Argonauticæ expeditionis scriptoribus nota est. Aiunt etiam, Colchorum colonos HISTROS esse. Cuius nominis, vti & Colchorum, quæ credi notio posßit, alibi docuimus. Adhæc inter Reges, qui ANNIBALIS tempora antecessere, à Plinio lib. 33. cap. 3. SALAVCES & ESVBOPES nominantur: quippe qui terram virginem nacti, plurimum auri argentiq; eruisse dicantur in Suanorum gente, & alioqui velleribus aureis inclyto regno. E Romanis Ducibus primùm Colchos, tum MITHRADATIS Eupatoris socios, bello adortus fuit Cn. Pompeius Magnus, & OLTHACEM Regem captum in triumpho duxit, tum successorem eidem ARISTEAM, seu Aristarchum (variant enim de isto nomine auctores) dedit. Itaq; ab eo tempore Colchi in Romanorum clientela fuere. Cumq; sub TRAIANO rebellassent, prælio victi, denuò in fidem accipiuntur, vt Sex. Rufus. Circa idem tempus inter Colchicas gentes LAZI inclaruere, quos Plinius lib. 6. cap. 3. celebrauit. Eisdem ANTONI-*

TONINVS Pius Caes. PACORVM Regem dedit, vt Capitolinus. Etsi apud auctorem hunc non Lazi, sed Ladij legitur, vti apud Herodotum Laxij, apud Ptolemaeum Zala. Sed vel inde maior fides Plinio debetur, quòd sequentis aetatis scriptores eandem nominis scripturam retinent. Enimuero regnum Lazorum exinde percelebre esse coepit, sic tamen vt in Romanorum clientela esset. Suntq; cùm aliorum, tum Procopij, Agathiae & Pauli Diac. histor. miscell. de eo expositiones in medio. Nos quoq; argumentum istud alibi plenius pertractabimus. Quin etiam Suani, quos è Plinio nominauimus, ab hoc tempore magis magisq; enituisse videntur. Neq; enim dubium vllum habeo, eosdem esse, quos Arrianus περιπλ. pag. 7. Sannos, Procopius & Agathias ZANOS nominârunt. Nec plura de rebus gestis eorum addo. Saltem istud è Chalcocondyle repetere placuit, subactos patrum nostrorum memoria ab VSSVMCASSANE, rege Persarum. Tametsi auctor is noua scriptura nomen varians, nunc Tzanos nunc Tzapnidas vocat, siue in eum sonum sequentia tempora mutârint, seu librarij mendum credi oporteat. Hodie in Colchide reliqui sunt MENGRELLII, à Chalcocondyle lib. 3. perperàm Micrelij appellati. Collocanturq; illi in Circassorũ finibus, nempe quà Colchis mare attingit. Atq; inuenias, qui Mengrelliorum nomen à Manralis, quos Ptolemaeus memorat, superesse suspicentur. Sed & AEneas Syluius regem horum sua tempestatis BENDIANEM fecit. Nisi quòd de nominis enunciatione discrepans, regionem eorum non Mengrelliam, sed Mirigreliam nuncupauit. Consule epistolas illius pag. 848. & seq. tribus. Notauit eosdem Iouius lib. 14. à stoliditate, temulentia & latrocinijs. Verùm ista hactenus. Redeo igitur ad imperium Imperatoresq; Trapezuntios. Quorum Stemma ita se habet.

ANDRO-

ANDRONICVS COMNENVS. *Imp. Constantinopolitanus, ob tyrannidem exauctoratus, & crudelissimè interfectus. Vide Nicetam.*

Manuel.

ALEXIVS, *occupata à Latinis Constantinopoli (fuit id anno Christi 1200.) inde profugit, & Peneum, Sinopen & Trapezuntem in potestatem suscipit. Hac tantùm Nicetas de imperio Balduini Flandrij. Meminit Gregoras lib. 1. & 5. vbi Lazorum & Colchorum tyrannum vocat.*

ALEXIVS.

Dauid, fuit egregio in fratrem ALEXIVM *studio: cuius imperium simul confirmaturus, simul amplificaturus,* THEODORVM LASCARIN, *Nicaea pro Imperatore se gerentem, per Synademum quendam oppugnat, sed infeliciter, illo praelio victo et capto. Retinuit autem Heracleam Ponti & Paphlagoniam: iamq; Lascarin bellum vltrò inferente, per Latinos confoederatos compescit. Nicetas, Gregoras.*

IOHANNES, *rediit in gratiam cum* MICHAELE PALAEOLOGO *Imp. & accepto ab eo iuramento scripto, Constantinopolin se deportat, ibiq; filiam illius* EVDOCIAM *vxorem ducit. Auctor Gregoras lib. 5. Meminit Eudocia Pachymerius lib. 9.* Eudocia, *inquit,* Lazorum siue Colchorum regina, marito etiam defuncto coniugij fidē vt seruaret, omnes nuptias repudiauit. *Disertius de eadem re Gregoras lib. 6.*

ALEXIVS, *excipit successione patris regnum, vt Gregoras ibidem.*

a

N. filius ἀνώνυμος, proficiscitur cum matre

β

a

B

Constantinopolin à patris obitu. Gregoras ibidem.

BASILIVS, imperat post patrem, successione multis certaminibus confirmata. Vt ANDRONICO Palaologo II. placato vteretur, notham filiam eius EVDOCIAM, seu Irenen, (nam vtroq; nomine memoratur) in matrimonium ducit. Cui postmodò Irenen pellicem præferre ausus, illam indignè id ferentem palatio exigit. Itaq; leui morbo extinctus, suspicionem commouit, ab vxore Irene venenum ei propinatum fuisse. Hac enim à mariti morte regia occupata, pellicem cum liberis Constantinopolin relegauit, & ad nouas nuptias animum adiecit, missis hac de causa ad patrem legatis. Quod negotium dum nescio qua mora differtur, & ipsa interea cum Trapezuntiorum Domestico (fuit id dignitatis nomen) consuescit liberius, adulterÿ infamiam incurrit, & graui seditioni occasionem prabet. Gregoras lib. 10. Cuius libri argumentis quòd in Trapezuntÿs regibus Basilius vltimus appellatur, id eò referendum, quòd scriptor ille, dum Irene adhuc rerum potiretur, & priusquam Alexius succederet, forsan diem suum obierit, sicq; in errorem istum prolapsus sit. Nota enim ALEXII & liberorum historia è Chalcocondyle. De quo Alexio suspicari rectè posse videmur, Basilio ex Irene concubina procreatum, & cum eadem Constantinopolin relegatum, sed demum per seditionem, motam contra nouercam, reuocatum fuisse.

ALEXIVS, recuperat paternum regnum, seu eo, quem diximus, seu alio modo (nam historiarum monumentis hac in parte deficimur) & cum IOANNE CANTACVZENO (is Ioannis Palaologi, Andronici II. filÿ tutorem agens, pupillo excluso, imperium ipse rapuerat) affinitatem iungit, filia eius vxore ducta. Iam senex IOANNEM F. in regni consortionem assumit. A quo in suspicionem vocatus, quòd ad Augusta matris cum

 Proto-

Protouestiario adulteria conniueret, illo caso, cum eadem Augusta in custodiam datur. Hæc res cùm popularem seditionem peperisset, moxq; Ioanne pulso, & in Iberiam relegato, in integrum restitutus esset; alterum filium Alexandrum regni consortem & successorem cooptat. Vnde Ioannes ad nouam rebellionem inflammatus, Capham Taurica petit, Genuensem quendam, cuius nauis omnis generis armorum onusta appulerat, in partes trahit, eaq; Trapezuntem reuectus, patris stipatores precio corrumpit. Igitur horum permissu principibus quibusdam, qui patrem viuum adducerent, amandatis, illi gratius id futurum Ioanni rati, eum interficiunt.

IOANNES, Aeneæ Syluio pag. 851. deprauato nomine Cathoianes, à patris interitu regno potitus, acerbè cædem illius, ceu contra suam voluntatem factam, vindicat, percussorum alijs excæcatis, alijs manibus truncatis, & iusta ei magnificè facit. Nõ multo pòst à Ziche (perhibetur is Orthobule, BAIAZETHIS I. filio, natus fuisse) bello petitur. Cui se imparem fore ratus, Constantinopolitanum Imp. euocat: & ambo coniunctis copijs classe

α

Alexander, à patre regni consors factus, de ea dignitate à Chalcocõdyle li. 9. & seq. inter Trapezuntios Reges celebratur. Nec catera eius res gesta tradũtur. Tantum hoc idẽ Chalcocondyles habet, eum ante captam à MAHOMETE Tra-

β

DAVID, ornatur à IOANNE fratre Despotæ dignitate, quam regia proximã fuisse, Gregoras scripsit lib. 3. Ab eodem legati munus ad MAHOMETEM II. demandari sibi passus, Trapezuntis restitutiõem impetrat, stipulatus hoc nomine aureorum 3000. annua. Post

γ

Helena, nupsit Zetini, Duci Turcorum, eoque mortuo, EMANVELI Palæologo, Imp. Constantinop. cùm filio eius Ioanni desponsam procax & libidinosus pater præripuisset.

α

confligere ausi, in fugam vertuntur, ipsaq; Trapezus obsidetur. Eo periculo hostis discessu defunctus nouo Chiterbegi, Ducis MAHOMETIS II. bello oppugnatur. Captaq; tum Trapezunte, tributi pactione eam redimit. Chalcocondyles lib. 9.

N. Filius ἀνώνυμος, amittit patrẽ quadrimus. Capta Trapezunte, à Cratone quodam asseruatur.

DESPINA, vt Iouius, Catharina, vt Theodorus Spandugino Cãtacuzenus, fuit in matrimonio VSSVMCASSANIS. Vbi Trapezuntiũ regnum & paterna familia in Turcorum potestatem deuenit, per litteras alterutrum ex patruelibus ad fugã solicitat. Quare prodita, & his & Dauidi regi exitium conflat.

β

pezuntem interijsse. Vxor N. Nicolai Catelusij, Lesbi Princ. soror: vnde nati.

Alexius, abducitur à MAHOMETE Constantinopol ibiq; aliquantisper benignè habetur. Nã ob DESPINAE litteras interceptas & ipse vinculis mãcipatus, in ea captiuitate trucidatur.

Anna, collocatur à MAHOMETE Zogano, inferioris Macedõ. præfecto, & iterum Isyoni Albanis F.

γ

mortem Ioannis regnum sibi per vim vsurpat. Vtq; inchoatam ab eo cum VSSVMCASSANE amicitiam stabiliret, filiam eius Despinam Vssumcassani collocat. Dedit etiam nomen confœderationi Orientalium Regum & Principum, quæ solicitantibus Rom. Pontificibus aduersus MAHOMETEM II. instituta fuit, & per suos sociorumq; legatos, vt eidem Occidentales Principes adiungerentur, instat, vt Aeneas Syluius, vtrobiq; tamen successu frustratus, tergiuersantibus nimirum Occidentalibus Principibus, & Mahomete deinde confœderatos illos separatim inuadente. Cui etsi se sub pactione alterius regionis dedidit, hostis tamen ex arbitrio agit. Sicq; primùm Constantinopol. deinde Adrianopolin perductus, ob litteras DESPINAE interceptas, in custodiam datur, & Constantinopolin reductus, ibi iugulatur.

N. Filius ἀνώνυμος. Georgius. Filia ἀνώνυμος.

Abducuntur captiui cum patre: & licet in filijs Georgius ad religionem Mahometanam defecisset, tamen ambo post DESPINAE litteras interceptas in carcerem compinguntur ac necantur, filia verò à MAHOMETE inter concubinas recipitur.

IN CA-

APPENDIX
IN CAPVT XIIII.

De regno Syriæ) *Quæ Romanis scriptoribus Syriæ nomine regiones veniant, quæq; ibi regna floruerint, id est, post indigenarũ ADADORVM, & Chaldaica seu Aßyriaca, itidemq; Persica monarchiæ euersionem, è Macedonica stirpe Seleucidarum, tum in Commagene Antiochi familia, Syntagmate nostro explanauimus. Habet idem Palæstinæ, seu Israëliticæ gentis simul Dynastias & regna, simul Pontificatum. Nec Cilicium suo loco prætermittemus. Nam ad quod auctor alludit, id Armeniacum intelligatur, de quo appendix in cap. 8. Iam vt primùm Cilicia, deinde Syria, & tandem Palæstina & Commagene Romanis cesserint, historiæ Romanæ docent. Per idem tempus grauiter & Parthorum & Persarum bellis Syria vexatur. Ad extremum à Sarracenis occupata, ab ijs rursus ad Turcos deuoluitur. Hos Argonautæ nostri repressere. Quibus à SALADINO, Soldano Aegypti, profligatis, Syria in successorum eius ditione mansit. Nisi quòd interea Tartari eam impugnârunt potius, quàm domuerunt. Et consultò hîc superiorum bellorum vices & quasi momenta prætereo. Patrum nostrorũ memoria victis & cæsis à SELYMO I. Imp. Turcico duobus Soldanis, primùm Syria deinde Aegyptus ipsa in potestatem eius deuenit.*

IN CAPVT XV.

De imperio Sarracenorum) *Enarrat hoc capite auctor regnum Sarracenorum, &, quod illud mox excepit, Turcorum: verùm vt compendia sequatur. Vnde cùm ei acciderit, quod Horatius monuit:*

——breuis esse laboro,
Obscurus fio,——

nos, vt qualicunq; conatu nostro in lectoris commodum consuleremus, omnia distinctius, & paulo fusius, dare voluimus, sic tamen vt explicatio ista in Asiatico Sarracenorum regno subsistat, quaq; eo per-

eò pertinent, delibet: altera verò de Turcico regno historia aliquanto latius se diffundat, nec integrum solùm, verùm etiam lacerum, seu in Dynastas aliquot distrubitũ pertractet, deniq; ad ipsos OTHOMANOS, *qui membra dissipata rursus collegisse, & in nouum corpus coagmentasse videntur, progrediatur. Nam vt nihil de Sarracenico regno addam, Turcici quidem familias priores, id est, quæ Othomanos antecessere, nondum à quoquam integrè expositas reperimus, cùm tamen cognitio earum maximam & Græcæ, seu Byzantina, & nostrarum gentium historia lucem afferat:* OTHOMANI *verò ita paulatim creuerint, vt regnum hodie omnium, quotquot sunt, potentissimum & amplissimum possideant, ideoq; vel hac sola de causa omnibus notissimi esse debeant. Omitto, non pauca in ista quoq; familia occurrere, vbi hactenus aqua hæserit, quæq; & ipsa amicã opem, secundum Poëtam, desiderent: omitto, etsi in summa barbarie, non rara tamen virtutis exempla, & exquisitum historiarum studium elucere. Sed ista quasi προοιμιάζειν sufficiat: iam ad rem accingamur.*

Certum est, SARRACENOS Ismaëlis, qui Abra*hamo Patriarcha & Agare ancilla natus fuit, progeniem esse. Quare de Agare principiò* AGARENI *dicti fuere. Patet id ex Psal. 83. patet è lib. 1. Paral. cap. 5. patet è Barucha vate cap. 3. Romana tamen historia &* AGARENOS *&* SARRACENOS *agnoscunt. Quæ res coniectandi nonnullis occasionem præbuit, vt gentis ambitione posterius pro priore irrepsisse existimarint. Sic enim Isidorus lib. 9. etymol.* Sarraceni quasi à Sara, & Agareni ab Agar. *Et iterum:* Sarraceni dicti, vel quòd ex Sara genitos se prædicent, vel, sicut gentiles aiunt, quòd ex origine Syrorum sint, quasi Syrigenæ. Ipsi sunt & Ismaëlitæ, vt liber Geneseos docet, ipsi Cedariani, à Cedar, filio Ismaëlis, ipsi Agareni ab Agar, qui, vt diximus, peruerso nomine Sarraceni vocantur, quia ex Sara geni-

tos se gloriantur. *Hactenus Isidorus. In quo tamen testimonio notionem à Syris repudiamus. Nec forsan altera ista improbanda coniectura, si cui à Sarra dictos Sarracenos placeat. Extat enim ea vox apud Leonem Afrum lib. 1. qui Arabum lingua desertum significare, ait, vt Sarracenos intelligas solitudinis incolas. Nam tales quidem gentis sedes fuisse, constat. Quamuis credibile sit, opinionem de origine à Sara etiam MAHOMETEM, qui hoc pacto maiorem dogmati suo fidem facere conaretur, confirmasse. Siquidem is eadem de causa receptum iam antè apud Sarracenos Circumcisionis vsum, de quo cùm alij, tum Cyrillus lib. 9. contra Iulianum testificantur, retinuisse videtur. Caeterùm cùm posteri Ismaëlis in diuersas gentes discessissent, abiectissimos ferè inter eas SARRACENOS extitisse reperimus: quippe qui primùm bellis Rom. inclaruerint, itaq; inclaruerint, vt scripserit Marcellinus li. 14. SARRACENI,* nec amici nobis vnquã, nec hostes optandi. *Tametsi enim & Lucullus & Pompeius Sarracenos debellârint, vt est apud Sex. Rufum & Iornandem, tamen cùm Pescennij Nigri (eum Seuerus Imp. aemulum habuit) tempore victoria ad ipsos inclinasset, iamq; inde nunc Romanis nunc Persis mererent, quandoq; etiam vtrisq; simul, deniq; crebris incursionibus Romanos fines vexarent, ea re tributum annuũ illis extorsere, vt Procopius lib. 2. de bello Persico, sed ista lege, vt solitudinis fauces ad Sinam montẽ custodirẽt, sicq; caeteros Arabas arcerent, quemadmodum auctor est Cedrenus pag. 353. Paul. Diac. hist. miscell. Disertius etiam de tota illa historia Procopius explicat Orat. 5. de aedificijs Iustiniani. Paruere autem Sarraceni Phylarchis: nam hoc nomine magistratus eorum Procopius & Paul. Diac. histor. miscell. celebrârunt. Nisi quòd idem Paul. Diac. ad Valentis imperium Mauiam reginam retulit. Cumq; sub Iustiniano I. praecipuam apud Sarracenos potentiam ALAMVNDARVS obtineret, & is cum Persis faceret, Imperator ei aemulum ARETAM opposuit, & Regem salutauit. Imperante Heraclio*

ratlio Sarracenos Romanis contra COSROEN *regem militasse, legimus apud Cedrenum. Eundem post victoriam de eodem Cosroë è Perside redeuntem* MAHOMETES, *qui iam manum non contemnendam fecisset, & Sarracenorum princeps, doctor & legislator haberetur, cùm Prophetam se venditando alios verbis seduxisset, alios imperium detrectantes per vim cedere sibi coëgisset, conuenit, & regionem ad habitandum petitam impetrauit. Quapropter tum quidem à* MAHOMETE *excitatus motus intra Arabiam substitit. Licet ante Sarraceni Christianæ religioni nomen dedissent. Qua de re Nicephorus Callist. lib. 11. cap. 46. & seq. Est etiam cum primis memorabilis historia, quam de Alamundaro principe, & ipso Christianæ professionis, præter eundem Nicephorum, Cedrenum & alios Zonaras tradidit Tom. 3. Verùm ista primordia, magis inchoata, quàm confirmata, oppressit violentia Mahometica: quando Alcoranus, Mahometis lex, eum non per miracula, sed per gladium & supplicia venisse asserens, edicit, vt ijs, qui legi & doctrinæ isti non obœdiunt, mortis pœna constituatur, aut tributa imponantur, quemadmodum Cantacuzeni habet oratio pag. 313. Imò à Mahomete delectos Amiradas 4. (Paul. Diac. histor. miscell. pag. 592. Amireos nominauit) qui Arabibus, religionem Christianam amplectentibus, bellum facerent, Cedrenus prodidit pag. 353. Ergo cùm sub Mahometis successore,* EVBOCARA, *ad persoluenda militum stipendia in Palæstinam Quæstor Eunuchus ablegatus esset, & eodem suas rogas (sic Diaconus, huius expositionis auctor, id stipendij genus vocauit) accipiendi gratia Sarraceni accessissent, is in hac verba prorumpens:* Vix Dominum suum militibus stipendia dare posse, multoq; minus canibus istis, *Barbaris occasionem desciscendi præbuit. Hi enim contumelia ista grauiter irritati, mox ad populares transiere, & hactenus contra eos custoditas fauces aperuere. Qui tum primùm communibus viribus Gazam adorti, occurrentem Cæsareæ Prætorem fuderunt, paulatimq; progressi*

gressi non modò in reliquam Asiam, verùm etiam in AEgyptum & Africam, tum ipsam Hispaniam & Galliam se effuderunt, occupata simul Sicilia, & Italia funestis cladibus tentata. Sed hæc attingi tantùm hoc in loco, non explicari debebant. Redeat igitur expositio nostra ad successores Mahometis: de quibus id obseruatum, & lege Mahometis interdictum, ne quis eorum diadema gestaret, Leo Afer scripsit lib. 3. pag. 145. Eosdem alij Caliphas, Ameras & Amermumnas, alij Græcis nominibus πρωτοσυμβούλους καὶ ἀρχηγοὺς, alij Latinis nunc Duces nunc Principes vocant. Caliphas ex Arabica lingua interpres Chronic. Sarracen. in vita Odmenis, Reges & Doctores, Gulielmus Tyrius lib. 19. cap. 20. successores seu hæredes, Robertus Monachus & Speculum Vincentij Papas, Leo Afer Pontifices, exponunt. Ac Tyrium quidem ad eum modum nomen istud vsurpasse apparet, quo Imperatores Byzantini coronæ Constantini Magni hæredes se nuncupârunt. Sunt & altera duo, Ameres & Amermumnes, Arabica; illud ab Emir, id est, Principes, hoc ab Emir munemim, quod cognomentum Tunetanis regibus Iouius tribuit, & principes in religione rectè credentium significare ait. πρωτοσύμβουλοι Consules seu consilij principes, ἀρχηγοὶ primarios duces sonant. Latina explicatione nulla indigebant. Et videntur hæc id exprimere, quod è Leone Afro retulimus. Re autem & veritate Caliphæ Pontifices erant, sed qui simul regiam potestatem exercerent, bellaq; per seipsos gererent. Ijdem adiunctos habebant SERIPHES. Quos Zonaras Tom. 3. ea conditione fuisse scribit, qua olim Græca Ecclesia (Paul. Diac. histor. miscell. lib. 23. pag. 745. idem etiam de Antiochena Ecclesia tradidit) Syncellum habuisset : quia vt is, *inquit,* Partriarchæ mortui locum occupabat, sic Seriphes, Calipha defuncto, succedebat. *Pòst SVLTANI, seu Soldani accessere, merus politicus magistratus, & quasi Præfecti Prætorio, quemadmodum Tyrius significat lib. 19. cap. 5. Nam quòd Cedrenus pag. 634. & Iohannes Curopalates pag. 114.*

nomine

nomine isto Imperatorem & Regem regum, Speculum Vincentij lib.26. cap.96. Augustum, qui totius Orientis rector sit, denotari autumant, id magis ad eius temporis vsum, & TANGROLIPECIS Turci, de quo Cedrenus & Curopalates loquuntur, item, BELCHIAROCI, de quo agit Vincentius, potentiam, quàm ad veram & primam eius originem accommodatum est. Posteaquam enim ad Turcos dignitas illa translata fuit, reuera tales gentis Soldani, quàm diu quidem fortuna stetit, id est vsq; ad BELCHIAROCI interitum, extitere. Cùm initiò vti in Aegyptio regno, imò etiam apud Carthaginenses seu Africanos Sarracenos (exemplum habet Zonaras in Basilio Macedone, Cedrenus pag.474. & seq. Curopalates pag.40. vbi de Soldano addita, & à Glyca pag. 414. repetita, conueniunt cum ijs, quæ alij de SESOSTRI, rege AEgypti, tradidere: Etsi eundem Soldanum Cedrenus pag. 477. Curopalates pag. 41. etiam Amerem vocârunt) ita & in Asiatico seu Baldacensi Soldanorum auctoritas tantùm ad Caliphas respiceret, indeq; penderet. Ac licet vtrunq; regnum Caliphas retinuerit (dissimili tamen euentu, vt suo loco dicemus) tamen rei summa Soldanis cessit. Cæteri præfecti AMERES, non Soldani, vt perperam auctor noster, appellabantur: qua de re, vt alia mittam, nota è Zonara exempla in historia Michaëlis, & successoris, Basilij Macedonis, item è Cedreno pag.444. 472. & seq. Curopalate pag. 21. 26. 27. 28. 30. 41. 58. 63. 65. 81. 99. 100. 102. 136. Estq; cum primis memorabilis narratio, quam Cedrenus habet de Amer Mumne, seu Manumo, pag.450. Tyrius lib.21. cap.23. nomen hoc ex Arabica lingua Satrapas, seu Principes maiores. Robertus Monachus lib. 4. Reges, qui prouincijs regionum præsint, Haythonus cap. 50. Proceres, Supplementum Schafnaburg. Barones, Speculum Vincentij Baiulos, interpretantur. Et monuimus alibi, enunciationem aliter ab alijs variari. Verùm ista hactenus. Nunc ad MAHOMETIS & successorum historiam progrediamur. Quæ vt planior fieret, placuit

familiæ stemma è libro de generatione Mahometis & Chronico Sarracenorum præmittere. Nam hæc scripta duo Hermanno Dalmatæ debemus, ridicula illa quidem, & plena putidis, nugacibusq; fabulis, sed quæ sic etiam fructu suo non careant. Et initium faciemus à Caabo, desinemus verò in MOAVIAE filio & nepote: quia ibi Chronicon ipsum desinit: deinde de historia Mahometis & successorum adiecturi, quantum instituta breuitas sinebat.

(G) ☞

Hîc inseratur Stemma familiæ & successorum MAHOMETIS, cui apposita nota supra scripta. Historia ipsa ita se habet.

MAHO-

Hesin

Fatima, quarta coniunx.

Abd

Aisca, Eubocaræ F. altera vxor.

MAH
ὁ ἀντιχ
Alcora

Fatima, vxor HALIS.

I. MAHOMETES, annum ætatis agens quadragesimum, fingit se Moysis exemplo legem, seu ALCORANVM, cœlitus à Gabriele Angelo accepisse: illaq; fabula primùm ad paucos, & quidem occultè sparsa, pòst EVBOCARAM & HALIM socios nactus, palàm se pro Propheta gerit, diuersisq; in locis docet. Quare exinde sectatorum numero auctus, quòd rerum nouarum studio indies plurimi ad eum confluerent, cum iisdem de doctrina sua armis propaganda consultare occipit: cumq; ea sententia vicisset, Ietribum occupat, oppidanos in partes trahit; Mecham per vim expugnat, & simul eodem successu per reliquam Arabiam vtitur. simul finitimos populos & Reges per legatos ad religionem suam solicitat. Moritur violenti principatus sui anno decimo, ætatis sexagesimo tertio, & in posterioris coniugis domo, quæ pòst in fanum conuersa fuit, inhumatur. Hæc è Chronico Sarracenorum, quod idem tale eius apophthegma celebrat: Nullum Prælatum (sic Ecclesiasticos proceres vulgò vocant) ingressurum paradisum, nisi populo sibi commisso optimè præsit. Addit de corporis specie, caput eum habuisse immensum, faciem albedinis et ruboris innati participem, barbam prolixam, pedes optimè compositos, addit de animi dotibus, comem & magnanimum fuisse, addit deniq; talem annuli signatorii inscriptionem: MAHVMET NVNCIVS DEI. Nomen alii alia scriptura variant, quam explicationem omitto. Alcorani confutationes diuersæ diuersorum extant. Et nostra ætate eandem Arabica lingua Nicol. Cleonardum parasse, epistolæ eius testantur. Vt etiã mutatus Alcoranus fuerit, ostendit Richardus Monachus pag. 167. item Speculum Vincentii lib. 24. cap 52. & seq. duobus. Quibus Iohannes Cantacuzenus Imp. Orat. 1. ita astipulatur, vt Alcoranum non à solo Mahomete, sed etiam à genero ipsius Hali & aliis septem promulgatum dicat: Cumq; singuli proprium aliquid statuerent, statim post mortem Mahometis & Halis factiones, contentiones, bella & cædes natas, & bellis demum sopitis, dissidia tamen sua

etiamnum ætate durasse. Nec sanè obscura Mahometanæ sectæ è Leone Afro, qui potiores 72. numerari tradit. Tyrius etiam inter vetustissimas Syas & Simrios nominauit. Hodie tamen tantùm duas superesse, nempe Leschbaros, qui per totam Africam, AEgyptum, Syriam, Arabiam & Turciam extendantur, & Imaniā, quam Sophus tueatur, idem Leo scriptum reliquit. Repeto & hoc è Cantacuzeno, Mahometem sanxisse, ne quisquam sui ordinis cum aliquo Christianorum disputet. Et memorat Cedrenus, dum Ecclesia ab Imperatoribus & impijs sacrorum Antistitibus conturbaretur, Mahometem se erexisse, atque adeò à Monacho exule (alij Sergium vocant) vt Prophetici mendacij fidem faceret, adiutum fuisse. Postremo loco subiungendum duximus, Theodorum Spanduginum Cantacuzenum testari, oriundos à Mahomete Turcis & Tartaris Siti, Mauris Seriffi dici.

II. EVBOCARA, Cedreno Abubachar, Paul. Diac. histor. miscell. Ebubezer, Tyrio Beberce, cognomento Abdalla, surrogatur Mahometi voluntate eius & populi consensu. Itaque pro lege eius propugnans, eadem violentia grassatur. Perijt phthisi, & propter Mahometem tumulatur. Chronic. Sarrac. A Paul. Diac. histor. miscell. pag. 592. principatus eius anni tres nominantur. Vt eius temporibus Sarracenis eremi aditus ad Rom. imperij prouincias inuadendas apertus fuerit, suprà ostendimus.

III. AOMAR, alijs Vmar & Haumar, enituit inter primos Mahometis sectatores. Indignatus dogma eius occultum haberi, euulgandi illius auctor fit, seque iuramento adhibito propugnatorem profitetur. Post Eubocaram principatu potitus, cùm alias Arabiæ vrbes, tum Bostram cepit. Adhac contra Theodorum, Heraclij Imp. fratrem, feliciter pugnauit, & ipsi Heraclio eum metum iniecit, vt Syriam deseruerit, & Crucis lignum Hierosolyma asportârit. Quamobrem tantam occasionem haud negligendam ratus, dissipat tumultuantes Ducum Heraclij copias,

Dama-

Damascum, Phœnicen, Aegyptum vectigales facit, Hierosolymam deditione occupat, reliquam Syriam & Mesopotamiam per Iadum, Cyprum & Rhodum per Muaniam subigit. Mox eodem contra Persas successu vtitur, HORMISDA rege in fugam coniecto, & Cosroæ filiabus cum supellectile regia captis. Interficitur ab Almigra seruo, cùm imperasset annos 10. & menses sex, vixisset ann. 63. Iussu ipsius Mahometis scripta collecta, & eius rei administros egregiè remuneratos, legimus in Chronicis Sarracen. Memorat Iouius, ab Aomare genus suum repetijsse reges Tunetaños, quos inter MVLEASSES apud Carolum V. Cæs. floruit.

IIII. OZMEN, alijs Hoamen, Tyrio Themeni datur Aomari adhuc viuenti successor. Etenim propter opes & liberalitatem summa apud omnes gratia clarebat. Fertur etiam Alcoranum castigatiorem reddidisse. Et scripsit Paul. Diac. Sarracenos eo regnante, primùm in Africam infusos, Tandem à coniuratis domi sua perimitur, anno imperij 12. ætatis 87.

V. HALIS, Zonaræ Alimus, potitur rerum post Ozmenem, continentibus Moauiæ æmuli bellis conflictatus. Ergo precum gratia Basræ (est id Arabiæ felicis oppidum, vt Leo Afer lib. 3. pag. 155. b.) templum ingressus, ibi per insidias de vita tollitur. Fuit in magistratu ann. 4. menses 9. vita ann. 57. compleuit. Variat nonnihil Tyrius lib. 19. cap. 21. Nam Halim nouæ sectæ auctorem facit: quippe qui se Mahomete maiorem finxerit, cùm diceret, Gabrielem Angelum ad se destinatum, errore ad Mahometem peruenisse, ideoq; grauiter Deum offendisse. Habet & hoc, eundem Halim in re militari supra omnes eius ætatis exercitatum & strenuum fuisse: & regnante eo exortum in Sarracenis schisma nunquã deinde tolli potuisse: dictos autem sectatores eius SIAS: & ipsum tandem à contraria factione cæsum. Vt à posteris eius Calipha AEgyptij, & hodiè Sophiani in Perside, orti fuerint, suo

 loco

loco docebimus. Ab ijsdem IDRIDEM, Fessæ vrbis in Mauritania conditorem, Leo Afer propagat lib. 3. pag. 106. & seq.

VI. ALHATEMVS, patri sutrogatus, æmulum & ipse Moauiam accipit. Cum quo pace facta, moritur imperij mense sexto, ætatis anno 45.

VII. MOAVIAS, Cedreno Mauias, constituitur ab AOMARE regionis præfectus, quæ ab Aegypto vsq; ad Euphratem Sarracenis parebat. Itaq; Cæsaream Palæstinæ septennali obsidione fatigatam in potestatem redigit. Mox classe constructa, Cyprum occupat, Aniaradum post acrem obsidionem deditionem facere cogit, totamq; insulam in solitudinem redigit. Rhodum quoq; adortus, & hanc subigit: iamq; in ipsam Constantinopolin profecturus, memorabili captiuorum duorum pietate, qui ruptis vinculis apparatum incenderunt, impeditur. At ne sic quidem quiescens, Abulauarem præfectum Lyciæ immittit, per eumq; de CONSTANTE Imp. Heraclij F. victoriam præclarissimam reportat. Post OZMENIS mortem cum HALI & ALHATEMO de regni successione in contentionem venit. Ergo vt se muniret, cum Constante inducias paciscitur, policitus in singulos dies numismata mille, equum & seruum. Iam æmulis oppressis, DAMASCVM regiam deligit: & natis interea in Perside Heraclitarum, in Syria Hisamitarum sectis, hanc extollit, illam deprimit. Quin etiam ictum cum Constante fœdus rumpit, perduellibus eius copijs auxiliaribus adiutis, & Iezide filio Phrygia & Bithynia immisso. Quæ expeditiones cum in neruum erupissent, classem armat, eaq; primum Ciliciam & Lyciam, deinde Constantinopolin impetens, sed tum quoq; successu frustratus, nouum hostem Mardaitus accipit. Inde extrema omnia metuens, cum CONSTANTINO Pogonato, Constantis F. pacem ea conditione facit, vt per annos 30. quotannis penderet decem millia auri, seruos centum & equos generosos quinquaginta. Moritur

ætatis

ætatis anno 81. Nam regni annos Chronic. Sarracen. 19. Pauli Diac. histor. miscell. 24. numerârunt facto, nimirum eius calculationis initio ab Ozmenis interitu, & Halis Albatemiq; annis omissis.

VIII. IEZID, Cedreno Ezed, Paul. Diac. Gizid, à patre regni successor declaratus, imperat ann. 3. menses 8. dies 12. In apophthegmatis eius Chronic. Sarracen. celebrat : Nemo Prælatis & Regibus maledicat, sed vt Deus emendet, deuotè postulet. *Additur à Paul. Diac. histor. miscell. pag. 621. temporibus eius MVCTAREM quendam in Perside se Prophetam venditasse, eaq; occasione tyrannidem inuasisse.*

IX. AMER, successit patri, æmulo vsus quodam Alchiatemo, Dali F. quem prælio contendere ausum, vicit & occidit. Hæc Chronic. Sarrac. Nam Paul. Diac. histor. miscell. variat, & Iezidis successorem MARVANEM facit. Nos eundem credimus, vt Chronic. Sarrac. dignitatem Principis huius, Diaconum nomen proprium retulisse statuamus. Sanè idem Diaconus de regni annis Maruanis à seipso dissentit, cùm modò menses nouem, modò ann. 21. ei tribuat.

X. HABDIMELICHVS, Zonaræ & Cedreno Abimelechus, regn. ann. 22. Oppressit Habdalem & Dadacum, Tyrannos, patris hostes. Vt Mardaitas pacaret, ambit CONSTANTINI Pogonati Imp. fœdus ijs conditionibus, quibus MOAVIAS pepigerat, & illo interea vita defuncto, à successore IVSTINIANO II. impetrat, policitus in singulos dies numismata mille, equum & seruum, item tributorum Armeniæ, Iberiæ & Cypri æqualem partitionem. Ergo Mardaitis Iustiniani copijs repressis, ad MVCTAREM debellandum animum adijcit. Quæ expeditio etsi successu caruit, tamen contra alterum Tyrannum, Saidum, rem feliciter gerit. Interea Iustiniano à fœderis religione

gione discedente, & Armeniam, Iberiam & Cyprum sibi vendicante, Cercesium & Eupolin occupat, progressusq; in Persidem, quam Muctare debellato Musabus occupârat, hanc ilico recuperat, ipsumq; Musabum victum perimit. Cùm deinde Iustinianus nouum ei bellum fecisset, metu Mardaitarum de fœdere obseruando instat, & reiectus, Muhammatum Ducem ei opponit: Qui prælio decertaturus, fœderis tabulas hasta suspendit, & instar vexilli præferri exercitui iubet. tum hosti mili tantum Sclauorum Ducem pecunia corrumpit, sicq; victoriam præclarissimam reportat. Quare præter Armeniam etiam Corraza, seu Persis interior, Habdimelechi imperio accedit, & duces eius secunda Marte tam in Africa, quàm in Cilicia decertant.

¶ XI. VLID, Abdalharis F. regnauit post Habdimelechum ann. 9. Exutus à Philippico Imp. Armenia, vicissim ei Mistiam vrbem, & per Habam Ducem Antiochiam Pisidiæ extorquet, tum per Masalmam Galatiam crudeliter deprædatur. Tandem ipsam Constantinopolin inuasurus, in eo conatu moritur.

XII. ZVLCIMIN, Cedreno Suleiman, regnauit ann. 3. Vt institutam ab Vlide Constantinopolitanam expeditionem effectam daret, Malsamam cum copijs præmittit: qui Pergamo capta, per Zulciminem & Bacarium, Duces secundarios, LEONEM, Orientalium Prætorem, in partes trahit, & Imperatorem proclamari curat. Cùm deinde is pactis conuentis non staret, Thraciam inuadit, & ipsum Zulciminem cum classe euocat. Qua igne Græco grauiter afflicta, animi mærore in morbum incidit, nec multo post decedit è vita.

Elgualid, primus Septa Pontifex in Mauritania. Auctor Leo Afer pag. 158. b.

¶ XIII. HAVMAR, Cedreno Vmarus, Habdimazidi F. claruit inter Duces Zulciminis. Itaq; eo defuncto, regnum inuadit, idq;

idq; ann. 2. administrat. Cùm Constantinopolis obsidionem aliquandiu per Malsamam vrsisset, & frustra per Suphianem & Gizidem auxiliis missis, exercitus graui omnium rerum inopia conflictari cœpisset, hisq; accessisset accepta à Bulgaris clades, qui subita impressione ad 20000. Barbarorum trucidârant, copias domum reuocat, & odij virus in Christianos subditos effundit. Hos enim edicto ad Mahometismum adegit, & parentes immunitate donat, aduersantes verò immanibus suppliciis excarnificat. Nec ea vesania contentus, etiam Leonem Imp. ad Mahometismum sollicitare audet, & Christianos contra Sarracenos testimonium dicere vetat.

XIIII. GIZID I. Cedreno Ized, Habdimelechi F Zulciminis frater, regn. ann. 4. Oppugnatus in Perside Gizidis, cognomento Moalabi, armis, Malsamam ei opponit, & Tyranno debellato, regionem eam recipit. Vt à Iudæo ad destruendas imagines Christianorum inductus, in eo conatu perierit, præter eundem Cedrenum Paul. Diac. hist. miscell. pag. 670. & seq. enarrat.

XV. EVELID, regn. ann. 18. Delectatus fuit extructionibus & agricultura. Itaq; varia sibi palatia condidit, nonalia, hortos & aquaductus fecit. Capta auspiciis eius à Malsama Cæsarea Cappadociæ, idem deinde Amer & Muauia F. in Nicæam audent, sed frustra, & Gradaces, Mediæ & Armeniæ præfectus, opprimitur à Caiani filio. Non multò pòst Asiam innadit alter filius Zulcimin: qui cùm in reliqua præda Pergamensem quendam, pro Tiberio, Iustiniani II. F. se venditantem, cepisset, Leonis Imp. odio hunc honorificè habet. Erga Christianos fuit animo inclementiore. Tamen cùm Stephanus quidam Monachus amicitiam eius intrasset, hunc Antiochenis Patriarcham offert, & receptum inaugurari permittit: cùm ista dignitas totos ann. 40. in ea Ecclesia cessasset. Cedrenus pag. 397. Validum nominat, & pag. 376. Zulciminis (ipse Sulcimanem vocat) & iterum pag. 378. Stephani

phani Monachi historiam explicans, de eodem Isami nomen intelligere videtur. Meminit etiam Leo Afer lib. 5. pag. 223. b. sed perperàm Habdimelechi (ipse Habdulmalis habet) filium fecit. Idem in Ducibus eius Musem & Taric celebrauit, qui RODERICVM, regem Gotthorum in Hispania, deuicere.

Muauia. Zulcimin. Hybraimus, memoratur à Vtriusq; historiam Euelidis patris Paul. Diac. Res gestas eius in rebus gestis implicatam dedimus. seremus Maruanis historia.

XVI. GIZID II. Cedreno IZIDVS Leipsus, & ipse Habdimelichi F. regn. ann. 1. Coëgit Cyprios migrare in Syriam. Contendentibus per id tempus de imperio Constantino Copronymo & Artabasdo, ab vtroq; in partes solicitatur. Periit tandem suorum insidiis: in quibus Abas, Christiani nominis hostis acerrimus, iussu Maruanis interficitur.

XVII. HYCES, à patris cæde regnum & regiam Damascum largitionibus obtinet, vita defunctus nondum primi regni anno completo. Auctor est Paul. Diac. histor. miscell. Leo Afer lib. 5. pag. 224. Hesciam, & Euelidis fratrem ac successorem vocat. A qua sententia discedimus.

¶ XVIII. MARVAN, regn. ann. 6. Inuasit regnũ vi & armis, ideoq; continentibus aduersariorum bellis vexatur, & iisdem demum artibus excutitur. Oppreßit tamen mox inter initia Tebitum & Datachum, & Zulciminem, Euelidis filium, fugere in Persidem compulit. Deinde & Emesam & Damascum & Hierosolymam recuperat: captosq; Emesa cognatos & liberos Hiscem, crudeliter iugulat. Quare tertius Euelidis filius, Hybraimus, in eum arma capit, adiunctis sibi superstitibus filiis Hiscem, item Halimi & Muhumati filiis, qui omnes ad MAHOMETEM genus referrent. Cumq; Salimus, Halimi F. per Amuslimum libertum Chorosanos Persas ad rebellionem induxisset, eiusdem

opera

opera & Hibin praefectus, & Maruan ipse debellantur. Nec mora, quia interea Hybraimus obierat (nam motum istum annos sex durasse, accepimus) regnum regniq; prouincias ita superstites victores partiuntur, vt in Halimi filijs Salimo AEgyptus, Habdalla Syria, in Muhammati Habdalla Mesopotamia, Abubala Persis, nec multo post Caliphatum cesserint. Caeterum Maruan fuga in AEgyptum delatus, ibiq; à persequente hoste comprehensus, obtruncatur, & caput myrrha conditum per ludibrium circumfertur. Filij tamen & cognati eius Africam petentes, inde in Hispaniam ad eos Sarracenos, qui Muauia temporibus ibi habitare coeperant, traiecerunt. Nunc primùm Muhammati, deinde Halimi familias subijcio.

FAMILIA MVHAMMATI.

Muhammatus.

XIX. ABVBALAS, cognomento Muhammat, regn. ann. 5.	Habdallas, absuit Mecha, vbi frater vitam finijt, indeq; digressus in Persidem, ibi per insidias ab HABDALLA Halimi perimitur.	Hyse, nominatur à Paul. Diac. histor. miscell. pag. 700. 712. et seq

FAMILIA HALIMI.

Halimus.

Salimus, princeps AEgypti.	XX. HABDALLAS, affectat Caliphatum ab ABVBALAE morte: cumq; in Persidem moturus ab Amuslimo victus esset, & eodem mox Habdallas, Abubala frater, appulisset, hunc insidijs, illum periurio circumuentum necat, & regnum deinde ann. 21. tenet. Christianos, imperio suo subiectos, grauissimè afflixit, auctis tributis,

& templorum ornamentis diuenditis. Quin etiam scholas, seu ne litteras discerent, eis interdixit. Cùm Hysa principatui inhiaret, medicata potione soporem ei apoplecticum inducit, & interea proceres in filij verba iurare iubet. Interijt turris ruina. Videtur ad hunc Calipham pertinere de Abdulla Seffec historia apud Leonem Afrum lib. 3. pag. 106. vt idem Vmeni nomine fortè ad Abubala cognomentum alludit.

XXI. HABDALLA MVHAMMAT, alio nomine MADYS, regn. ann. 9. Gessit bellum cum Leone IIII. Cæs. & odio Christiani nominis, seruitia Christianorum ad Mahometismum solicitat, tum supplicijs crudelibus sæuit, vsus eius furoris administro Thesia Zelote. Post idem bellum contra Leonis F. & successorem CONSTANTINVM vrget, sed infeliciter, cæsis eius copijs à Iohanne Sacellario.

Isbal, obsessus Germanicia à Lachonodracone, Leonis IIII. duce, muneribus hunc auertit.

XXII. MOYSES, regnauit ann. 1.

XXIII. AARON, reg. ann. 22. Militauit patri cõtra Leonẽ IIII. Cæs. & iterum contra IRENEN Aug. cum qua, missis vtrinq; muneribus, demum pacem fecit. Ea post patris mortem rupta, captum Theophilum, Cibiorretarum Prætorem, ad Mahometismum solicitat, ab eaq; impietate abhorrentem capite plectit. Intulit etiam NICEPHORO, Irenes successori, bellum, & Ancyram vsq; progressus, præter ignominiosi tributi pactionem, hoc est, vt Nicephorus quotannis triginta millia numorum, & tria millia in caput suum, totidemq; in filij dependeret, etiam ne castra destructa illi instaurare fas esset, ei extorquet. Quod posterius cùm à Nicephoro negligeretur, & ipse ad arma redit, vexat Cyprum, incolis inde migrare coactis, & Chumeidem Ducem primùm Rhodo deinde Lyciæ immittit. Moritur in Corrozane, id est, interiore Perside.

Perside, vt Paul. Diac. histor. miscell. Memorabilis est Nicephori ad Aaronem epistola, quam exposuit Cedrenus pag. 392. ideo hic eam insero: Quorsum, *inquit,* iniusticia & cædibus gaudes, non contentus tuis, finesq; veteres & paternos transis? Quisnam diuinus vates hæc te agere iussit? Nonne Muchumetus, tuus vates, omnem Christianum te pro fratre habere atq; agnoscere iubet? An omnium opifex Deus, & vtrorumq; curam gerens, sanguine hominum iniustè fuso delectatur? Absit. An ideo exijsti domo, iniuria affectum eos, à quibus læsus non es, quia auro, argēto, alijsue rebus indigeas? Atqui preciosissima quæq;, & nobis magni æstimata, paratuq; difficilia, abundè possides. Quod si qua re nostra opus habes, statim eam tibi amanter præbebimus. Non ergo, perinde ac si immortales essemus, nulliq; Deo subditi, inter nos depugnemus malorum geniorū bella aduersus homines imitati: cùm sciamus, paulò pòst nos morituros, & coram iudice, qui corrumpi se non patitur, comparituros, qui cuiuis dignam suorum factorum mercedem reddet. *Hactenus Cedrenus. Meminit Tyrius lib. 1. cap. 3. & Aarum, cognomento Ressith, nominat. Idem animi dotes eius commendans, admirabilem & prædicandum virum vocat: quippe cuius liberalitatem (placuit verba eius retinere) vrbanitatem præcipuam & mores singulariter commendabiles vniuersus sua etiamnum ætate Oriens admiratus sit, & præconijs extulerit immortalibus. Constat & hoc, & repetit Tyrius ibidem, Aaronem cum CAROLO MAGNO Cæs. amicitiam coluisse, missis ad eum legatis cum donis amplissimis. Vnde factum, vt Christianos, Hierosolymis & in alijs regnis suis degentes, humaniter habuerit, adeò vt non sub ipso, sed sub Carolo viuere viderentur, imò etiam Christi sepulcrum potestati illius ascribi permiserit.*

XXIIII. MVHAMMAT, succeßit patri, homo per omnia scrupulosus, vt loquitur Paul. Diac. hist. miscell. pag. 773. Quare Habdallas frater contra eum bellum ciuile mouens, in causa fuit, vt per Syriam, Aegyptum, Libyam Sarraceni in diuersos distracti principatus, tam publicas res, quàm priuatas subuerterint, cædibus & rapinis ac diuersis flagitÿs contra se contraq; subditos Christianos confusi, vt idem Diaconus. Qui alibi addit, plurimos Christianos in ea rerum perturbatione è Syria & Palæstina in Cyprum, & inde Byzantium migrasse. Cùm enim, *inquit*, sine generali principatu Syria esset & Ægyptus & Africa & omnis principatus, qui sub ipsis est, homicidia, rapinæ, adulteria, ac omnes Deo odibiles actiones in ciuitatibus & villis, vt in gente diuinitus peritura, perpetrabantur: inq; alma Dei nostri ciuitate *(Hierosolyma)* loca sanctæ Dei genitricis & resurrectionis ac caluariæ seu reliqua profanata sunt &c. *Porro autem fratres isti ad eum modum bello dißidentes, acie demum in interiore Perside decertant, & Muhammat victus fuga in Gabda defertur, eamq; obtinet, alteri Habdallæ Damascus cessit (vnde quidem eum Damasci regem esse suspicor, à quo genus suum Mesues Medicus propagat)* Et Aegyptum atq; Africam, *inquit Paul. Diac.* duo partiti sunt, & alius Palæstinam more latronis depastus est. *Quibus verbis haud obscurè superius testimonium de exorta tunc in Sarracenis πολυαρχίᾳ confirmat. Verùm de eo argumento paulò pòst plura. Scripsit autem Sigebertus, Muhammatem demum cum Habdalla pacificatum, animo inuito eum in regni consortionem admisisse. Addit Cælius Augustinus, ab hoc tempore eundem Muhammatem prope veteris Babylonis ruinas nouam vrbem, quam Bagadat (alÿ est Baldach, Zonara Bagda) nominârit, condidisse, eoq; regni sedem transtulisse,*

HABDALLAS.

lisse. Etsi nonnulli hoc Bugiaphari tribuunt, sic vt adhibitam tum obseruationem astrologicam, & exordium vrbis, ceu diem natalem, horoscopum Sagittarij signum habuisse dicant. Hoc quidem è Zonara certum est, IMPRAELVM, quem Muhammati surrogatum, temporum ratio conuincit, Baldaco regia vsum. Et successores, nominibus proprijs vt plurimum suppressis, Græci deinceps nunc Amermumnes, nunc cū nostris annalibus Caliphas Baldacenses appellant, fortè quòd ea vulgò minus nota essent, siue inde, quòd abessent longius, seu quòd religiosæ maiestatis & sanctimoniæ opinione, aut etiam otij & voluptatum studio in latebras se abderent, & à repub. abstinerent. Sic enim Curopalates pag. 149. Calipha apud ipsos *(Sarracenos)* eodem & æquali honore, quo Deus celebratur. *Et Zonaras pag. 177. moris non fuisse scripsit, vt Caliphæ suo loco excederent, ac in publico versarentur. Est etiam è Tyrio euidens Caliapharum AEgyptiorum mollicies, siue hi nostros siue nostri illos æmulati sint. Quare id hinc vsu venit, vt dignitatis & potestatis nomine suo contenti, prouincias per AMERES, domestica & cætera grauiora negotia per SOLDANOS administrarent. Nam ita de magistratu hoc sentio: vt cœpisse ad eum modum statuamus, quo apud Romanos COMITES cœpere: & in Gallico Francorum regno MAIORES DOMVS celebrantur. Sed de hisce nominibus suprà verbosius egimus. Nunc id commonendum erat, nos deinceps Caliapharum seriem omissuros, tum ob eam, quam dixi de nominum interrupta expositione causam, tum quòd præter Baldacenses etiam aliarum terrarum Caliphæ memorentur. Quanquam satis constat, eosdem Baldacenses Caliphas auctoritate semper potissima eminuisse, imò Leo Afer hos solos legitimos agnoscit, reliquos verò ceu schismaticos insectatur. De quibus omnibus in hanc sententiam disserit Curopalates pag. 113.* Sarracenis non solùm Perside & Media, & Babylone & Asſyrijs potientibus, sed iam etiā AEgypto & Libya & non exigua Europæ parte, vbi di-

uersis

uersis temporibus inter se dissidere cœperunt, vnum hoc maximumq; imperium in multas partes diuisum est, & alium Principem habuit Hispania, alium Libya, alium AEgyptus, alium Babylon, alium Persis: & inter se minimè consentiebant, sed finitimi finitimis bellum inferebant. *Hactenus Curopalates. In qua tamen, proposito, de quo suprà, immorantes, noua vti explanatione noluimus. Nam Aegypti Caliphas infrà dabimus. Et de Carruanensibus (Graci Carthaginenses vocãt) in Libya, Marrocinis in Mauritania, qui ijdem Hispania imperârunt, exquisita sunt Leonis Afri expositiones. Tantùm id præteriri nõ debebat, nato inter MVCHVMETVM, Calipham Persicum, & PISSASIRIVM, Soldanum Baldacensem (in hac enim dignitate fuisse illum suspicamur) dissidio, inde Turcis ad Sarracenorum regna ista aditum patefactum. Cùm enim hos Muchumetus attraxisset, sed deinde in se conuertisset, dumq; prælio contendit, in acie casus esset, gentis princeps TANGROLIPEX à suis Rex Persarum, nec multo pòst debellato PISSASIRIO, qui fortè nouum hunc hostem à regni finibus auersurus, & ipse arma ceperat, sed in eo conatu occubuerat, à Calipha Soldanus designatur. Nam alterum quidem disertè à Cedreno traditur, conuenitq; Roberti Monachi historia lib. 6. alterum inde augurari verisimiliter posse videmur, quòd Caliphæ sua dignitas manserit, vt non obscurè Zonaras demonstrat in Michaële Duca, item Robertus Monachus ibidem, Tyrius lib. 19. ca. 12 Frisingensis lib. 7. cap. 3. Fragmentum Vincentij lib. 32. cap. 54. & 90. Leo Afer lib. 8. dé Saladini rebus gestis explicans: sic tamen, vt reliqua rerum administratio esset penes Soldanos. Addit Haythonus, Calipham tum Soldani nomen, seu, vt ipse loquitur, Imperatoris Asiæ, Turcorum principi inuitum contulisse: quippe qui forsan ab externa gente, eiusq; dominatu, abhorreret. Nam ita Turcos à Sarracenis habitos ac nominatos, nec vnquam hos duos populos consentire potuisse, è Chronico Hierosolym. liquet.*

Et

Et sanè Turci Soldanatus occasione reliquos quoq; Baldacensis imperij magistratus inuasere, atq; adeò id totum sibi vendicârunt planè ad eum modum, quo postea STRACONVS AEgyptium regnum ad se traduxit. Raros enim dehinc Sarracenicæ stirpis Principes nominari reperias. Quando nimirum in hoc tempore euenit, de quo his verbis Leo Afer lib. 3. pag. 142. Lege Mahometana, *inquit,* nemo dominium seculare, quod legitimum dici queat, exceptis Pontificibus, obtinet. Verùm decrescentibus indies viribus Pontificum, Duces populorum deserta incolentiũ, habitata loca bello petere cœperunt, & vi bellica diuersos Principes contra legem Mahometanam inuitis Pontificibus constituere. Veluti in Oriente accidit, vbi Turci, Cordi, Tartari, alijq; populi Orientales dominium in eos vsurpauerunt, qui viribus illis impares fuere. *Hac ille. Tametsi verò & Turcorum hoc imperium pòst dissilierit, nec vnum sed plures Soldanos habere cœperit, Calipha tamen istius laniena veluti spectatores, se & potentiam adhuc reliquam conseruârunt, vsq; ad Tartaricas irruptiones. Tum enim Baldaco ab HAOLONO capto, & Calipha inter thesauros fame enecto, genus & nomen eorum defecit, vt Haythonus. Nam vt Iouius variet, suo loco monebimus. Restat nunc, vt Sarracenici regni Chronologiam, quæ HEGIRA est, nonnihil discutiamus. De ea verò alij aliter. Nos principium eius referimus ad annum Christi 592. Conueniunt enim anni Mahometis, vt hodie Turcos nominare, aiunt. Intermedium tempus vsq; ad MVHAMMATEM Aaronis F. rectè Paul. Diac. histor. misc. persequitur. Vnde si procedas vsq; ad imperium BASILII Porphyrogeniti, hoc est annum Christi millesimum, à quo tempore Cœlius Augustinus Turcicum TANGROLIPECIS familia regnũ inchoandũ censet, summa conficitur ann. 408. Estq; hac vera & propria regni Sarracenici in Asia periodus. Nam etsi Caliphæ diutius superârunt, vti iam ostendimus, potestas tamen omnis ad*

Turcos deuoluta fuit. Itaq; quæ de hac gente explicatio reliqua est, eam breuiter perstringemus.

Vetustas gentis & nominis TVRCORVM nota est *è Plinio & Pomponio Mela. Nam ab vtroq; inter Scythicos populos celebrantur. Sunt etiam, qui ab Herodoto ἰύρκας dici existiment, forsan librariorum incuria T. in I. mutato, id quod quidem facilimum esse, nemo non videt. Origo procul dubio est à MAGOG, qui Gen. 10 inter filios Iapheti numeratur. Nam adhuc hodie Turcos à Persis MOGORES nominari, docet Emanuelis, regis Lusitaniæ, ad Paulum III. Papam epistola. Et astipulantur oracula Ezechielis cap. 38. & seq. Iohannis Apocal. 20. de Gog & Magog. Quæ præterea Chalcocondyles de primordijs, tribubus & cognatione cum Tartaris, alij de incrementis Turcorum disseruere, sciens prætereo. Et credamus è nostro auctore, primùm eos SARRACENIS innotuisse, & misceri cœpisse, belli Persici contra HORMISDAM regem occasione. Nam Tyrius variat. Idem nescio quod discrimen nominum, TVRCI & TVRCOMANI facit: uti & noster autor nunc Turcos nunc Turquimanos inculcat. Quod totum in medio relinquamus, cùm vtriusq; vsus etiamnum duret. Ac de Turquimanis quidem suprà egimus cap. 3. Reliqui Turcæ & Turci dicuntur. Nisi quòd à Perside occupata Turci tam Byzantinis quàm nostris scriptoribus sæpè Persarum appellatione veniunt. Estq; inde, quòd Haythonus Belchiarocum regem Persarum, Nicetas Turcos Iconienses, Persas Icon. & alibi Persarmenios vocauit. Hoc tamen Tyrius præclarè, quòd primum Turcorum regem, quem SELDVCH nominat, è tribu SEDVCORVM lectum, ait. Nam inde Haythono ZADOCVM, Leoni Afro lib. 1. pag. 133. Malisachum, id est Melech seu regem Sachum, voce posteriore per syncopen contracta, dici, opinor, cùm idem sit, quem Zonaras, Cedrenus, Curopalates TANGROLIPECEM Mucaletum vocârunt, siue nomen hoc proprium habuerit, siue ab euentu aliquo assumserit. Iam nec istud reticendū*

erat,

erat, de Turcici regni principio aliter Tyrium, aliter Haythonum sentire: quia ille vix triginta aut 40. annis Hierosolymitano, à GODEFRIDO anno Christo 1099. inchoato, antiquius facit: hic verò in ann. Christi 1051. collocat, vt Hierosolymitanum annos 48. antecesserit. Sed rectè ab vtroq; è Zonara & Curopalata auctoritate (Cedreni enim expositiones indiserta sunt) discesserimus. Nam vt Tyrium mittamus, Haythonus quidem tot Soldanorum successione satis seipsum refutauit, nec obscurè reliqua historia eius circumstantia conuincunt, magis librarij seu interpretis, quàm ipsius σφάλμα esse. Sequitur etiam Zonaram Cælius Augustinus, & ita sequitur, vt Turcicum regnum exordiendum existimet ab ann. Christi 1000. Cui calculationi & nos subscribimus. Siquidem per hoc tempus TANGROLIPECIS posteritas in tot simul successores, simul sanguinis gradus, quot Haythonus commemorat, propagari potuit. Quàm diu autem singuli regnârint, incertum est. Et ingentem scrupulum tam Zonaras quàm Cedrenus de Tangrolipece, cuius regnum vsq; ad CONSTANTINI Monomachi Imp. tẽpora extenderunt, vt sit annorum circiter 50. Tyrius lib. 1. cap. 9 & iterũ lib. 3. cap. 1. item lib. 4. cap. 11. de BELFERCHO, quem & Belfer & Belpheroch vocat, & rursus Zonaras & Curopalates de AXANE, seu Asa Soldano, inijciunt. Ac de Tangrolipece omninò aqua hærere videtur. De altero auctores, quos dixi, in eo conueniunt, quòd ROMANVM DIOGENEM Imperat. ab vtroq; captum affirmant. Quapropter nos eundem statuimus. Nam quòd ad nominum discrepantiam attinet, ea in Barbaris mira videri non debet: quippe qui diuersis quasi titulis, quos alias alij casus largirentur, gauisi, & à suis celebrati, inde scriptores quoq; facilè in errorem pertrahere potuerint. Nec obscura similis ferè veterum Imperatorum Rom. consuetudo: Vt nisi bonorum auctorum sedulitas quasi fideiussisset, vix eosdem agnosceres. Accedit tum aliud dubium, nempe quisnam in tradito ab Haythono stemmate

Axanis & Belferchi nominibus accipi debeat. Qua in parte illud primùm teneatur, scriptoris illius expositiones, si ad Chronologiā reuocentur, perturbatiores deprehendi. Ergo si coniecturas è Tyrio sequi nobis licet, eadem nomina BELCHIAROCO accommodarim. Neq; enim adeò sono discrepant, Belchiarocus & Belferchus. Et Tyrius lib. 5. cap. 11. disertè testatur, Antiochiam tantùm 14. annis in Turcorum potestate fuisse. Atqui hanc Belferchum DARSIANO (ipse Accianum, Haythonus Artotum vocat) permisisse, idem Tyrius docet lib. 4. cap. 11. Addit praeterea, eodem tempore, & ab eodem hoc rege, SOLYMANVM Nicaea, DVCATVM, quem alibi Doldequinum, auctor Chronic. Hierosolymitani nunc Dochinum & Dōdechinum, nunc Hertoldinum nominat, & quandoq; Regem, quandoq; Principem agnoscit, Damasco, ASSANGVREM Alapia donatum. Qua de re iterum Tyrij auctoritatem, quae etiam Abbatis Vrspergensis testimonio roboratur, potiorem ducamus: conficieturq; hinc Belchiaroci regnum, quàm concedere Haythoni expositiones videantur, diuturnius, hoc est annorum circiter 30. Etenim ROMANI Diogenis primus imperij annus collocatur in ann. Christi 1071. & inchoatum à GODEFRIDO Hierosolymit. regnum (post quod quidem tempus, victo aliquanto antè Corbahane, non diu Belchiarocum superstitem fuisse, crediderim) ann. 1099. paulò suprà monuimus. Verùm his ὡς τύπῳ enodatis, iam ipsum Turcicorum Soldanorum stemma videamus.

I. TANGROLIPEX Mucaletus, vt Zonaras, Cedrenus, & Curopalates, Selduchus, vt Tyrius, ZADOCVS, vt Haythonus, MALISACHVS, vt Leo Afer.

¶ Alimus Abramius frater TANGROLIPECIS ex altero parente, claruit inter eius duces & hostes.

II. DOGRISSA.

III. ASPASALEMUS, Leoni Afro CASELUS.

IIII. Melecla.

* Cutlumus, fratris TANGROLIPECIS F. celebratur à Zonara itidē inter eius duces & hostes.

Abimelechus, nominatur à Cedreno.

¶ Cutlumus, Axanis propinquus & amulus, eidē Calipha Baldacēsis opera conciliatur. Vide Zonarā.

V. BELCHIAROCUS, Gracis AXAN, seu Asa, Tyrio Belferchus, Belfer & Belphetoch, cepit ROMANUM Diogenem Imp. ann. Christi 1074. Reliqua eius histor. qua & moderationem & iustitiam singularē repræsentat, petatur è Zonara & Manasse.

N. Filius ἀνώνυμος, æmulus BELCHIAROCI, & post mortē eius in frusta concisus, vt Haythonus. Suspicor Zonara in historia Michaëlis Duca CUTLUMUM dici: etsi is non fratrem, sed propinquum Soldani, seu Belchiaroci, facit. Eódem alludit Persica historia P. Bizari lib. 8. pag. 265.

N. Filius ἀνώνυμος, quo natus SOLYMANUS, vt Tyrius lib. 3. cap. 1. De huius Solymani familia infrà.

Retulit etiam ad hanc stirpem Tyrius Accianum seu DARSIANUM, atq; vt SOLYMANUM, ita & Ducatum, seu DOCHINUM, nepotes Belchiaroci facit. Habet & istud, Dochinum AEgyptijs, Solymanum Imperatori Græcorum oppositum: quorum vtriq;, *inquit,* Soldanus & nomen & dignitatem contulit. In quibus verbis haud scio an non ambiguitas lateat, nempe quòd Soldanus (Belchiarocus) vtrunq; dignitate & potentia amplificârit, vel nomen & dignitatem Soldani habere per-

miserit. Sanè Haythonus non solùm Solymanum, verùm etiam Artotum, imò Vrspergensis quatuor Satrapas illos Soldanos appellauit: etsi Haythonus addidit, Solymanum Solymansa, id est Solymanum regem nominatum. Nam ita appendicem Sa, quæ est vel prisca Persarum (tum autem Persidem Turci obtinebant) vox Sna siue Sat, de qua Agathias lib. 4. pag. 535. vel Tartarica Czar, vnde & Turcis Saraglia regia est, aut etiam hodierna siue eorundem Persarum Schach, de qua Bizarus in histor. Persic. pag. 357. siue Turcica Sahi, de qua Georgenicius pag 38. & 111. quamq; Iacobus Fontanus in historia de bello Rhodio, Solymano, Imp. Turcico, accommodans, inde Tzaccum dixit, interpretamur è Tyrio lib. 3. cap. 1. Alluditq; eodem nomen Saana in Specul. Vincentij lib. 31. cap. 147. Cùm Garcias ab Horto Lusitanus lib. 2. cap. 3. planè Tyrio assentiatur: Nisi quòd patria enunciatione scribit Xa, indeq; Hismaëlem Sophum & Tammasum F. Xaismaëlem & Xatamam cognominat: quia *inquit,* Xa lingua Persica regem significat *&c. Nec dissimili ratione auctor Chronici Hierosol. DARSIANVM & BRODOANEM reges nuncupauit. Vt consentaneum vero sit, simul Tyrium (modò tamen is hoc senserit) simul Vrspergēsem & Haythonum magis ad sui temporis consuetudinem, quàm ad primum nominis Soldani vsum respexisse. Quemadmodum Zonaras in Alexio Comneno principem Turcorum è Soldani genere, qui Satrapa, id est, Soldanus non esset, à suis Soldanum vocatum dicit, cùm quidem ibi de Solymano loquatur. Etenim post BELCHIAROCVM demum, quia tum de successore conuenire proceres non possent, hos ipsos salutari Soldanos voluisse, non obscurè Haythonus demonstrat. Estq; hinc, quòd & Chronici Hierosol auctor, qui in Belchiaroci ætatem incidit, eundem tantùm Soldanum agnoscit. Cæterum cùm in Satrapis istis, DARSIANVS, DOCHINVS & SOLYMANVS, non solùm regia stirpe editi fuerint, verùm etiam Regibus deficientibus, seu post Belchiaroci mortem, præcipua potentia effloruerint,*

hic

hic familias eorum inserere visum fuit. sic ut simul quartam AS-SANGVRIS adiungamus: quippe quæ sola origine inferior, rerum gestarum gloria nulli secunda fuerit: eamq; expositionem ita persequemur, ut quæ primùm defecere, eas primùm enarremus.

FAMILIA DARSIANI.

DARSIANVS, Tyrio Accianus, & Belchiaroci propinquus, Roberto Monacho & Speculo Vincentij Cassianus, auctori nostro Artot, rex Syriæ & Armeniæ, ut Chronicon Hierosolymitanum.

Sansadonias, Tyrio Sansadolus, Roberto Monacho lib. 6. & Speculo Vincentij Sensadolus. — *Buldagis.*

FAMILIA DOCHINI.

DOCHINVS (ut nomen varietur, suprà monuimus) nepos Belchiaroci, ut Tyrius, rex Damasci, ut Chronicon Hierosol. & regum Hierosol. nunc amicus nunc hostis, nec suis satis vel fidus vel gratus. De postrema clade, qua BALDVINVM II. affecit, idem Tyrius lib. 13. cap. 26.

MEIEREDIN, homo deses, ebriosus, epulo & libidine totus diffluens, ut Tyrius lib. 16. cap. 8. excipit patris regnũ, & deinde conseruat sola Amardi soceri diligentia & fide: nam eo vita defuncto, mox à NORADINO affine pellitur. Vide eundem Tyrium lib. 17. cap. 26. & lib. 21. cap. 7.

FAMILIA ASSANGVRIS.

ASSANGVR, è seruo Belchiaroci fit Alapiæ Dominus, ut Tyrius lib. 4. cap. 11. Quæri autem possit, idemne sit, quem Tyrius

lib.

lib.7.cap.3. & lib.13.cap.27. Rodoanem, auctor Chronici Hierosol. BRODOANEM *vocârunt. Enimuero* SANGVINVM, *Assanguris F. mox post Brodoanem Alapiam tenuisse, constat è Tyrio lib.14. cap.6. Vxor* IDA *Austriaca, vt Vrspergensis: è qua natus.*

SANGVINVS, *acerrimus Christiani nominis hostis, sed idem sagacissimus, & rei militaris peritissimus, varia cum Hierosolymitani regni Christianis bella gessit, de quibus Tyrius lib.14. & 16. Præter Alapiam etiam Mussulam possedit. Hanc Tyrius lib.16.cap.4. & lib.21.cap.7.* NINIVEN *interpretatur. Conuenit Speculum Vincentij lib.32. cap.50. & 93. Nisi quòd sono & scriptura variata, Mossoal vocat.*

Cotobedis, natu maximus retinuit è paterna hæreditate Mussulam. Vide Tyriũ lib.21.ca.8.

NORADINVS, *imperauit Alapia, & ipse summus Christiani nominis hostis, sed iustus, vafer, prouidus & in sua religione pius, vt Tyrius. Fecit bellũ* MEIEREDINI, *regi Damasceno eoq; pulso, Damascum sibi vendicat. Moritur ann. reg. 29. Vxor Comitissa Sanctægidiana, vt Continuator Sigeberti: vnde natus.*

Rebedis, successit Cotobedi in Mussula dominatu. Tyrius lib.22.cap.19. Suspicor de eodem loqui Nicetã li.4. de histo. Manuelis Comneni pag.19. & iterum pag.27. vbi Colõia et Chaldææ Sultanum, & ANDRONICI *Comneni, tum exulis, pòst Imp. hospitem facit. Nam conueniũt quæ Tyrius habet lib.22.cap.11. An filius vel nepos fuerit, qui Tartarorum rebus fauit, & de quo Cõtinuat. belli sacri lib.4.ca.3. indicium penes lectorem esto.*

Tebbeth.

HEZEDIN, *creuit Alapia hæreditatem è* MELECHSALAE *testamento. Tyrius lib.22.cap 8. & 19. Vt tamen hæc à* SALADINO *occupata fuerit, ibidẽ traditur cap.24.*

Mirmica, memoratur à Tyrio lib. 18.ca.19.

MELECHSALA, exuitur Damasco à SALADINO. Moriturus hæredem HEZEDINEM instituit. Tyrius lib. 21. cap. 6. & lib. 22. cap. 8.

FAMILIA SOLYMANI, QVA EDITI SOLDANI TVRCIAE, id est, Sebastienses in Cappadocia & Iconienses in Lycaonia.

SOLYMANVS, Belchiaroci è fratre nepos, principiò Sa, id est Rex, vt Tyrius, à morte Belchiaroci (sic enim suspicamur) Soldanus Turciæ, vt Haythonus, Turcorum Occidentalium, vt Zonaras in Alexio Comneno, appellatus, ademit Byzantino imperio Romaniam, & in ea caput, & nulli comparem, Nicæam ciuitatem, vt Robertus Monachus lib. 3. Hac GODEFRIDI Bilion. armis recuperata, Sebastiam Cappadociæ cum aliјs prouincijs retinet: nam eò retulerim, quòd Speculum Vincentij lib 31. cap. 142. vrbem illam regalem sedem vocat, retulerim, quòd Chalcocondyles lib. 3. pag. 83. quondã regni Turcici sedem fuisse, tradit: Cùm Nicetas TANISMANIO, de quo paulò pòst, regnum Cappadociam, regiam Gangram, MVCHVMETO itidem regiam Cæsaream attribuere videatur. Nec audiendus Chronici Hierosol. auctor, qui Solymanũ à Godefrido ita finibus pulsum ait, vt solam Foloracam arcem conseruârit. Cætera tamen idem Chronicon de Solymano præclarè: è quibus apparet, quod scripsit Tyrius lib. 3. cap. 1. hominem vafrum, strenuum & Christiani nominis hostem acerrimum extitisse. Vxor Nicææ cum duobus filijs, tum adhuc admodum tenellis, vt præter Chronicon Hierosol. Tyrius lib. 3. cap. 12. in GODEFRIDI potestatem deuenit: à quo missi ad ALEXIVM Comnenum, Imp. Constantinopol. non solùm liberaliter habentur, verùm etiam mox patri restituuntur, vt Tyrius

ibidem cap. seq. Nam Zonaras etiam fœderis pactionem intercessisse docet, sic vt ipse Soldanus, seu Solymanus (hunc enim intelligit) Imperatorem adierit, & cùm discederet, vnà cum suis magna pecunia donatus sit. Meminit eiusdem fœderis Nicetas in Ioanne Comneno pag. 5. Et pag. 11. à MANVELE cum Masuto redintegratum ita CONRADVM III. Cæs. Græcis exprobrantem introducit: Haud scio, *inquit,* cur Romani *(Byzantini)* tanquam lupos in suam cædem alunt, & per dedecus suo cruore saginant: Cùm excitatis animis, & cogitatione cordato viro digna suscepta, tanquam feræ à gregibus, sic illi ab ipsorũ prouincijs atq; vrbibus pellendi essent. *Hæc ille. Quæ autem filiorum Solymani nomina fuerint, nusquam in litteras relatum reperimus. Nisi cui fortè de posteris, seu familijs, quas singuli condiderunt, sectari atq; assumere coniecturas adlubescat. Sint ergo TANISMANIVS, & ALADINVS. Certè Tanismaniorũ familiam Nicetas celebrauit in eadem Ioann. Comneni historia pag. 7. & nominatim addit, eam in Cappadocia dominatam, & recentem fuisse: quippe quæ in MVCHVMETI Soldani (de hoc enim ibi agit) patre cœperit: quod & ipsum, etsi auctorum expressis testimonijs non astruitur, rectè tamen augurari posse videmur. Quanquam hoc loco nec illud omittendum, nomen Tanismanius alludere ad alterum Donimanius, quod habet auctor Chron. Hierosol. Vt eodem Donimano Tanismanius credi natus possit, sicuti inimicitia, quæ eidem cum Solymano intercesserat, forsan ad posteros quoq; transijt. Illud quidem euidens est, Donimanum Neocæsaream regiam habuisse: & Tanismanios Cappadociam cum imperio obtinuisse, iam diximus. Verùm potior nobis prior coniectura visa est, sic tamen vt nullo lectorem præiudicio circumscribere, sed omnia in liberam & accuratiorem eius disquisitionem venire velimus. De ALADINO cùm Haythonus tum Chalcocondyles suffragantur, veruntamen vt magis coniecturis quàm argumentis res definienda sit. Nam Haythonus quidem*

quidem vt Solymanum, sic & Aladinum, qui Chorasminos repressit, Turcia Soldanos facit. Et loquitur eodem modo Speculum Vincentij. At Chalcocondyles Aladini nomen de omnibus Turcia Soldanis (ipse & alij Byzantina historia scriptores de regia Iconienses vocant: & suspicor eodem alludere alterum Chalcocondylæ locum pag. 92. modò tamen is γνήσιος sit, vbi reginas antiquitus Iconij commoratas, dicit) καθόλυ, seu instar cognomenti aut dignitatis vsurpat. Quandoquidem eodem nomine eos Soldanos retulit, sub quibus Duzalpes & Orthogules, OTHOMANI maiores, imò Othomanus ipse floruere: & lib. 2. tam Othomanum quàm reliquos Duces socios, ministros Aladini fuisse scribit. Omisso à Speculo Vincentij inter GAIAZADINI liberos Aladinum nominari videri, qui Chalcocondylæ est Cermianus. Vt in opinionem adducar, ab Aladino, Solymani F. ita posteros nuncupatos, quemadmodum de altero Tanismanio, Tanismanij, & de Othomano, Othomani dicti. Nam vt ne vel Tanismanium, qua in sententia plerosq; è recentioribus esse video, vel Aladinum credere eum Solymanum possimus, quem & ipsum inter Solymani filios Robertus Monachus & Speculum Vincentij nominârunt, ætas huius & res gesta prohibent. Accedit his illud insuper, nec minus ad Tanismaniorum & Aladinorum propinquitatem confirmandã facit, quòd certum est è Niceta, post MVCHVMETVM Cappadociam MASVTO paruisse, cùm scilicet hereditate is creuisset. Etsi enim aliquantisper inter eos ira fuere, indeq; bellum exarsit, paulò pòst tamen in gratiam rediere. Cæterum vt SOLYMANI, vt posterorum potentia à Belchiaroci morte, de qua suprà, aucta fuerit, Haythonus memorat, & plenius demonstrat Fragmentum Speculi Vincentij. Ac constitit illa vsq; ad Tartaricas irruptiones. Tum enim primùm inclinari cœpta, demum magis intestina discordia, seu procerum perfidia καὶ πλεονεξίᾳ, quàm externis armis concidit. Verùm hac de re suo loco. Nunc genealogiam pertexamus.

a

Solymanus obsessus Nicææ, furtim elabitur: cumq; in nouas patris copias incidisset pro victore se gerit, atq; ea fraude Christianorũ aliquot ciuitates occupatas diripit incolis in seruitutem abactis. Robertus Monach. lib.3. Speculum Vincentij lib.26. cap.98.

TANISMANIVS, tenuit Cappadociã, regia vsus seu Sebastia seu Gangra. De bello eius cũ IOHANNE Comneno Imp. qui quidem de ipso triumphauit, Nicetas.

ALADINVS, Soldanus Turciæ, vt cum historia & Speculo Vincentij, Iconiensis, vt cum Tyrio et Græcis scriptoribus qui eo nomine posteros celebrârunt, rectè loqui posse videmur. Natus eo credatur.

MVCHVMETVS, excepit vt hæreditatem ita & bellum patris contra IOANN. Comnenum Imp. Auctor Nicetas, cuius tamen expositiones minus disertæ sunt. Nam etsi Tanismaniys ortum ait, patrem tamen TANISMANIVM decessorem expressè non nominauit. Sed hoc parum forsan momenti habeat. Idem opes & potentiam Muchumeti prædicat, & inter maiores eius Arsacidas memorat. Id ad maternam originem pertinere videtur. Certè ARSACIDAS, Parthicos inquam, ARTAXERXIS familiæ, imò etiam Sarracenici regni, temporibus se conseruasse, atq; adeò BASILIVM Macedonem Imper. edidisse, apud Cedrenum legimus.

MASVTVS, contẽdit bello cum MVCHVMETO & IOANNE Cõneno Imp. Cui recõciliatus, Muchumeto solicitante, eidẽ adiungitur, Imperatore deserto. Hic dum in Neocæsareæ obsidione hæret, Iohannes Isaacij Sebastocratoris, fratris, filius modica iniuria ab eo alienatus, turpiter ad Masutum trãsfugit, simulq; ad Mahometismum deficit. Vt postmodò MANVELE imperante Masutus proceres aliquot è Comnena stirpe in venatione interceperit, quæ bella cum

eodem gesserit, sic vt tum Turci in Thraciam infusi obuia omnia vastârint, vt CONRADVM III. Cæs. cum exercitu Hierosolymam petentem infestârit, tandemq; maximo prælio ad Mæandrum fluuium victus sit, Nicetæ historia traditur. Liberos multos habuit: in quibus præcipuè celebrantur:

CLIZASTHLANES, possedit è patris testamento Iconium cum subiectis oppidis: homo ingenij obscuri, dolosi & crudelis: nam affines vi & fraude oppressit, prouincijs eorum sibi vendicatis: & MANVELIS Comneni Imp. summa beneficia, sūma iniuria cōpensauit. Etenim Cōstantinopolin ab eo euocatus, nec solùm ingentibus muneribus ornatus, verùm etiam in filium adoptatus, fidem datam turpiter frangit, fines Constantinopol. imperij continentibus incursionibus vexando, cùm interim nec bellum indiceret, nec iniuria aliqua prouocaretur. Quapropter Imperatore in eum cum exercitu profecto, quia tum demum petenti pax denegabatur, nobili victoria se vindicat, ea tamen vsus moderatione, vt licet debellare, & hostem internecione delere potuisset, conuentione transigere maluerit. Hanc pòst Imperatori violanti prædatoriam manum immittit. Eodem mortuo, oppida aliquot occupat. Tandem etiam cum ISAACIO ANGELO ei res fuit: nam ætatem vsq; ad annum septuagesimum produxit, sed vt pristina eius felicitas in ærumnosam senectam conuersa fuerit. Pulsus enim regno à COPATINO F. vix Taxara se conseruauit. Per idem tempus

N. N. N. filiæ tres ἀνώνυμοι: prima nupsit Ioanni Comneno, transfuga, de qua Nicetas in historia Ioannis Comneni, & lib. 1. de rebus gestis Manuelis: altera IAGVPASANI, qui è soceri testamento adeptus est Amasiam & Ancyram cum locis finitimis, extinctus in belli apparatu contra Clizasthlanem: tertia DADVNI, cui Cæsarea & Sebastia cessere, pulso finibus ab eodem Clizasthlane.

FRIDERICO Barbarossa Cæs. cum copijs in Asiam appulso, de filiorum in eum moto bello per legatum se excusat. Ante mortem filijs reconciliatus, subiectas prouincias eis partitur. Vide Nicetam & Arnoldum Lubec. Vt HENRICVM LEONEM, Ducem Saxon. & Bauariæ, Hierosolyma redeuntem, hospitio exceperit, qua in eundem munificentia vsus fuerit, vt deniq; ad Christianismum inuitantem eluserit, alibi diximus. Inter proceres eius principe loco enituit SOLYMAS, seu Solymanus, de quo Nicetas pag. 17. b. Nam continuator Sigeberti ad ann. 1179. & iterum ad ann. 1181. perperam hoc nomen Clizasthlani attribuit, vti eodem errore successorem eius fratrem fecit.

Masutus accepit è patris testamento Amasiam, Ancyrã & Dorylaeũ.

COPATINVS priuauit patrem regno. Pòst fratres sibi coniungit contra FRIDERICVM BARBAROSSAM Cæs. sed vt duobus prælijs tum deuictus sit. Demum patri reconciliatus, beneficio eiusdem Melitenen, Cæsaream & Taxaram obtinet. In appendice addita historiæ Radeuici, qui derelicta Chronici Frising. perscripsit, suspicor Melecum dici.

Rucratinus, imperauit Doceæ & alijs maritimis vrbibus. Mortuo Copatino, de hæreditate eius Masuto litẽ mouet: cui cedenti, & Toparchiæ parte mulctato, reliqua integra permittit. Mox arma in CAICHOSROEM, verbo quidẽ, quòd is Christiana matre natus esset, re autem & veritate, quòd Iconio inhiaret, conuertit, & ab ALEXIO

CAICHOSROES, possedit Iconiũ vnà cum Lycaonia & Pãphylia. Theodorũ Mãgapham ab ISAACIO Angelo Imp. deficientẽ, cogere in finibus suis copias permittit, sed tandem ex pactione dedit. Quod fratribus indignè ferentibus, & bellum minitãtibus, speciose quo-

N. filia ἀνώνυμος, vxor Saphadini, SALADINI filij, vt annales Arnoldi Lub. lib. 3. cap. 33.

α β

ANGELO Imp. alienatur. Cui tributi pactione, & graui mulcta, reconciliatus, postquam percussorem ab eo sibi immissum cōperit, fœdere rupto, vrbes aliquot vastat.

dā prætextu iracundiam illorū placat. Pòst tamen ab Imperatore abalienatus, vrbes aliquot occupat, & ea in captiuos humanitate vtitur, vt è Byzantini imperij finibus multi ad eum in coloniam iuerint. Sub ALEXIO Angelo bello à Rucratino petitus, Iconio pellitur, & frustra Imperatoris & LEONIS, regis Armeniorum, ope implorata, à morte illius in integrum restituitur. Nati eo.

IATHATINES, sucepit hospitio ALEXIVM Angelum Imp. tum exulem, & pro restitutione ingentem pecuniam policentem. Quare cùm frustra pro eo apud THEODORVM LASCARIM generum intercessisset bellum mouet, acie decertat, & dum reliquis omissis, vnum Lascarim petit, oblatum equo deturbat. Verùm illo se mox colligente, & equi anteriores pedes detruncante, in terram effusus perimitur, & caput amputatum ad hostium terrorē hastæ imponitur.

ALADINVS, intelligitur ab Haythono cap. 18. Concordat Speculum Vincentij lib. 31. cap. 93. (nam is locus ad hunc Soldanum pertinere videtur) & iterum cap. 145. Vbi præter nomen ipsum quod auctori huic tantùm debemus, & legitimos liberos eius nominatur nothus.

GAIAZADINVS, Haythono Guiatadin, Gregora & Pachymerio AZATINES, designatur regni successor à patre, & confirmatur Sadadini Satrapæ artibus. Vt contra Tartaros se muniret, cum IOANNE DVCA Imp. fœdus ferijt. Et cùm in eodem tempore Turci maxima annonæ penuria conflictarētur, & commeatum petere à Græcis cogerentur, Augusta ex ouis gallinaceis tantum pecuniæ collegit, vt inde coronam, margaritis precio-

preciosissimis distinctam, elaborari curârit, deq; euentu isto OVATAM cognominari voluerit. MICHAELEM PALAEOLOGVM, metu THEODORI LASCARIS II. ad se profugum, habuit comiter & benignè. Cumq; tum bellum in BAYDONEM, Ducem Tartarorum, pararet, Græcas copias Palæologo commisit, ex eodem bello superior discessurus, nisi in ipso conflictu cognatorum quidam ad hostem transiïsset. Ergo in fugam actus, & magna ditionis parte exutus, pòst regiam quoq; amittit, & exul ad Palæologum, tum Imperatorem, se deportare cogitur, simul vxorem & liberos secum ducens. A quo tempore cùm aliquantisper Constantinopoli subsisteret, sacra & doxologiam Christianorum frequentauit: quippe qui infans baptismo initiatus, & Christiana matre, non vtroq; parente, vt Gregoras, natus esset. Nam idem alibi ab ineunte ætate regio fastu educatum affirmat: id quod non nisi in fortuna regia fieri potuit: Vt neq; hoc fidem mereatur, quòd fortunæ impetu factum Soldanum dicit, cùm ea res ius sanguinis spectârit. Deinde ad Aenum oppidulum degere iussus, quia ibi velut in custodia detinebatur, cum CONSTANTINO Tæcho, VValachorum regulo, conspirat: nec multo pòst Tartaris Europæis, quos VValachus euocârat, irruentibus, seu Barbarorum auertendorum gratia his ab oppidanis deditur, seu sponte profugit (nam Gregoræ expositiones istæ perturbatiores sunt) & priusquam, quod animo destinârat, perficeret, cedit è vita. Meminit Pachymerius lib. 3. & magno luxu in Byzantiï compitis totos dies potando & comessando exegisse, ait. Quadrat huic, quod de temulentia eius, & socordia in copiïs cogendis ante prælium cum Tartaris, indeq; accepta clade, Vincentiï Speculo proditũ est. Vbi rebellio eius emanauit, vxor & liberi in custodiam traditi fuere, pecunia in fiscum relata, vt Gregoras. Nam Speculũ Vincentiï planè discrepat. Nec nos reuocanda omnia ad trutinam duximus. Sufficiat de liberis monuisse, Melecum vno nomine Gregoræ dici videri, qui distinctis nominibus Speculo Vincentiï

& Chal-

& Chalcocondyla sunt Raconadius & Azadinus, seu Azatines, ut rursus eidem Speculo Aladinus est, qui Chalcocondyla Cermianus. Forsan enim Gregoras sua nuncupatione regiam dignitatem exprimere voluit, quemadmodum Aladini nomen ad familiam alludit, qua de re suprà. Nunc ad res gestas pergo.

Melecus, qui & Raconadius, paterna fortunæ socius, Ponto traiecto, confert se ad Tartaros Asiaticos: quorum permissu ad superstites Turcicos Satrapas profectus, alijs eum recipiendũ, patri'q; surrogandũ, alijs deliberandũ censentibus, ab uno AMVRIO armis repellitur. Quare è fuga Heracleã delatus, cùm inde Nymphæum ad Imperatorem cogitaret, mox conuerso itinere, ad Turcos redit. Ibi factione sua eum armãte, AMVRIVM & Astratium supplices crudeliter interficit, cùm cædis signum vibrato calice dedisset. Ergo HALI, Amurij filio, nouo mox hoste usus, dum temerè prælio decertat, cadit in acie, fatis ferocia sua irritatis, ut Pachymerius li. 10. De eodem Gregoras lib. 5. Etenim ut Speculum Vincentij lib. 32. cap. 26. & 28. variet, repetere hic non libet.

Azadinus fungitur pro Raconadio, seu Meleco fratre, legatione ad Tartaros, & tributi pactione pacem inter utrosq; firmat, ut Specul. Vincen. Gregoras Melecum vocat & Christianismo initiatũ dicit. Ex eo tempore Græcorũ militia ascriptus, popularibus copijs cum imperio præficitur In cuius mune-

Aladinus, qui et Cermianus regnauit Iconij: qua dignitate exutus, profugit in Ioniã, ibiq; priuatam uitam sectatus, quietem amplexus est. Auctor est Chalcocondyles lib. 1. Quæ expositio an eò pertineat, ut post cædem Raconadij Azadinũ similis periculi metu ad Græcos defecisse, eaq; occasione Aladinum pellectum, Iconium, quæ regni sedes erat, occupasse, seq; pro Rege gessisse, sed rursum cõspiratione procerum, qui regni prouin-

γ δ

ris functione se parum benignè haberi causatus, cũ seditiosis Catalanis se coniungit, & ad Mahometanã religionem redit: cumq; nec id institutum ex sententia cessisset, & Græcos auersaretur, ad Seruiæ Regem transfugit.

ciis iam ipsi inhiarent, deturbatum, statuamus, nõ habeo quod certò affirmem, licet rem ita gestam esse, admodum verisimile fiat. Meminit etiam Chalcocondyles Cermiani regionis, sed vt in Thracia collocare eam videatur.

Cæterùm inter hosce motus regia stirpe vilescente, tyrannides apud Turcos enata fuere, de quibus Speculum Vincentij lib. 31. & seq. Plurimum etiam violentia sua Raconadius, seu Melecus, nocuit. Quapropter proceres rerum summam ad se pertrahere cœperunt, instituta πολυαρχία, quemadmodum Pachymerius loquitur lib. 10. verùm vt mirificè inter se discordarent, & militum vulgus incondita licentia tumultuaretur. Quia, *inquit,* Duces sibi eligebant, quorum ductu & auspicijs diuite præda locupletarentur: statimq; illos adempta lucri spe, quæ non nisi à bellis perpetuis erat, deserebant. *De eadem re ad hunc modum Nicephorus Gregoras lib. 5.* Turcico imperio sic euerso *(loquitur de interitu Meleci)* & ex honesta disciplina & splendida fortuna ad maximam perturbationem prolapso: non modò Satrapæ, & nobilitate præstantes, omne regnum in plurimas partes diuellerunt, sed multi etiam obscuri & ignobiles homines, infima plebe ascita, latrocinari cœperunt, præter arcum & pharetram nihil secum gestantes: qui faucibus montiũ infessis, finitimos agros & vrbes Romanorum *(Constantinopolitanorum)* crebris & occultis incursionibus vexabant. Nam paulo antè acciderat, vt præsidia, quæ arces tuebantur, inde migrarent

grarent, cùm annua stipendia à fisco Imperatorio non numerarentur. Quod initiò, vt res parui momenti, neglectum, maximas tandem clades Romanis importauit. Turci autem Satrapis illis variè diuisis, cùm à Scythis *(Tartaris)* pellerentur, Romanos pellebant: & quàm infirmi erant contra Scythas, tam fortes contra Romanos extiterunt: vt Scytharum incursio non calamitatis causa, sed summæ felicitatis occasio illis esset. *Hæc ille. In quo ipso testimonio cùm mentio fiat de præsidijs, quæ Barbaris in finibus opposita essent, neglectis, quæ res deinde cladium omnium & euersionis imperij Byzant. fons & origo extiterit, placuit instar corollarij de eo plenius agere. Quando nimirum sit, vnde nostrũ quoq; seculum documentum capere possit. Sic igitur Zonaras in Constantino Monomacho:* Cùm prouinciæ quædam essent immunes, quæ pro omnibus vectigalibus locorum angustias tuerentur, & Barbaros aditu Romanarum ditionum prohiberent: custodijs abolitis, tributa ijs prouincijs imperauit. Vnde Barbaris sine vllo negotio patuerunt. Illud certè quidem, si quis verè consideret, ei acceptum ferri potest, quòd oriens Marte Barbarico est subactus. *Et iterum in Constantino Duca.* Iam, vt erat tenax & parcus, cum animo suo constituit, nolle se bellis conflictari, sed gentes muneribus & alijs obsequijs deuincire, & Rom. imperio conciliare: qua re duo commoda venabatur, alterum ne plura in expeditionibus consumeret, alterum vt per summum otium cumulandis thesauris inuigilaret. Ita fiebat, vt militares catalogos negligeret, ac potius fortissimos quosq; ob stipendij magnitudinem deleret. Vnde Barbari ferociores euadebant, Romanæ verò legiones timidiores & humiliores, atq; imperiũ minuebatur. *Item in Eudocia;* Barbari, orientem diripere soliti, Roma-

 nas

nas prouincias incursare, & indies vexare non desistebant, militibus, vt iam dixi, tenacitate Imperatoris & imminutis & afflictis. Quod si qui adhuc restabant militiæ deditι, ij ꝓpter negata solita stipendia minimè erant alacres ad confligendum cum hostibus. *Hactenus Zonaras. Quibus etsi rectè adijci poterant, quæ in eandem sententiam Nicetas lib. 1. & 7. de imperio Manuel. Comneni, Gregoras lib. 6. pag. 21. & 24. lib. 8. pag. 41. disseruere, tamen prolixitatis vitandæ gratiæ omittenda duximus, nunc ad propositum redituri.*

Posteaquam SOLYMANI familia, eiusq; regno euerso, ad eum modum de quo diximus, πλυαρχία successit, Satrapæ (Chalcocondyles septem fuisse scripsit) contentionum pertæsi, aliquanto pòst reconciliata gratia concordiam inter se sanxere, & coniunctis viribus Constantinopolitani imperij in Asia prouincias adorti, eas inter se dispertite sorte fuere. Celebrantur autem in Satrapis illis potissimum, à Pachymerio quidem Solymanpaxes, seu SOLYMANVS Bassa (nam ita denominationem istam resoluo) item AMVRIVS, à Nicephoro Gregora CARAMANVS Alisurius & Atman, seu OTHOMANVS, vt Laonicus Chalcocondyles & alij nominârunt. Solymanpaxes ANDRONICI Paleologi II. Imp. affinitatem promeruit, sed quæ neutri commodaretur, Turcico regno iam in πλυαρχίαν diuulso, & Orientalibus Imperij Constantinopol. prouincijs in eum statum redactis, vt nullos inde Andronicus reditus perciperet, sed magnos potius in eas sumtus faceret, vt idem Pachymerius lib. 12. Ac suspicor nomen Solymani huius de SOLYMANO Soldano repetitum, forsan quod ad familiam eius pertinuerit. Nam eadem res procul dubio etiam Imperatoriam affinitatem ei conciliauit: vt contrà apud populares Satrapas nonnihil inuidiæ peperit. Id quod alteram coniecturam prabet, inde eum pro Soldano Bassam appellari voluisse, sicq; familiæ dignitatē verè terminasse, eo nimirum exemplo, quo factum idem in pluribus alijs nominum similitudine reperimus.

perimus. Præclarè enim Iornandes: Sæpè, *inquit,* in eis regna deficiunt, à quorum nominibus inchoant. *AMVRII & Halis F. historiam suprà dedimus: quibus quæ de cæteris filijs Gregoras & Chalcocondyles addidere, ex auctoribus illis recognosci satius fuerit. CARAMANI Alisurij posteri diu Pamphyliam & Ciliciam retinuere, eaq; prouinciæ inde hodie quoq; Caramaniæ nomine veniunt, vt Marius Niger. Ad OTHOMANVM, eiusq; familiam, referimus oraculum Erythrææ Sibyllæ, vel Epirotica Phaëlonis, quod Zosimus lib. 2. eiusmodi citauit:*

δὴ τότε Βιθυνῶν γαῖαν λύκοι οἰκήσουσι
ζηνὸς ἐπιφροσύνῃσι, κακὸν δ' ἐπιβήσεται ἄνδρας,
ἄνδρας οἱ Βύζαντος ἕδος καταναιετάουσι.

Nam potentiæ eius primordia in Bithynia cœpere, ipsa Prusia vrbe regia constituta: donec AMVRATES II. Adrianopolin, & rursus MAHOMETES II. Constantinopolin eam transtulit. A quo tempore quia OTHOMANI (sic enim à Iouio, Onuphrio Panuinio & alijs Latinis scriptoribus Othomani posteri appellari solent) seu OTHOMANIDAE, vt in Græcis Chalcocondyles, ATHVMANEI, vt Gregoras, dixere, cùm Turcis ipsis sint Othmanlardan, vt Georgeuicius, partum imperium victorijs tam de regulis popularibus quàm de Christianis gentibus fermè continentibus propagârunt, & in immensum amplificatum etiamnum possident, atq; ita possident, vt quotquot superant, ijs commune exitium minitari & intendere videantur, nos, quod in expositionis huius exordio polliciti sumus, stemma hic subijciemus, sic tamen vt res gestas singulatim non attingamus, sed maximè memorabilia, aut à proposito non aliena, excerpamus. Sciendum verò, non modicam de OTHOMANIS auctorum discrepantiam existere. Ac mederi ei incommodo facilè possemus, si de domo & familia Othomana Chronica, quæ Arabica lingua Viennæ in IACOBI STRADAE bibliotheca extare perhibentur, interpretem reperirent, & in publicum proferrentur. Interea rectissimum fore

 arbitrati

arbitrati sumus, si Græcos sequeremur: hi enim non longinqua, sed penè domestica, & quorum pars magna fuere, secundum Poëtam, tradunt. Iam nec illud omittendum erat, propemodum ea Othomanorum, quæ prima TANGROLIPECIS, seu Zadoci familiæ, primordia inueniri. Vtranque enim virtus prouexit, atque vti hanc Seducorum, ita illam Oguziorum tribus edidit. Quibus nominibus certas nationes accipio, cuiusmodi in alijs gentibus aliæ memorantur, & in Tartaris Horda celebrantur. Enimuero & in Turcis has diuersas effloruisse, è Tyrio, Haythono & Chalcocondyle liquet. Et fermè sic vsu venit, vt ea, quas dixi, in gente vna nationes, non eodem, sed diuerso tempore inclarescant, id est quæ antè abiecta iacuere, ad summum rerum fastigium conscendant, contrà verò, quæ imperijs & opibus nobilitatæ fuerant, vel extinguantur, vel de dignitatis gradu detrusæ in ordinem redigantur. Addo his istud insuper: etsi Græci OTHOMANVM & successores REGES nuncupârunt, nos tamen SOLDANOS appellare maluisse, tum quòd id nomen è gentis veteri consuetudine petitum sit, tum quòd etiamnum à Barbaris retineatur. Sic enim Georgeuiçius pag. 38. Habent, *inquit,* omnes vnum Regem, qui illorum vocabulo Huncher Othmanlardan Sahi Tsultan Suleiman, modernus ita appellatur ab eis, id est Imperator ex Othomanis Sahi princeps Salomon *&c. Quanquam si cui ab eo tempore, atque Constantinopolis, imperij Orientalis sedes, Othomanis cessit, eos Imperatores vocare placeat, nihil repugnârim: nam neque doctissimorum virorum exemplo atque imitatione caret: & fieri idem recepto nostræ linguæ vsu cernimus. Postremo loco coniungi cum OTHOMANORVM historia explicatio debebat de nobilioribus familijs, quæ ijs adhæsere, atque adeò adhuc hodie superare feruntur, item altera de nouis dignitatibus, quæ in imperio eorum exortæ fuere. Expediemus autem vtramque breuiter. Familiæ istæ à nonnullis quatuor numero definiuntur, MICHALOGLI, MALACONII,*

EBRE-

EBRENES, TVRACHANII. Nec immeritò falli Machiauellum Bodinus scripsit, affirmantem, extincta Othomanorum domo, imperium Turcorum collapsum iri, propterea, quòd nulli sint Principes, ad quos peruenire possit: nam has ipsas quatuor familas generis splendore ac vetustate Othomanis se iam pridem æquasse, sed tamen ab aditu Principis & repub prudenter summoueri, ne res nouas moliri possint. Etsi è Chalcocondyle patet, neq; Othomanorum institutum istud vetus esse, id est, post Mahometem II. cœpisse. Præterea familiæ hæ peculiaribus prærogatiuis gaudent, & magnos reditus non solùm è re pecuaria verùm etiam è perpetuis stipendijs percipiunt. Ne dicam belli tempore Michaloglis voluntarios equites, & in præfecturis Poloponnesiacam Turacanis, Bosnensem Malconijs, Samandricam Ebrenibus demandari solere. Quod ad dignitates Othomanici imperij attinet, istud primùm sciatur, TANGROLIPECIS domum, huiusq; successores Soldanos, de quibus suprà, planè easdem retinuisse, quæ Sarracenis in vsu fuissent, vt non obscurè Tyrius docet lib. 21. cap. 23. & nominauit CLIZASTHLANIS Ameras Nicetas pag. 42. 48. 56. Verùm apud OTHOMANOS ratio immutata fuit, sic tamen, vt magis denominationes, quàm res discreparent. Nam qui antea Soldani dicti, tum VESIRII (videtur autem seu Persica seu Arabica vox VZir esse, retulitq; eandē de Auicenna Medico Andreas Alpagus, sic vt eum regis VZir, id est primarium & honoratiorem secretarium fuisse dicat) appellari cœpere. Et in Amerum locum successere Bassæ, Beglerbegi, Begi, Saniaci, deniq; & in Mamaluchorum, de quibus infrà, Ianizari & Charipedes seu Peregrini. Qui volet, plenius de hoc argumento disserentes cùm alios consulat, tum Geufræum & Georgeuicium. E quorum posteriore id simul patet, vocem Soldanus hodiè à Turcis fermè ad eum modum vsurpari, vti apud nos vulgò Dominus. Noteturetiā de nomine Bassæ, id primùm de SOLYMANO, de quo paulò suprà, reperiri. Et Chalcocondyles lib. 5. eodem nomine

nomine eos Turcicæ militiæ duces celebrauit, quos hodiè Beglerbegos appellant: Cùm vera notio existimetur esse à Baßine, quæ dictio Turcis caput significet. Nisi fortè quorundam coniectura hîc locum habeat, qui in veteribus Persicis nominibus, terminationem Bazus esse crediderunt. Siquidem Turcorum potentia in Perside se primùm exeruit, sic vt inde gens ipsa nonnunquam à scriptoribus nuncupetur: qua de re alibi. Nunc stemmatis Othomanorum enucleationem persequamur.

STEMMA SOLDANORVM OTHOMANORVM.

Duzalpes, tribu Oguzius, quod genus hominum Chalcocondyles nec malum nec imbelle fuisse, ait, viguit prudentiæ, æquitatis & iusticiæ fama. Qua de causa cùm populares vltrò ad eum lites deferrent, & munus illud suprema Soldani (Chalcocondyles ἐν πλάτει Aladinum vocauit, quod nomen familiæ esse, suprà docuimus) auctoritate ei confirmaretur, cum summa laude ius dixit. Domicilium habuit, & posteri vsque ad Othomanum retinuere, Soguta, qui ad Mysiam vicus est.

Oguzalpes, ob paternæ virtutis memoriam in honore habitus, per vim tribus suæ imperium inuasit: cumque Græci seu Constantinopol. imperij prouincias aßiduis populationibus infestaret, breui maximam claritatem maximasque opes consecutus est.

Orthogules, patris ànimatus exemplo, non solùm in Asia, verùm etiam in Europa Græcorum prouincias terra marique vexat: quippe, qui eò potentiæ peruenerit, vt classem armârit. Iamque prædæ spe plurimis ad eum confluentibus, Soldano quoque virtus eius admirationi esse cœpit.

I. OTHOMANVS, superat fortunam principiò aduersam singulari

singulari animi magnitudine: populares liberalitate sibi adiungit. Ideo ab eis belli imperator contra Graecos declaratus, quia omnia feliciter gerebat, etiam GAIAZADINO *(hunc enim Aladini nomine intelligi suspicor) innotescit, ab eoq; inter Duces asciscitur. Caeterum eo vita defuncto, cùm proceres de successore granuiter discordarent, ipse trium consiliorum auctor fit: vt in mutuam gratiam redirent: vt contra Graecos bellum vrgerent: vt prouincias acquisitas sorte dispertirentur: ex eaq; sortitione Bithyniam cum alijs ad Olympum sitis regionibus adeptus, primus familiae suae* SOLDANVS *audit. Ergo regij nominis dignitatem regia potentia aequaturus, summa vi Graecos adoritur, & cùm alia oppida capit, tum Prusiam fame ad deditionem compellit, ac simul regiam, simul sepulchretum, seu Mausolei locum, deligit. Nominantur regni eius anni 28. & principium collocatur in annum Christi 1300. Chalcocondyles quoq; Ianuae, seu aulae (nam à Turcis Ianuam aulam dici, idem Chalcocondyles meminit lib. 2.) milites, id est,* IANIZAROS, *seu Praetorianos, stipatores inquam, siue corporis custodes, sub eo coepisse scripsit, & per omnia virum generosissimum extitisse, ait. Videbatur & istud è scriptore illo addendum elogium:* Cùm propter res suas, *inquit,* praeclarè administratas augustior homine, & quasi diuinus reputaretur, posteris reliquit insigne cognomentum, vt OTHOMANIDAE vocentur. *Meminit loci Otmanlik ad Olympum montem Busbequius, idq; Othomani receptaculum fuisse censet.*

N. N. filij duo à ὡνυμοι, ambo ab Orchane fratre trucidati.

II. ORCHANES, *inter fratres natu minimus, callidè patris Ducibus & familiaribus se insinuat: à quibus tempestiuè de morte eius edoctus, manum facit, & fratres, de successione inter se dimicantes, separatim inuadit atq; opprimit. Inde Lydiam occupat: Cappadociam ferro & igne*

M vastat,

vastat, Nicaam & Nicomediam deditione capit, & ANDRONICVM PALAEOLOGVM II. Imp. nunc latrociniis, nunc Marte aperto vexat. Quia etiam cum cateris Turcica gentis regulis parum ei conueniebat, ne coniungerentur, alios fœdere sibi associat, alios magis iniuriis opportunos bello infestat, & imperata facere cogit. Fuit in magistratu ann. 22. Vxor N. Iohannis Cantacuzeni filia.

III. Sulaimanes, seu SOLYMANVS I. vrsit maiorum in Gracos bellum: & latè per Asiam grassatus, in Europã traiicit, primùm Chersonensium, deinde reliquam Thraciam depopulatus. Aliquanto pòst pace cum Gracis facta, arma in Cralem & Vnglesem, fratres Triballas, seu Seruios vertit, & modico pralio fusus, hostem ex eo successu securum redditum per insidias opprimit & debellat, exindeq; cùm alia oppida, tum ADRIAPOLIN in potestatem redigit. Extinctus est morbo, & in Chersonesi isthmo inhumatus.

N. filius, forsan & ipse Solymanus nomine, moritur ante patrem, ab eoq; regia sepultura honoratur.

IIII AMVRATHES I. à fratris morte solus regno potitur, sic vt vtriusq; tempus censeatur à Chalcocondyle ann. 57. à nostris scriptoribus 23. Regiam ex Asia in Europã, nempe ADRIANOPOLIN transtulit. Meminit idem Chalcocondyles, bella trigintaseptem ab eo gesta. Vxor N. Susmani, regis, vt Chalcocondyles, Despota, vt alii, Moldauia filia.

Sauzes, defecit à patre, tum in Asia absente: Cumq; eo in Europã

α

Iagupes, alios nomine Solymanus, militauit patri cõtra ELEAZARVM, Seruia Despotam. Mortuo illo, cùm regnum BAIAZETHI fratri delatum esset, insidiosè in aulam euocatur, moxq;

β

V. BAIAZETHES I. surrogatur patri procerum studio. A celeritate in rebus gerendis cognominatus est à Græcis λαίλαψ, à Turcis Hilderim id est fulmen. In victoriis ipsius maximè Nicopolitana de

γ

α

regresso, deseretur à militibus, captus exoculatur.

Taures, exulauit apud Vngaros. Vide Chalcocondylē lib. 7.

β

comprehensus, strangulatur. Ac traditum est à Chalcocondyle, exinde supplicium istud in Othomanica familia editos solenne mansisse. Inoleuit etiam eodem exemplo consuetudo, vt ex Othomanis Soldani fratres è medio tollant, tum vt absq; æmulis regnent, tum vt Ianizaris seditionum & donatiuorū flagitandorum occasionem adimant. Consule Itinerarium Busbequij. Pertinet eodem locus Aeneæ Syluij pag. 339. Felicius apud Turcos priuatis, quàm Regibus liberi nascuntur. Addit ceu vatis paribus susceptis Bodinus, ista Othomanorum parricidia tandem imperio ipsorum ruinam allatura.

γ

SIGISMVNDO, tum rege Vngariæ, pòst Imperatore, celebratur. Scripsit etiam Chalcocondyles, Constantinopolin ab eo decennali obsidione fatigatam, cùm scilicet quinto anno ante Nicopolitanam victoriam incohata fuisset. Nam post biennium denuò eam interpellante TAMERLANE (Græcis est Temires) rege Tartarorum, qui pulsorum à Baiazethe Turcicorum regulorum defensionem susceperat, cùm tandem in eum profectus, & prælio victus, in hostis potestatem peruenisset, contumeliosissimè habetur, & ad mortem vsq; in vinculis detinetur. Incidit hæc eius clades & captiuitas in annum Christi 1397. regni, vt Chalcocondyles 25. vt nostri 26. Vxor N. ELEAZARI, Seruiæ Despotæ, filia. Quæ cùm Prusiæ capta in conspectu mariti pocillatricis munere fungi cogeretur, eius dedecoris metu apud Othomanos Soldanos introductum morem volunt, vt à coniugijs abstineant. Quod tamen quam fidem mereatur, ex ijs, quæ sequuntur, patebit.

Orthobules, præficitur à patre Sebastiæ vrbi: qua	VI. Iesus, qui & Iosua, vendicauit si-	VII. MVLSVMANES.	VIII. MOSES, dimittitur humaniter à TAMERLANE.	IX. Mechmetes, alijs MAHOMETES I. latuit Prusiæ apud artificē	Mustaphas, ambit regnū contra MAHOME-	Halis, euasit in fratrum laniena	Iesus minor, qui et Iosua, migrauit su-
δ	ε	ζ	η	θ	ι	κ	λ

δ

capta à TAMERLANE, & ipse in hostis potestatem deuenit: ac aliquantisper circumductus, de vita tollitur.

Zyches, fecit bellum Trapezunti. Vide Chalcocondyl. lib. 9.

Orcbanes, opponitur à Græcis puer etiamnum Mosi patruo æmulus: à quo captus, Constantinopolin elabitur. Nam ea demum expugnata à MAHOMETE II. præcipitio illum interijsse, Chalcocandyles scripsit lib. 8.

ε

bi regnum à patris calamitate, cùm proceres & milites superstites sibi conciliasset. Eo annis 4. potitus, MVLSVMANEM fratrem hostem accipit: à quo prælio victus, perimitur.

ζ

cæde Iosuæ regnum adeptus, Mosis rebellione & Ducum defectione id cum vita amittit.

η

Cùm deinde Mulsumani bellū fecisset, capto eo et necato, pro Soldano se gerit. Tandem MAHOMETIS armis oppugnatus, dū ob copias ad defectionem sollicitatas temerè in hostē prouehitur, dextram amittit: indeq; in fugam actus, & è latebris extractus, strangulatur.

θ

chordarum faciendarum. Inde ad ALVRIM Caramanum profectus, et exercitu instructus, varia fortuna cū Mose fratre certat: eoq; demū sublato, regnat ann. 12. Res ei fuit cū ISMAELE, Satrapa Sinopensi, & Venetis. Vicit etiam SIGISMVNDVM Cæs. ad Columbatium, Seruiæ oppidū. Vt Mustaphæ fratris conatus reprimeret, cum Græcis perpetuam pacē coluit. Filijs ante mortem regnū diuisit, Europæas prouincias Mustaphæ, Asiaticas Amurathi destinans.

ι

TEM: quo sollicitante, à Græcis in custodiam datur. Pòst inde eductus, & contra AMVRATHEM II. rex designatus, trienniū eam dignitatem retinet. Nam hostis artibus copijs exutus, & in fuga comprehēsus, strangulatur.

Dauid, exulauit diu in Vngaria, ibidem Christianus factus. Post patruelis AMVRATHIS II. mortem auxilijs Polonicis regnū inuadere studet, sed frustrà. Hæc Basilius Heroldus.

κ

Constantinopolin. Chalcocondyles lib. 4.

λ

cedendo Constantinopolin: vbi Christianam religionē amplexus, non multò post cedit è vita.

Irene, Georgij, Despotæ Seruiæ F. vxor.

X. AMVRATHES II. capeßit regnum ex ætatis prærogatiua, idq; administrat ann. 32. vt Chalcocondyles, 34. vt nostri scriptores. Oppreßis duobus Mustaphis æmulis, varia cũ populis et Dynastis finitimis bella geßit. In his maximè enituere Georgius Castriotus, cognomento SCANDERBEGVS, & IOHANNES HVNIADES, pater MATTHIAE, regis Vngariæ. Ad Varnam LADISLAVM regem, è stirpe Iagellonia, memorabili prælio vicit, ipso Ladislao in acie cæso, ann. Christi 1444. Perijt Adrianopoli, in conuiuio apoplexia extinctus, cùm nimiũ vino se ingurgitasset, vt Chalcocondyles. Hoc tempus Iouius refert ad mensem Nouemb. ann. Christi 1450. Idem IANIZARORVM ordinem hoc rege auctore cœpisse censet. Sed vetustiorẽ esse, è Chalcocondyle liquet, qui ante AMVRATHIS tempora paßim IANVAE milites & PEREGRINOS inculcat. Nam illo quidẽ nomine IANIZARI, de quib. idem præclarè lib. 5. pag. 90. b. hos CHARIPEDES intelligendi. Sic enim vocat ibidem, & addit: Isto nomine notantur, quòd ab Asia, AEgypto & Africa in Ianuas veniunt. Quod si etiam Ianizarorum nomen ad notionem reuoces, PRAETORIANOS sonant: nam Turcis IANVAM aulam dici, suprà in historia Othomani monuimus. Interim tamen fieri potuit, vt aucta iam Othomanici imperij potentia, Amurathes quoq; numerum Ianizarorum adauxerit, indeq; conditi à se ordinis illius famam excitârit. Plura de Ianizaris eorumq; decurijs, centurijs, stipendijs, Petrus Bizarus histor. Persic. lib. 9. pag. 213.

Maria, Sponderbei, nobilis in Pandectatia Satrapæ, vt Aeneas Syluius, filia, altera vxor.

Mustaphas, accipit à patre curatorem Aliazam, seu Halibaßã purpuratum.

Cum quo apud Caramaniæ regulum exulans, iam annos natus 13. à Græcis ad regnum euocatur. Nec multo pòst potentiæ confirmandæ causa in Asiam profectus, & ab Aliaza AMVRATHI proditus, strangulatur. Vxor N. nata N. Auria Genuensi, & Zampia, Manuelis Palæologi notha filia, vt Turcogræcia Crusij.

♄

XI. MAHOMETES II. informatur à matre Christiana in religiõe Christiana: pòst tamen Mahometanam ita sectatus vt neutrã ex animo amplecteretur, vnis tantùm bonæ spei bonæque fortunæ, tãquam certis numinibus, sacra faciens, vt Iouius lib. 14. Regnũ iniÿt ætatis ann. 21. quod à parricidio auspicatus est. Post triennium, id est anno Christi 1453. CONSTANTINOPOLIN expugnauit. Inde Belgrado infeliciter tentato, arma in Asiam conuertit. Nam ibi, solicitantibus Romanis Pontificibus, tam Christiani quàm Mahometani nominis Principes fœdere se aduersus Mahometem deuinxerant. Cumque ISMAELEM & DAVIDEM, illum Paphlagoniæ, hunc Trapezuntis, Reges, subegisset, deinde VSSVMCASSANEM, regem Persarum, magis tormentorum terrore, quàm militis virtute fundit. Mox eodem successu cum PIRAMETO Caramano, cum VValachis, cum Bosnensibus decertat: cùm iam antè PALAEOLOGOS in Peloponneso oppreßisset, & insulæ aliquot ei ceßissent. Grauiter etiam Venetos afflixit: SCANDERBEGVM,

♃

Aladinus, natu maximus, interÿt in venatiõe cùm ceruũ persequens, ex equo præcipitatus esset. Chalcocondyles lib. 7.

♂

Tursines, interficitur à MAHOMETE II. fratre, cùm ætatis ageret mensem decimũ octauum.

Calepinus, ætatis mẽse sexto itidem à MAHOMETE fratre ad necem petitur: fertur autẽ pro eo alius suppositus: itaque Constantinop. perductus, inde Rom. peruẽit: Vbi Calixto III. Papa autore Christianismo initiatus, Calixtus Othomanus vocari cœpit. Pòst ad FRIDERICVM III. Cæs. se deportat, & honorificè habitus, etiam possessionibus nonnullis donatur, vt Geufræus. Addit Basilius Heroldus, eum vxorem è familia Hochfeldiana duxisse, & in Germania consenuisse. Plura de eodem Aeneas Syluius pag. 400.

capitis

captis Croia & Scodra vrbibus, exulare coëgit: in Taurica Capham Genuensibus eripuit, & GOTTHOS, qui meridionalem eius regionis partem incolerent, in seruitutem redegit, gentis Principe supplicio affecto. Moritur in trium maximorum bellorum apparatu; nam Italiæ Achomatem, Rhodo Mesithen, purpuratos, immisit, ipse in Soldanum AEgyptium profecturus: iamq; Nicomediam vsq; progressus, colicis doloribus extinguitur, anno Christi 1481. regni 31. ætatis 53. Scripsit Iouius, excellentes in quauis arte homines Mahometem summopere dilexisse, inprimis verò operam dedisse, vt victoriæ, quibus potitus esset, à doctis & iudicio præditis hominibus conscriberentur, ideoq; Iohannem Mariam Vicentinũ, Mustaphæ F. seruum, maximis excepisse blanditijs, quòd victoriam de Vssumcassane in literas retulisset. Quin etiã omnium propè gentium Reges, rerum bello gestarum fama inclytos, versis in Turcicam linguam historijs, non modò scriptis, sed etiam imaginibus, excellenti pictura expressis, repræsentari sibi curasse. impetrato à Venetis ad id munus Gentile Bellino, pictore præstantissimo, vt grauibus exemplis magis ac magis ad extendendam famam accenderetur. Nec omitti hîc debebat, quod è Martino Barletio retulit eo libro HENRICVS RANZOVIVS, quem de Imperatoribus, Regibus ac viris illustribus edidit, qui artem Astrologicam amârunt &c. quoq; pro beneuolo & prolixo erga labores nostros fauore, nec obscuro patrocinio suscepto, instar τοῦ μνημοσύνου nos donauit, nempe Mahometem astrorum præcipuum obseruatorem fuisse, ita vt omnia acta agendaq; ad eorum cursum instituerit, tum figuram natiuitatis eius insignem felicitatem, & multiplices victorias, designare. De Turcici imperij reditibus huius Soldani temporibus Chalcocondyles in fine lib. 8. In bellis eius plus quàm trecenta mortalium millia perijsse, apud Iouium legimus. Habent etiam planè tragicum exemplum incredibilis & amoris & immanitatis eius in Irenen concubinam narrationes Italicæ & Turcogræciæ Martini Crusij. Ob captam Constantinopolin,

polin, imperij Orientalis sedem, & ipse & successores à nonnullis Imperatores nominantur: idemq; nomen vulgaris linguæ nostræ usus recepit. Alij addunt, introductum inde morem, vt successores tot Asperorum (monetæ id genus est) millia in imperij exordio Ianizaris dependant, quoti ipsi à Mahomete numerentur. Nimirum ei fermè contrarium, quem de Seuero Imp. retulit Dion: quippe qui principatus sui anno decimo congiario populo Prætorianisq; militibus dato, singulis tot aureos, quot annos imperasset, dispertitus sit. Meminit Chronicon Bergomatis, à Christianis magnum Turcum, meminit Geufræus, à Turcis BOIUC, id est, Magnum cognominatum. Et illam quidem nuncupationem etiam apud Aeneam Syluium pag. 848. item in recentiore Sleidani historia reperias. Ab alijs tamen traditur, TERROREM ORBIS vocari voluisse. Qua festiuitate & pompa filiorum circumcisionem celebrauerit, Chalcocondyles memorat in fine lib. 8.

Mustaphas, moritur ante patrem, in ipso iuuentutis flore extinctus. Vide Iouium in Baiazethe II.

XII. BAIAZETHES II. surrogatur patri absens, simul Ianizarorũ, simul generorum duorum studio, cùm fratrũ natu minimus esset, vt Bizarus: moxq; Constantinopolin progressus, facilè Corchuti F. pietatem, cui proceres pleriq; imperium detulerant, expugnat. Regnauit ann. 31. De bellis eius Iouij historia in medio est. Fertur à Philosophiæ studijs non alienus fuisse, Arabicis tamen doctoribus contentus, & inprimis Auerrois scriptis delectatus, vt Iouius lib. 14. Senectam habuit infelicissimam, cùm podagricis doloribus, tum filiorum se-

Gemes, alijs perperam Zizimus, vt Iouius lib. 2. Phil. Bergomati Zaylabus, Mechouio Zeliabg, certauit de regno cũ Baiazethe fratre, & omnia frustrà molitus, ad Rhodiæ militiæ Magistrum profugit. Ab eo in Galliam missus, & inde Romam traductus, demũ Carolo VIII. regi Galliæ, tum Neapolitanum re-

α

ditionibus grauiter excruciatus, tandemq; enectus. Docet verò Oratio exhortatoria ad Maximilian. I. Cæs. natos Baiazethe filios nouem & filias octo, ac harum quidem connubia addit, ex illis autem non nisi septem nominat. Nos igitur è Ionio & alijs Selymum adijciemus, & quæ in nominibus esse videtur discrepantiam conciliabimus.

β

gnum cum exercitu petenti, & bellum Turcicum iactanti, redditur: nec multò pòst seu catarrho, vt Bergomas, seu veneno, quod Alexander VI. Papa ei propinasset, vt alij, perijt: & cadauer FRIDERICI, regis Neapolitani, iussu Constantinopolin deuehitur. Meminit Alciatus, quamuis exulem, & grauißimis curis oppressum, tamen gentis suæ historiam descripsisse.

Zizimus, vixit in Rhodo insula. Quæ à SOLYMANO capta, cùm post diligentem inquisitionem cum duobus filijs & totidem filiabus in hostis potestatem peruenisset, rogatus an Christianus esset, esse se, & in illius religionis professione mortem se obire velle respondit. Itaq; cum filijs necatur, filiabus Constantinopolin mißis. Fertur autem Leo X. Pontifex Rom. in animo habuisse, eum cum Christiani nominis copijs aduersus Turcos ablegare in Vngariam, & creditum fuit, multos ad eum transituros fuisse. Verùm hoc consilium morte Leonis inneruum erupit.

II

N

Maho-

II

Mahometes, Satrapa Amasiæ, interijt cũ fratribus quatuor, Sciãsciaco, Amurathe, Hali & Alemsciaco, ante patrẽ morbo. Auctor Iouius lib. 13.

Zilibus, Basil. Heroldo Moses.

CORCHVTVS, puer annorum 12. datur auo successor ob militum tumultum, et quòd Constantinopoli præsens esset. Mox tamen patri aduentanti & solicitanti regno cedit, iussus suo tempore instar depositi repetere. Qua spe cùm partim patris inconstantia, partim SELYMI fratris scelere excidisset, ad necem quæsitus, & agricolæ indicio proditus, vsitatum Othomanæ domui supplicium subit. Vixit totus in Philosophiæ & Mahomet. Theologiæ studijs. Ante mortem carmen conscripsit, quo diras & vltrices furias SELYMO imprecaretur.

Sinã, Iouio Sciãsciacus.

ACHOMATES, à patre successioni destinatus, dum eam vrget intẽpestiuius, & tandem vim adhibet, hostis iudicatur, & SELYMO ad imperiũ aditũ patefacit. A quo victus & captus, de vita tollitur.

Amurathes, Satrapa Trapezuntij.

Halis, Satrapa Caphæ in Taurica.

Hallamassach, Iouio Alemsciacus

Osarnes, Bizaro Orchanes.

XIII. SELYMVS I. vi & astu, cùm fratrũ natu minimus esset, regnũ acquirit. Plenius de eius rebus gestis Iouius. Regnauit ann. 8. vixit 46. mortuus mense Septẽbri ann. Christi 1520. Aui MAHOMETIS historiarum studium ita æmulatus fuit vt secretiores horas euoluendis maiorum suorũ & externorum regum annalibus impartiretur.

Mahometes, frustra ab ACHOMATE patruo

Aladinus, capitur & dimittitur cum fratre

Amurathes. Aladinus. Ambo euasere è paterna clade: sed

α β γ δ

α

in pantes solicitatus, & post infelicem pugnā captus atq; in custodiam datus, SELYMI odio dimittitur: A quo postmodo strangulari iussus non perit inultus, cùm ætatis annum ageret 21. iuuenis specie corporis & animi vigore præstantiss. vt Iouius.

β

ab ACHOMATE; & mox SELYMI sæuitia eodē cum illo & patruelib9 duobus supplicio afficitur. Habet nomen illius Basil. Herold. res gestas Iouiq

γ

disiuncti, Amuratbes hospitium reperit apud HISMAELEM Sophum, regem Persarum, ibiq; multos annos mā sit: Aladinus ad CAMPSONEM Gaurum, Soldanum AEgypti, profugit, ibiq; febribus interiit.

δ

Auctor idem Iouius lib. 14. Pugnæ cum Sopho picturam fertur ipsemet Venetias misisse: extatq; ea in palatio publici consilij. Vxor N. Mahometis, regis Tartarorum Præcop. filia: qua editus.

XIIII. SOLYMANVS II. habuit pueritiæ moderatorem Pyrrhum Bassam, virum prudentissimum, æqualem ἡ συνέτροφον HABRAYMVM, vtrumq; Iouij historia celebratum. Patri suffectus, quod fuit anno Christi 1520. cùm ætatis annum ageret 28. vt Geufræus, 22. vt Bizarus, sequenti anno Belgradum, Vngariæ propugnaculum, occupat. Mox eodem successu RHODVM debellat. Denuò Vngariam adortus, LVDOVICVM regem fundit fugatq;. Pòst etiam, contendentibus de successione FERDINANDO Austrio & Iohanne Sepusio, Vayuoda, Vngaria transcursa, ad Viennā Austriæ accedit, eamq; grauissima obsidione infestat. Ceteræ eius res gestæ cùm ab alijs tum à Iouio descriptæ sunt: nam huic auctori, celebritatis eius fama motus, multum detulisse perhibetur. Postremam expeditionē suscepit aduersus MAXIMILIANVM II. Cæs. Dumq; hæret ad Zigethum, antequam id expugnaretur, dysenteria moritur 3. Non. Septemb. ann. Christi 1566. regni 46. Aiunt antè etiam epiplepsiæ paroxysmis, item apoplexiæ, podagræ & gangrenæ obnoxium fuisse. Annuorum redituum eius Iouius in historia de vita ipsius summam fecit sexagies centena millia

aureorum. Et lib. 14. inde sumptum omnem ita factum ait, vt quarta pars redundare soleret, ideoque Constantinopoli septem in turribus argentea aureaque moneta inaestimabiles cumulos reconditos. Addit praeterea in eadem de Solymani vita historia, accepisse se ex hominibus fide dignis, Solymanum saepius dicere solitũ, Romae ac totius Occidentis imperiũ ad se pertinere, propterea quòd ipse Imp. Constantini, qui Byzantium imperium transtulit, legitimus successor sit. De qua barbarica iactantia & ambitione locuples & erudita extat MATTHAEI VVESENBECII disputatio ἀντίστροφος ἢ ἀνασκευή, adiecta Orationi eius de Gabriele Mudaeo. Scripsit Antonius Geufraeus, singulis septimanis ter corãm Solymano historias maiorum legi solitas, sic vt non passus sit, vllum ijs inseri mendacium, ipsi quidem cognitum, sed solum verum purum & nudum exponi voluerit. Constat etiam, Turcicam nationem sub hoc Soldano multum barbariei exuisse. Quare hinc illa ludorum litterariorum Constantinop. frequentia, quam plerique prodiderunt. Liberi ei nati è ✱

✱ *Circhasia vxore, vt Iouius lib 40. Bosporana concubina, vt Busbequius.*

✱ *ROXOLANA, vt Iouius & Busbequius, Rosa, vt Moffanus, primùm concubina, deinde iusta vxore.*

Mustaphas, vocatur hoc nomine ob Mustapha, MAHOMETIS II. F. memoriam, vt Iouius in Baiazethe II. Ibidem maxima pompa circumcisum, ait, ann. Chr. 1531. aetatis 22. De interitu eius, qui incidit in ann. Christi 1553. extat narratio Nicolai Moffani Burgundi, & repetijt in itinerario suo Busbequius. Habet etiam de eadem historia discrepantes sententias Petrus Bizarus rerum Persic. lib. 11. Quibus addantur, quae Natalis Comes disseruit li. 7.

Etsi quæ auctor hic lib. 4. de Baiazethe, filiorum Solymani natu maximo, inculcat, repudiamus, & potior hic MELCHIORIS SEIDLICII, nobilis Equitis Silesij, testis nimirum αὐτόπτου, ducenda fides.

Mehemetus, educatur à patris morte Prusiæ, ibiq; Rosæ scelere, eodem, quo ille, letho perit, vt Busbequius. Nomen historiæ Natalis debemus: nam vt de cæteris variet, inde peti satius fuerit. Habet etiam aliud Martini Crusij epistola, de qua infrà.

Mahometes, Ionioli, 33. & iterũ lib. 40. perperam Baiazethes, moritur in Caramania ante Mustapha interitum, matris artibus iam successioni destinatus.

XV. SELYMVS II. declaratur à patre viuente regni successor. Ob ingeniũ stupidũ, & vini vsum (is enim Mahometana lege interdicitur) vulgo minus gratus, à Baiazethe fratre bello petitur, anno Christi 1559. vt Melchioris Seidlicij itinerarium. Cumq; in eo bello ambiguo Marte certatum esset, patris opera ei regnũ conseruatur. Quod à morte illius

Baiazethes, collegit singulare populi & procerum gratiam, quòd indolem præ se ferret egregiam: dumq; è SELYMI successione Mustapha casum metuit, bellum illi facit. Quod eo exitu gestũ, vt cùm pater etiam in eum arma cepisset, ad TAMMASVM, regem Persarum, profugerit, ab eoq; patre solicitante, peremptus sit. Neptem ex eo superare, quæ Venetijs degat, scripsit ad me paulo ante mortem IOANN. SAMBVCVS, Consiliarius & Historicus Cæsareus.

Giangir, cognomẽto Gibbosus, consciuit sibi necem post & propter Mustapha cædem.

Chameria, vxor ROSTANIS Bassæ.

primùm Constantinopoli, deinde solenni exercitus, cui Zigetho redeunti obuiam processerat, acclamatione in castris ad Belgradũ adit. Regnauit ann. 8. mortuus penult. die Nouemb. vt Bizarus, 9. Decemb. vt Crusius, 1574. Ferunt, nescio quos diuinos hoc imperij tempus ei prædixisse. Quod cùm breue ipsi videretur, solitus est dicere, voluptatibus impendendum esse. Ergo vino & venere exhaustus, febre extinguitur. Vt tamen interea per legatos Venetis Cyprum, Hispanis Gulettam eripuerit, Petri Bizari & aliorum docent historiæ. Geniti SELYMO fuere è Concubinis. ✻

✻ 1. Humacaduna.

XVI. AMVRATHES III. in imperio successor, tũ ætatis ann. agẽs 27. De eius in fratres parricidio, ingenio moribus, corporis specie, bello Persico, extãt epist. FRANCISCI BILLERBEGI, scripta ad D. Chytræũ: quibus addatur Petri Bizari & altera Henrici Porsij historia Persica, item quæ habet Turcogræcia Martini Crusij.

— Cricassa, Natolica, seu Asiatica.

✻ 2. Machidura Circassa.
Mahometes. Aladinus.

✻ 3. Aynulhaiata Græca.
Ecigangir. Abdullais.

✻ 4. Giulale Græca.
Solymanus.

Hi omnes eodem tempore AMVRATHIS III. iussu strangulantur, nempe M. Decemb. d. 13. ann. Christi 1574.

Mahometes, circumciditur maxima pompa, præsentibus legatis Imperatoris, item Galliæ, Poloniæ, Persiæ regum, & Senatus Veneti die 7. Iunij, anno Christi 1582. ætatis decimo quinto, vt alij 16. alij etiam 17.

Selymus, nascitur 8. Ianua: 1579. vt è Solomonis Schweigkeri itinerario Martinus Crusius.

Cæterum hîc corollarij loco indicandum duximus, diu nos, quod AMVRATHIS III. mater nomen, quam patriam habuerit, expiscari à nemine potuisse. Tandem Constantinopoli quodam Bapho Veneto natam, indeq; pro Veneta habitam, & à ciuibus eius reipub. cultam, monuit me per litteras IOANN. SAMBVCVS. Adhæc superiore ann. 1583. vita defunctam, relictis duobus millionibus auri, quorum alterum filio, alterum egenorum vsui legârit, cognoui è Martino Crusio, Acad. Tubingensis Professore primario, ad quē tam Venetijs quàm Constantinopoli perscriptum esset. Idem recentiore epistola quadam de nomine eius scrupulum exemit, tum alia significauit, quæ historiæ huic miram afferre lucem posse arbitratus sum. Quare eandem epistolam subijcere placuit: quippe quæ simul de necessitudine nostra testificatio publica esse possit. Vnde vt familiariter ad familiarem exaratam legi volumus. Quæ, ἐπιγραφὴ ἐγκωμιαστικὴ è nostri temporis consuetudine formata, ad hunc modum se habet.

Clarissimo viro, Reinero Reineccio, Historicorum φωστῆρι, amico suo colend.

S. Septimo Iulij litteras è Constantinopoli D. Gerlachus noster accepit, in quibus ad quæstiones tuas responsum fuit. Sed redegi ad pauciora verba, rem omnem retinens. Erant autem litteræ illæ, forsan secundum Gregorianum Calendarium, 30. Iunij scriptæ.

1. Nomen filij Mustaphæ, quem pater Solymanus occidit, fuit Murates.

2. Ma-

2. Mater præsentis Sultani, Muratæ, appellata fuit Huma Cadun. Hæc 29. Nouemb. 1583. diem suum obijt, & propter virum suum Selymum (vbi & quinq; strangulati fratres Muratæ iacent) sepulta est. Sie hat für einem Jar/ gerade gegen der Wohnung vber Legati Cæsaris nostri, ein herrlich Gebew/ alß nemlich zwey unterschiedliche Beder/eins für Manns personen/das ander für die Weiber/ an dem ort/ da zuuor Balbierer Leden/vnd eines Begi Hauß gewesen/ aus jrem Seckel mit vnseglichen vnkosten angefangen/ Aber sein vollendung nicht erlebt/ sondern man bawet noch jmmer fort dran.

3. De nece Baiazethæ, Sultani Solymani F. res ita se habet. Is Baiazethes, cùm vnà cum quatuor filijs (quorum nomina, Homar, Murat, Selim, Mehemet) in Persiam ad Schah Tamas, tunc Persis imperantem, profugisset, pater Solymanus, metuens ne nouis rebus contra se studeret, à Schah Tamas litteris petijt, vt eos, gulam chorda elidens, necaret. Illo hoc se facturum promittente, Solymanus metuens, ne alios pro ipsis necaret, eos conseruans, misit quendam Zesnehierum (dapiferum ea vox significat) Selim nomine, cui Baiazethes & filij de facie optimè noti erant, ad Persam Casiminium (regia hæc est Persicorum Regum) vbi tunc Baiazethes tenebatur, exploratum, verusne esset ille Baiazethes cum filijs. Qui cùm rediens, veros esse nunciasset, Solymanus eodem dapifero in Persiã remisso maxima cum vi auri, à Schah Tamas obtinuit, vt Baiazethes & filij in conspectu eiusdem Zesnehieri strangularentur. Quorum cadauera idẽ Casiminio Seuas, siue Sebastiam, Cappadociæ vrbem, detulit, ibiq; de more Ottomanidarum humauit. Hæc in præsentia. Habeto & hoc. Hieremias Patriarcha no-

ɫurno

ĉturno tempore è Patriarchio extractus, catena collo iniecta, per vrbis vias ductus est, ludibrijs læſus, bonis omnibus exutus: poſt durum deniq; carcerem Rhodum in exilium miſſus. In quas calamitates eum Græcus quidam, cuius vxorem ille diuortio ab eo ſeparârat, Turciſmum (eius vlciſcendi cauſa) amplexus, calumniando apud Sultanum & Purpuratos coniecit. Nam idem Patriarcha cõmunicatis cum Pontifice Rom. conſilijs, eiq; per legationem Romæ adulatus, etiam καινεχέηγερτον ἡμερολογίαν eius receperat. Sed iratus maximè Sultanus abrogauit. Succeſsit ei paucorum complicum opera quidam, qui annis aliquot antè caupo fuerat, poſtea autem Cæſarienſem Cappadociæ Metropolitam egerat. Is nunc Peſceſium, vt vocant (penſionem nimirum, quã nouus Patriarcha Sultano perſoluere ſolet) ſex millibus ducatorũ auxit: atq; etiam alia duo millia Sultano, nec Purpuratis etiam nihil dedit. Fertur homo indoctus eſſe, ſed nec alijs dotibus, tantæ dignitati neceſſarijs, ornatus eſſe. Nec verò in Patriarchió, ſed in Seraglia (porta Ottomanica) creatus eſt, ſine vſitatis τῆς χειροτονίας cæremonijs. Itaq; dici nõ poteſt, quãtũ homines in iſto ἀνδραπόδῳ cauillentur. Sultanus quoq; recenti tẽpore ampliſsimã Tartariæ regionẽ incredibili celeritate ſucceſſuq; duobus Regibus, Meſſemet & Gerai, & alterius duobus filijs (tertio ad Circaſſos elapſo) interfectis, occupauit. Quapropter magna acceſsione populoſæ gentis auctus, magnos ſibi ſpiritus ſumit: Iberiamq; & Perſiam ſpe deuorans, nobis formidabilis imminet. ὁ κύριος αὐτὸν ἀναχαιτίσειεν, ἢ μεῖζον καταθραύσειε. Benè vale. Salutat te Gerlachius noſter. Tybingæ 12. Iulij 1584.

ὁ σὸς μαρτῖνος ὁ κρούσιος.

O Reli-

Reliquarum SELYMI II. concubinarum, vt & ijsdem procreatorum filiorum, nomina habet in lucem edita charta & pictura Germanica : nam alias de historia illa expositiones nondum videre mihi contigit. Iam quòd ad Mahometis, filij Amurathis III. Circumcisionem attinet, de ea alia aliorum extant narrationes, nonnulla etiam populari lingua euulgata. Ac fertur in eodē tempore Constantinopoli peregrinatus fuisse Illustriß. Anhaldinæ familiæ Princeps, CHRISTIANVS, Ioachimi Ernesti F. comite & aulæ magistro vsus ADAMO SCHLIBIO, Equite Marchico, & Electoris Brandeburg. Consiliario, viro doctrina, moribus, sermone, perelegante, & suis ipsius non modò per diuersas Europæ regiones, verùm etiam per Africam & Asiam obitis peregrinationibus per quam celebri & claro. Repeto etiam de AMVRATHE III. de eo ex Italia ad IACOBVM MONAVIVM, patricium Vratislauiensem, scriptam epistolam, ab eodemq́ pro singulari necessitudine nostra mecum communicatam, itidem Soldani huius ingenium egregiè repræsentare. Ideo non potui non & istam hîc inserere.

Imperator Turcicus ex casu illo grauissimo ita non corpore modò, sed animo etiā affectus vehementer fuit, vt planè se colligere nondum potuerit. Nam quòd nuper se ostendit populo, id coactus fecit, vt periculum auerteret, quod à suspicione mortis ipsius imminebat. Omine ille quidem territus, animoq; abiectus, seriò nunc de pace, cum Persarum rege reconcilianda, dicitur cogitare, præsertim cùm videat Sacerdotum suorum vaticinia euentu ipso comprobari, eodemq; propè tempore cladem suis ingentem, sibi exitium casu funestissimo tantùm non allatum esse. Prædixerant autem boni isti viri, hoc ipsi bello feliciter nihil successurum, quod inauspicatò adeò, missis Christianis, ad iustam vindictam opportunis

portunis, in Mahumetanos gereretur. Tam præclaris verò vatibus quantum tribuat, ostendit id, quòd mensibus superioribus, vnius sacrificuli suasionibus adductus, Iudæos omnes, qui tum Constantinopoli essent, interficere statuerat. Historia inueterata, nescio tamen an vobis cognita, in hunc ferè modum narratur. Sacrificulus ille ex offensa, nescio qua, Iudaico nomini infensissimus, persuaserat Turcæ, Iudæos, contemta ipsius maiestate, atq; conculcata, nefarios de ipso rumores spargere, nec solùm regni administrandi imperitum, sed stultum etiam & insanum appellare, qui regnum, virtute maiorũ suorum & sapientia quæsitum, stultitia & ignauia sua præcipitaturus esset. His ille auditis, cùm verissima crederet, tanta in Iudæos ira atq; indignatione exarsit, vt negotium præfecto Ianizarorum dederit, omnes ad vnum interficiendi. Hic qui Imperatoris sui iussa detrectare non auderet, & matris tamen eius offensionem extimesceret, quam singulari in Iudæos animi propensione esse non ignoraret, dubius aliquandiu quid ageret, custodias deniq; Iudæis circumponit, ipse ad mulierem properat. Hæc ex illo rem omnem vbi cognouisset, differri mandati executionem iubet, ipsa nocte intempesta ad filium accurrit anxia atq; anhelans, fractaq; & lamentabili voce: Heu, inquit, fili mi, quàm vereor, ne aliquid in te admiseris, quod tibi regnoq; tuo perniciem afferat, quod omen tamen Deus præpotens auertat. Pater ecce tuus in somnis mihi apparuit, paulò antè quàm huc venirem, & vtraq; manu in collum meum iniecta, fauces ita arctè ac vehementer mihi constrinxit, vt spiritum omnem interclusurus videretur. Ego ostento & miraculo territa, nihil prius habui, quàm vt te viderẽ, & saluane sint omnia,

ex te cognoſcerem. Angit autem vehementer metus, quem vtinam inanem fuiſſe res ipſa, ſpeq; mea euentus melior, doceat. Perculſus Turca rei nouitate, conſilium ſuum & mandatum fatetur de Iudæis, præfectum reuocat, ex eoq; cognoſcit, ꝓximè abfuiſſe, vt iuſſa eius executioni darentur. Ibi tum illa: Nunc verò Deum non tam iratum nobis, quàm propitium video, Qui etſi permiſit, vt tam aliena à clementia tua & iuſticia cogitatio in animum tuum incideret, tam diro tamen vt te facinore obſtringeres, noluit. Huic igitur ante omnia gratias ago, teq; per cariſsimi patris tui manes obſecro, vt diuinitus ab eo admonitus, conſilium nō Iudæis, ſed tibi Imperioq; tuo funeſtiſsimum, ad rem ſi cōferatur, penitus abijcias. Victus Turca precibus & obteſtationibus maternis, vt eſt ad omnem ſuperſtitionem pronus, manus dat, mandatum reuocat, nec iram tamen in Iudæos omnem dimittit. Paulò enim pòſt Conſtantinopoli eos eijcere voluit, rem tamen antè cum ſummo Pontifice ſuo cōmunicauit. Qui cùm aliter id fieri non poſſe ex lege Mahumetis reſpondiſſet, quàm vt omnia ipſis tributa redderentur, quæ ipſi & maiores eorum ab ea die ſoluiſſent, qua primum in fidem Turcici Imperatoris, & in vrbē illam, recepti eſſent, quieuit, cùm religione tum intolerabili ſumtuum magnitudine abſterritus. Quidam in eodem periculo tum fuiſſe Chriſtianos, aiunt, qui Conſtantinopoli degunt, ijſdem criminibus accuſatos. Vel ex hac vna re quo Barbarus ingenio, quibus moribus præditus ſit, conſpicitur. Iudæi hiſtoriam hanc veteris Teſtamenti miraculis annumerāt, de ea tamen inter paucos & timidè commemorant. Rem non fictam etiam Chriſtiani affirmant. Chriſtianus quidam, qui annos 15. in ſeptis Conſtantinopol. regijs ſerui-

tutem

tutem satis liberalem seruijt, & ab hoc ipso Imp. Turcico manumissus fuit, multa narrat, ex quibus mollem eius & effœminatum animum facilè perspicias. Nouo & inusitato inter Turcarum reges exemplo vni tantùm ex ijs, quæ concubinarum nomine censentur, ait esse deditum, sed ita impotenter, vt eius penè amore insaniat. Nunquam autem in amplexus eius venire, nisi sanè quàm humiliter ab ipso inuitata annuat: Cùm decessores ipsius noctem cuius vellent, eius humeris linteolum pro imperio inijcientes, consensum nullum expectarent. Herba nescio qua condita vtitur ad animi læticiam adaugendam, quæ tamen cerebrum verberans, quo iam antè ex epilepsia nimium est imbecillo, potius ei officit. *Hactenus epistola Italica.*

Postremò adijcere visum fuit in effigiem Amurathis III. Henrici Porsij epigrammata duo: quandoquidem is itinere Byzant. suo visum à se profitetur. Ea verò Epigrammatum ipsius lib. 2. talia legimus:

Non oris tibi torua, nec est truculentia morum,
 Nec tua sæuitiam facta referre solent.
Attamen ad meritas reuocas quoq; crimina pœnas,
 Curaq; iusticiæ fertur inesse tibi.
Vis te plus laudem? Non te crudelia coràm
 Martis, sed Veneris mitia bella iuuant.
Penè oblitus eram generosum dicere temet,
 Augendi generis nam tibi feruet amor.

Item.

Mite tibi pectus tribuunt, exemplaq; dicunt
 Maiorum exemplis te dare sæua minus.
Sed qui sub regni subitò primordia quinq;
 Sustuleris fratres, mitis habendus eris?
Turcus ad hæc aliquis: Deus est, quem credimus, vnus,
 Et Rex, qui nobis imperet, vnus erit.

APPENDIX IN CAPVT XVI.

De regione, vbi prius Tartari habitabant) *Traduntur hoc capite & sequentibus aliquot Tartarorum primordia, & primi Imperatores, seu CANES: nam istis nominibus auctor vtitur: hoc è Tartarica lingua, illo è Romana consuetudine petito. Quòd autem Tartaros principiò MOGLOS vocatos ait, eo non obscurè antiquissimam gentis originem denotari sentio. Est enim à MAGOG, filio Iapheti, nec ambigam, inde nomen MOGLI ita mansisse, vti etiamnum Turcos à Persis MOGORES appellari, suprà meminimus: Cùm Garcias ab Horto lib. 2. cap. vlt. Tartaros quoq; Mogores nominari scribat. Nam ambæ gentes eiusdem stirpis sunt. Qua de re itidem suprà oracula ex Ezechiele vate & Apocalypsi attulimus. Suffragantur etiam Laonici Chalcocondyl. expositiones lib. 1. suffragatur Mechouius lib. 1. de Sarmatia ca. 15.* Quod Turci, *inquit,* propago & soboles sint Tartarorum, identitas morum, loquelæ & pugnandi demonstrat. Nam habitum modumq; equitandi, & curtè insedendi, sagittis quoq; & arcubus pugnandi, eundem habuerunt, & nunc vt plures habent cum Tartaris. Sermonem etiam & linguagium Tartarorum cognatum habent: non differt loquela Tartarus & Turcus, nisi modicè, velut exemplariter diceretur, sicut Italus & Hispanus, vel Polonus & Bohemus. *Hæc ille. In quibus tamen, secundum orationis genus incultius, notandum, quòd Turcos à Tartaris propagat, cùm illi non hi primùm innotuerint. Rectius ergò creditur, originem Turcos & Tartaros communem habuisse. Quod alij præterea Tapyrorum montium, alij gentis Tapyraorum in Scythia intra Imaum nomen ad Tartaros accommodant, propterea quòd à finitimis non Tartari, sed Tatari nuncupentur, id totum in medio relinquo. Etsi non dubito, & gentem & appellationem Tartarorum veterem esse. Ac magis probarim coniecturam, si cui à Plin. lib. 4. cap. 12. TRACTAROS dici placeat. Idem enim & Turcorum meminit li. 6. ca. 7.*

Et ele-

Et elementorũ duorum simul epenthesin simul metathesin facilè vel enunciationis diuersitas, vel librariorũ incuria gignere potuit. Forsan etiam ad Tartaros alludit nomen TACHARI apud Strabonem lib. 11. vt Pachymerius lib. 2. eosdem Tocharos dixit. Estq́; memorabilis Nicephori Gregoræ locus lib. 2. vbi de Scythis (id nomen de Tartaris accipit) explicans, seq́; mirè inuoluens, hoc rectè subijcit: Propriam suam appellationem ipsi vtiq; sua lingua norunt. Qui verò Græcis nominibus eos appellant, aliâs aliter, quippe suo arbitratu, illos vocant. *Sed de his hactenus. Nunc id sciatur, Tartaricos Imperatores, quos ab Haythono CANES appellari diximus, à Marco Paulo Veneto, scriptore paulò vetustiore, & vulgari consuetudine, MAGNOS CHAM nuncupari. Adhæc idem Paulus Venet. nomina nonnihil variat, & plura numerat. Quæ nostra ea de re sententia sit, procœmio ostendimus. Hoc saltem repetendum erat, cùm Haythonus MANGONEM Gini propinquum faciat, rectè à Paulo Veneto patrem eius, Gini verò fratrem, ALLAVM regem credi posse. Enimuerò CHALAVM (nam ita vocat) Gregoras etiam celebrauit lib. 2. vt ex eodem Sitzichan sit HOCCOTA Can, Telepugas BAYDO. Sed & aliud, & quidem maioris momenti hîc dubium relinquitur de familia Changiana vsq; ad GINVM deductione. Etenim Speculum Vincentij tam ab Haythono, quàm à Paulo dissidet. Nec conciliari posse sentio. Venit ergò in mentem distinctè subijcere, vt lectori de singulis iudicium integrum esset. Nam quod attinet ad eam & nouam discrepantiam, quam de Gino Itinerarium Monteuillani habet, sic vt illum Hoccotæ fratrem faciat, repudiamus. Nec de Baty, seu Baydonis posteritate melius Mechouius lib. 1. cap. 8. Qua de causa auctor is mox cap. 16. sententiam hanc retractare, & quod aiunt παλινῳδίαν canere videtur. Ac rectius quidem de Baydonis successoribus sequimur Sigismund. Herberst. pag. 8 94. & seq. Eiusdẽ præclaræ sunt de Cazanẽsibus regibus, itidem Tartaricæ stirpis, expositiones pag. 97.*

vsq;

vsq; ad 106. Vbi simul regum Præcopitarum, seu Tartarorum Tauricæ, historia immiscetur, vti rursus pag. 108. & seq. duabus. De iisdem Mechouius cap. 16. vbi tamen alio nomine Vlanos vocat. item Alexander Guagninus. Aiuntq; hoc vertente anno 1584. tandem à Turcis debellatos, duobus regibus cæsis, & tota Cherso-neso Taurica in prouinciam redacta. Sed reducatur modicè ex-currens descriptio nostra ad suam quasi metam de familia Chan-gianæ stemmatis. Quæ ad hunc modum sese habent.

STEMMA FAMILIAE Changianæ è Speculo Vincentij.

- I. CHINGISCHAM, primus Tartarorum Imp. circa annū Christi 1187. — N. filia Dauidis, regis Indiæ.
  - II. OCCODAI.
    - III. CVYNE.
    - Coθen.
    - Chyrenē.
  - Thosut, Mechouio lib. 1. cap. 8. Iecuchan.
    - BATY, Tartaricorum Ducum, secundum Imperatorem, potentissimus, Mechouio ibidem alio nomine Zaincha, & Sarracenicæ religionis apud suos auctor.
    - Ordu.
    - Siba.
    - Bora.
  - Thiadai.
    - Sunthurin.
    - Cadan.
  - N. filius ἀνώνυμος.
    - Mengu.
    - Bathat.

ALI-

ALIVD EX HAYTHONO & Paulo Veneto.

I. CHANGIVS, Paul. Venet. Chingis.

II. HOCCOTA, Paul. Venet. Cut.

Iocbis. *Baydo.* *Gobadais.* *III. GINVS. Paul. Venet. Barchin.* *IIII. ALLAVS, nominatur à Paul. Venet.* *Naiamus. Idem Paul. Venet. lib. 2. cap. 2. et seq.*

*** *Capar. Dorax. Haythonus cap. 20. et 47.*

*** *Tochai. Idem cap. 21. et 47.*

*** *Barachi. Idē cap. 22.*

¶ *Caydus, sociꝰ Naiami. Paul. Venet. ibid.*

V. MANGO. *VI. COBILA, Paul. Veneto Cublai.* *HAOLONVS, rex Persidis, Syria & Turcia: nam victo BARCATO, Baydonis F. & hac prouincia illi posterisq; accessit. Monteuillano est Hollo Can.* *Cigatais. Paul. Ven. lib. 1. cap. 39*

Chingis, moritur ante patrem. *Mangala. Paul. Ven. lib. 2. cap. 32* *Essentemur. Idem lib. 2. cap. 39* *Cogracamus. Idē lib 2. cap. 40.*

VII. TEMVR, Haythono cap. 47. Tamor.

ABAGA. *Mangodanior.* *Tangodor.*

ARGONVS. *Regayto.* ¶ *Baydo, agnatus & hostis CASANI.*

CASANVS. *CARBAGANDA.*

Porro autem ab hoc CARBAGANDA reliquos Tartaricos in Perside reges propagatos volunt. Nam quòd nonnulli GEMPSAE, Parthorum Soldani, familiam inserunt, & ita inserunt, vt ortum ab eodem astruant seu Malaonchrem, seu Demirem, seu Genusam (sic enim regis istius nomen variatur) quo caso Persiam occupârit VSSVMCASSANES, ab ea assertione discedimus. Interea tamen Tartari etiam Imperatores, seu magnos Cham, retinnere. Nam Aeneas Syluius Nicolaum Venetum, σύγχρονον suum celebrauit, qui in Cathaium profectus, apud Imperatorem se fuisse, affirmârit. Et à Sabellico sua ætatis NOGAIS, à Barone Herbersteinio BEBEID nominantur. Etsi seriem eorum integram nondum habere potui. Quin etiam reperias, qui TAMERLANEM (Chalcocondylæ Temires est, Garciæ ab Horto lib. 1. cap. vlt. Temirham, cùm quidem is subiungat: Hunc nos corrupto nomine Tamberlanem vocamus, nonnulli Tamerlangue, idq; melius, quòd Tamir proprium eius nomen fuerit, & langue claudum significet, quemadmodum ipse erat *&c.) Cobila natum existiment, vti Mechonius eidem Baydonem patrem astruit. Verùm maior Chalcocondylæ deberi fides videtur, qui Tamerlanem non filium sed hostem regis Cathaynæ (hoc nomine magnus Cham intelligendus) faciat. Obuenit ergo Persidis regnum Tamerlani per matrimonium, vt idem Chalcocondyles. De quo ipso regno vt minus dubitare possimus, etiam Germanica historia Schilspergeri, qui eo tempore vixit, confirmamur. Sed iam ad Tamerlanis familiam pergamus, ita tamen, vt nomenclatione contenti, res gestas extremis tantùm digitis, quod aiunt, attingamus.*

SANGALVS, VIR PLEBEII GEneris & ignobilis.

Temires, qui & TAMERLANES, è pastore latro, è latrone exercitus ductor, & tandem Rex potentissimus factus.

diuer-

diuersis & maximis bellis victorijsq́ inclaruit. Cepit enim BAIAZETHEM *I. Soldanum Turcorum, & contumeliosissimè habitum, vsq; ad mortem in vinculis tenuit. Fertur etiam ad Africa & Europa imperium aspirasse: cùm dici & haberi vellet,* IRA DEI ET TERROR ORBIS. *Nam verè in ipsum quadrat, quod legimus apud Pachymeriũ lib. 6.* Quidam, *inquit,* professus est, se à prouidentia destinatum esse ad vlciscendas numinis iras, & profanos homines mulctandos. *Hæc ille. Vxores* TAMERLANIS *à Schiltpergero, qui ab eo captus, deinde castra eius secutus fuit, tres nominantur. Vnde nati:*

SCHAROCVS, *rex Persiæ, vt Schiltpergerus, successor, vt Chalcocondyles à patre nominatus, maxima iustitiæ & æquitatis fama regnat.*	MIRAMSLA, *rex Taurisij in Armenia, interficitur à Iosepho Satrapa. Vide historiã Schiltpergeri.*	*Abdulatriphes.*	*Vlies.*	PIANGVRES, *excepit Scharoci fratris regnum. Chalcocondyles*

Abubachir, princeps prodigiosi roboris, sed fratris parricida, vt Schiltperger.	*Mansur, occisus ab Abubachire.*	TZOKIES, *vt Laonicus Chalcocondyles, Zenzas, vt Chronicon Bergomatis & Sabellicus, regnauit post patrem, & fratrem bello contendentem vicit. Dum inuidet efflorescenti* VSSVMCASSANIS *fortunæ, eumq́ bello lacessit, cadit in prælio. Volateranus lib. 7. Geographiæ pag. 76. memorat è Securani Genuensis ad Sixtum Papam litteris Sorachum, magni Tamerlanis nepotem, & Hiendelem, regem Babyloniæ, quem vtrumq;* VSSVM-	*Pantangures.*

 CASSA-

CASSANES debellârit. An hac historia ad fratres hosce pertineat, perpendendum lectori relinquimus.

N. Filius, deuenit à patris interitu in Vssumcassanis potestatẽ: Qui saluti eius et successioni in regnum se studere simulans, eo vsq; viuere miserum sinit, donec ista fraude simul alia oppida, simul Taurisium regiam occupasset: tum enim persona deposita, hostem se professus, in publicum productum supplicio affecit. Chronicon Bergomatis lib. 15. pag. 395.

N. Filia, nupta Chariasuphi, vnde prognatus.

Tzanisas.

IN CAPVT XIX.

De tribus filijs Hoccota Can, & de Haolono &c.) Cum his coniunge, quæ de Scythis habet Nicephorus Gregoras lib. 2. Nam hoc nomine Tartaros accipit: tametsi eæ expositiones ipsius minus disertæ esse videantur. Vt etiam variet Speculum Vincentij, disseruimus appendice in cap. 16.

IN CAPVT XXIIII.

Vsq; ad terram Assasinorum) Assassinos Speculum Vincentij lib. 28. cap. 127. Aeneas Syluius pag. 249. Arsacidas, Nicetas Chasios, Brocardus Asininos nominârunt. Celebrat autem inter priscas Persidis gentes Arrianus Asacenos. An inde Assassinorum nomen reliquum manserit, non habeo, quod certò affirmem. Etsi de Perside Assassinos originem duxisse (nam ita loquitur) apud Brocardum legimus. Cæterum de Assassinis multi scripsere. Vide quæ Nicetas habet lib. 2. de imperio Isaacij Angeli, Tyrius lib. 20. cap. 31. Brocardus pag. 259. Arnoldus Lubec. li. 3. cap. 37. & lib. 7. cap. 10. Speculum Vincentij lib. 30. cap. 53. lib 32. cap. 66. item Marci Pauli Veneti historia lib. 1. cap. 29. Sanè id genus hominum etiam apud Christianos nidificasse, docet Nicetæ

historia

historia lib.3. de Alexio Angelo. Et in Italia sicarios inde Assassinos dici cœpisse, aiunt. Quorum nefaria & mercenaria cædes interdicuntur lib. 6. decretal. tit. 4.

IN CAPVT XXVI.

Nec vnquam Caliphus postea extitit in Baldach) *Variat Iouius lib.33. quem locum visum fuit adÿcere :* Ea in vrbe clarissima, *inquit*, Caliphæ, sacrorũ principis, sedes est, qui à cunctis Mahumetani nominis regibus excolitur, veteremq; obtinet prærogatiuam adoptandi, & ex certa coëmtionis cæremonia confirmandi Assyriæ regis. Ab hoc Calipha SOLYMANVS (Imp.Turcicus) veteris superstitionis instituta secutus, insignia atq; ornamenta suscepit &c.

IN CAPVT XXIX.

Per principem Antiochiæ) *Is fuit Fridericus, FRIDERICI II. Cæs. nothus filius. Vide epistolas Petri de Vineis. Eodem genitus Conradus, principatum eundem possedit. Qui in Italiam auxiliatum Conradino, CONRADI IIII. Cæs. filio, contra Carolum Andegauensem profecturus, Antiochiam Opizoni Flisco, Patriarchæ, commendauit. Hoc in tempore illa capta à BENDECARE Soldano, vt auctor infrà cap. 32. & 52. ipse etiam in Andegauensis potestatem deuenit, & primùm oculis, deinde vita priuatur.*

IN CAPVT XXX.

Nam ipse fuerat de progenie trium regum) *De hac & nonnulla suprà habet cap 2. Historia Euangelica non Reges, sed Magos vocat. Notum autem nomen, nota professio horum è bonis auctoribus. De cæteris lectoris iudicium integrum esse volumus.*

APPENDIX
IN CAPVT XLIII.

Christiani, qui erant in regno Cypri) *De Cypro, & veteribus insulæ huius regnis, in primis verò de Salaminio Teucridarum, qui AEACIDAE fuere, egimus Syntagmate nostro. Excepere autem Teucridas PTOLEMAEI, hos Romani. In quos demum SARRACENI insurgentes, Cyprum grauißimis cladibus affecere, & quemadmodum auctor noster suprà scripsit cap. 15. in πανωλεθρίαν redegere. Nec singulatim, & quasi per membra sua, enucleare historiam illam libet: habent enim cùm alij, tum Cedrenus & Paul. Diac. hist. miscell. Vt ANDRONICI COMNENI Imp. temporibus Cyprum inuaserit, seq; ibi pro Tyranno gesserit, ISAACIVS COMNENVS, docet stemma nostrum de familia Comnena, insertum Appendici in Chronicon Hierosol. Hunc aliquanto pòst debellauit RICHARDVS, rex Angliæ, & Cyprum sibi vendicauit. Donec cum GVIDONE LVSIGNANO, vltimo Hierosol. rege, permutatione facta, pro titulis regni Hierosol. Cyprum ei concessit. Quare exinde insula hæc denuo regnum esse cœpit, mansitq; aliquot seculorum ætatibus Lusignanæ familiæ. De qua tametsi hinc inde non pauca excerpsissemus, tamen quòd stemmate integro deficeremur, eas συγγραφὰς nostras subijciendas non putauimus. Fertur; id genealogiarum opere suo pertractasse Alexander Schultetus, Romæ iudicij Rotæ scriba publicus, sed patria Germanus. Itaq; eò lectorem remittimus, cùm nobis ne hoc quidem videre hactenus licuerit. Sunt tamen de posteriorum regum gestis & motibus, vtq; tandem Cyprus ad Venetos deuoluta fuerit, exquisitæ Aeneæ Syluij & Bergomatis expositiones. Venetis nostra tempestate insulam hanc rursus Turcæ eripuere. De quo bello Contareni, Bizari & aliorum descriptiones in medio sunt.*

IN CAPVT XLVII.

Alia via est, quæ dicitur le Derbent) *De Derbento oppido præclarè Iouius lib. 14. Bizarus rerum Persic. lib. 12. qui nomen*

men illud idiomate Italico angustum sonare ait. Caeterum quòd ad viam illam attinet, de ea ad hunc modum Procopius lib. 1. de bello Persico pag. 127. Ascendenti, *inquit*, Iberorum montes, semita quædam in angustia multa stadijs supra quinquaginta producitur, ea siquidem via in abrupto quodã, ac penitus inuio desinit loco: exitus autem nusquam apparet, præterquam porta quadam à natura inuenta, quæ Caspia antiquitus dicitur. Hinc campi sunt equis apti pascendis, & aquis multis absq; arte referti, alioqui supini, vbi Hunnorum gentes ferè omnes habitant, vsq; in paludem Mæotidem pertinentes. Hi enim si quando per portam suprà nominatam in Persarum seu Romanorum regiones exeunt, pernicibus eunt equis, nulla vtentes circuitione itineris, etiamsi in prærupta inciderint loca, præterquã quinquaginta illa stadia, quæ ad montes Iberos pertinent. Per alios autem quosdam exitus euntes, multo labore veniunt, neq; ijsdem vtentes equis: periodos enim ipsos circuire multas necesse est, vt has portas præruptas ac præcipites euitent. Quod ALEXANDER Macedo animaduertens, muniminis ac breuitatis gratia dicitur eas ædificasse, præsidio ibidem relicto, ꝙ postea cùm alij plures, tum ARIBAZVTES habuere. Is genere Hunnus Romanis & ANASTASIO principi amicus fuit, qui postquam in senectutem multam peruenit, iam iam moriturus, Anastasio per legatos se præsidio portisq; cessurum promisit, si pecuniam tribuat. Ille verò, vt qui nihil inconsultò & temerè faceret, cogitans, quòd milites in ea loca mittere, vt deserta rebus omnibus, minimeq; subditis Romanorum vicina, nequaquam commodè poterat, gratiam quidem homini ob eius beneuolentiam se dixit habere, rem verò hanc se nulla ratione curare.

Ari-

Aribazutes non multò pòst ex eo morbo decessit, portas deinde CABADES (*rex Persarum*) eiectis per vim illius filijs, possedit. *Hac ille. Idem de portis Caspijs, COSROIS regis præsidio custoditis, agit eodem lib. pag. 136. & 145. Cùm Iornandes, qui circa idem tempus scripsit, id Lazorum genti, & quidem pro Romanorum munitione, tribuat. A Plinio lib. 6. cap. 11 castellum, quod Alexander Magnus condiderit, vocatur Cumania, vt appendice in cap. 5. monuimus. Meminit eiusdem Hegesippus, meminit Dionysius de situ orbis. Primùm autem Tiberij Cæs. temporibus Caspias portas IBERI sponte aperuere Sarmatis, profecturis in Artabanum, regem Parthorum, quemadmodum Taciti habet historia lib. 5. Iterum sub VESPASIANO per easdem transitum Alanis concessit rex Hyrcaniæ, vt Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 27. Vt tandem Hunnis cesserint, Procopij testimonio demonstrauimus, & conueniunt, quæ habet Paul. Diac. histor. miscell. lib. 15. pag. 453. lib. 18. pag. 569. Per easdem Tartaros irrupisse volunt, sic quidem, vt alteram fregerint, vt Speculũ Vincent. lib. 30. cap. 89. Et tradit Bizarus, hactenus Mediæ regulo paruisse. Nunc tamen in Turcorum potestate esse, & ab ijsdem Temir Capi, id est, portas ferreas vocari, aiunt. Et illa quidem vox ad alteram Miralis, quam Haythonus habet, alludit. Postremo loco adijciendum hîc videbatur, natam è Petri Comestoris historia Scholastica (sic enim opus illud, scriptum in omnes libros Bibliorum historicos, & in 20. libros distinctum, appellauit) fabulam de Iudæis ad portas Caspias reclusis, indeq; circa finem mundi erupturis, refutari à Speculo Vincentij eo, quem paulo antè citauimus, loco, idq; ex eorum Monachorum testimonio, qui totos ann. septem in Georgia vixerint, & diligenter non solùm à Georgianis & Persis, verùm etiam à Iudæis ipsis expiscati sint.*

IN CAPVT L.

Milites sui exercitus sunt de diuersis partibus & nationibus congregati &ç.) *Etiam veteres Ptolemæos reges è*

stirpe

stirpe Macedon. simili milite usum, Cæsar docet lib.3. de bello civili, item Strabo lib.17. Addit uterq; quæ eiusdem licentia, quæ grassandi impunitas extiterit, fermè ad eum modum, quem de Mamaluchis recentiores annales tradidere. Nam Aegyptios iam tum molles & effœminatos fuisse, arguit Valerij Max. locus lib.9. ca.1. Eódem spectat, quod de Cleopatra regina Iosephus habet antiq. Iudaic. lib.15. cap.11. hanc 400. Gallorum satellitio stipari solitam, idemq; satellitium post interitum illius Herodi Magno ab Augusto Cæs. permissum fuisse. Quin & hodiè Turcos in puerorum Christianorum exactione, cuius periodus quinquennio definitur, nullos ex Aegyptijs capere, propterea, quòd inutile eos hominum genus ducant, Martinus Crusius scripsit Turcograec. pag.193.

IN CAPVT LII.

De regno Aegyptiorum, qualiter de gente in gentem translatum est) *De Aegypto & Aegyptijs rebus, huic quidem argumento congruentibus, exquisita sunt Leonis Afri expositiones lib.8. Nam quas noster habet auctor, ea non raro vacillant, nec immeritò & mutilas & indisertas dixerimus. Nota autem prisca Aegypti regna, habetq; eadem Syntagma nostrum, notum ut regio ista Romanis & porrò Constantinopolitanis Imperatoribus cesserit. Quare eam commemorationem omitto. In Sarracenicis Caliphis primus Aegyptum tentauit, & occupatam in prouinciam redegit, AOMAR. Quam historiam luculentè persequitur Paul. Diac. histor. miscell. lib.18. Atq; ab eo tempore Aegyptus in Sarracenorum ditione mansit, & Caliphis Syriacis paruit. Donec post MARVANIS cædem Salimi familiæ obuenit, de qua suprà. Etsi an de eadem Vicecaliipharum nomen apud Leonem Afrum lib.1. intelligi debeat, non habeo, quod certò affirmem. Vt demum HALIS posteritas Calipharum dignitatem in Aegypto inuaserit, Tyrius docet lib.19. cap.21. Pertinentq; eodem Leonis Afri narrationes ibidem, sed, ut apparet, aliquanto perturbatiores. Quippe*

quæ etiam de nomine ABVTHAMINIS varient: appellant enim ELCAINVM, & imperium eius referunt ad ann. Hegiræ 400. qui est Christi nati 991. Quod quidem posterius rectè sequimur, cùm Tyrius Abdalla principatus initium collocet in annum regni Mahometani (sic enim Hegiram nominauit) 286. Sed nunc Halis stemma & res gestas videamus.

HALIS, Mahometis gener, & CALIPHA quintus, instituit nouam sectam, quam STAM vocârunt.
Posteritas hæc à Tyrio traditur.

Husseret.

Hab.

Mahomet.

Iaphar.

Mahomet.

ABDALLA, migrauit in Africam, & occupatis locorum illorum Sarracenicis regnis, vocari voluit Mehedi, id est, complanans, ceu qui vniuersa ad quietem dirigeret, & vias populo sine offendiculo planiores faceret, vt Tyrius. Condidit etiam Mehodemiam ciuitatem, ibiq; regni sedem collocauit: vexauit Siciliam & Italiam: & rebus iam confirmatis, primus familiæ suæ post atauum Halim CALIPHAE nomen repetijt. Præterea nouos ritus tradidit, Mahometem & eius sectatores palàm execratus.

N. filius ἀνώνυμος, gessit post patrem CALIPHAE munus, & alijs fratribus duobus, quorum nomina vetustas aboleuit, posi-

possidendum reliquit, vel ab alijs ipse accepit. Nam filius ABV-THAMIN à Tyrio inter Caliphas hosce quintus nominatur.

ABVTHAMIN, cognomento Ebuthediualla, seu Mehe-zidiualla (nam & hoc Tyrius habet lib. 19. cap. 13.) Leoni Afro ELCAINVS, quintus Calipha, recuperat Barbariam & Numidiam opera Ioaris (Leoni Afro est Gehoar, patria Dalmata, conditione seruus) moxq; eiusdem hortatu ad Aegyptum & Syriam animum adijcit. Qua vtraq; virtute illius subacta, & Cahere (alij Cayrum & Alcayrum vocant) condita, eò regni sedem transfert, estq; hinc Calipharum Aegyptiorum, qui & Babylonij, initium. Deinde in Calipham Syriacum, seu Baldacensem, moturus, praefecti Barbariae perfidia ab eo conatu retrahitur. Hic enim ad eundem Calipham deficiens, regios honores ab eo consecutus fuerat. Quare vt de isto perduelle se vlcisceretur, Arabes Nilum transmittere, sicq; hostem inuadere permittit. Ac coepit ab eo tempore vaga gens illa Africam incolere, & hodie etiamnum ibi perdurat. Caeterum successorum Abuthaminis nomina aliquot desiderantur, amissa scilicet Tyrij de Orientalibus principibus, seu Mahometis successoribus, historia; eò enim auctor is lectorem remittit lib. 19. cap. 21. & annos 570 complexam, ait. Habet & hoc, de Aegyptijs Caliphis alterū nomen MVLENE vsurpatum fuisse. Id interpretatur DOMINVS NOSTER. Sed quam causam subijcit, lectori perpendendam relinquo. Quin & istud scriptum reliquit, Aegyptios Caliphas, qui otio vacarent, & delicijs fruerentur, tumultuum ignari & solicitudinis expertes, omnia regni negotia, & gladij potestatem (nam ita loquitur) per regni procuratorem administrasse. Eum verò SOLDANVM appellatum. Ergo inde postea Soldanorum origo. Sed hac de re infrà. Constat praeterea de institutis Aegyptiorum Calipharum ex eodem Tyrio, illos pedis osculo salutari voluisse, de rebus gestis, Syria vsq; ad Antiochiam possessionem penes eos mansisse, Caliphis Baldacensi-

bus tum potentia tum secta æmulatione inde pulsis. Isti enim MOAVIAE sectam sequebantur, vocabanturq; SIMRI, Aegyptij verò Halis, vt diximus. Ac celebrantur à Tyrio lib. 1. cap. 4. & 6. inter Aegyptios Caliphas, qui simul Syriam tenuere, ante captam à GODEFRIDO Hierosolymam:

HEQVEN, Leoni Afro lib. 10. pag. 266. Gemith Elhecim, schismaticus tertius Alcairi Pontifex (vnde quidem Abuthaminis nepotem fuisse, suspicamur) iussit templum Dominicæ resurrectionis à fundamentis dirui: quia enim Hierosolyma tum Patriarcham habebat ORESTEM, ipsius auunculum, indeq; in Christianismi suspicionem vocabatur, isto se facinore quasi purgare voluit. Plura de hoc Calipha Cedrenus, qui Azizium vocat, pag. 582. & 603. Zonaras in Basilio Porphyrogenito, & Michaële Paphlagone, Curopalates pag. 99. & 102. qui & ipse variato nomine Axium appellat. Crediderim etiam huius Caliphæ opus esse, superbæ structuræ in vrbe Alcayro fanum, de quo poëma Ioann. Fraxinei de vita ALEXANDRI SCHVLENBVRGII lib. 2. Nisi quòd ibi noua enunciationis discrepantia Hessus, vt in Helfrichi itinerario Hessen, dicitur.

DABER, fuit erga Christianos æquior: ac renouato cum ROMANO ARGYRO, Imp. Constantinopolitano, fœdere, templum Dominicæ resurrectionis, sub patre dirutum, instaurari permisit. Meminit Cedrenus pag. 603. & 610. item Zonaras in Michaële Paphlagone, sed vt cum eo, non cum Romano, ictum fœdus illud dicat.

Idem Tyrius lib. 9. cap. 18. nominat BOMENSOR Elmonstensab, qui concessit quartam Hierosolymæ partem muniendam & inhabitandam Christianis: vnde ea deinceps in Patriarchæ iurisdictionem venit.

Forsan etiam huius temporis Caliphis is accensendus, cuius solertia Alexandria, & ibidem doctrinarum studia vtcunq; instaurata

ſtaurata fuere. Hiſtoriam illam è Leone Afro lib. 8. viſum fuit hîc adijcere: Aſtutus quidam, *inquit,* Machumetanorum Pontifex ex Machumetis vaticinio ampliſsimas indulgẽtias conceſſas ijs confinxit, qui ciuitatem incolerent, vel certis diebus præſidio firmarent, quiq; eleemoſynam in publicum vſum conferrent. Quo ſtratagemate breui tempore ciuitatem exteris hominibus, vndiquaq; conuenientibus, oppleuit: à quibus plurimæ domus ad ciuitatis mœnia extructæ ſunt, multaq; ſtudioſorum collegia & monaſteria in gratiam peregrinorum, iſthic religionis ergò confluentium. *Hæc ille.*

Item Caliphæ, à quo GODEFRIDVS Hieroſolymam recuperauit, Clementem nomen Robertus Monachus fecit lib. 8. Quanquam haud ſcio, an eidem nomini mendum inſit, vti reliqua iſta in parte auctoris huius expoſitio non parum à Chronico Hieroſol. & Tyrio variat.

Poſt captam verò Hieroſolymam, temporibus ALMERICI regis, commemoratur iterum à Tyrio lib. 19. cap. 19.

*ELHADECH, Elpheis filius: cuius SOLDANI, Sanar & Dargan, de ea dignitate inter ſe armis contendentes (*nam Caliphæ, *inquit Tyrius lib. 19. cap. 7.* pro minimo erat, vter de contendentibus aut ſuccumberet, aut obtineret, dummodo non deeſſet, qui ſua & regni negocia procuraret, & ſe illius manciparet ſeruituti*) ille STRACONVM attrahit, hic demum à ſuis interficitur. Cumq; deinde STRACONVS ſe pro hoſte gereret, caſo Sanare, ipſe Soldani munus arripit, & in fratris filium, SALADINVM, tranſmittit. Qui Calipha inſidias, & Aegyptiorum in Turcos odium cauſatus, hominem obtruncat, totamq; eius ſtirpem excindit, vt Tyrius lib. 20. cap. 12. cùm Caliphárum imperium ſtetiſſet ann. 230. vt Leo Afer lib. 8. Nam alij variant, nec ſublatos Caliphas, ſed in ordinem redactos,*

 tantumq;

tantumq; ad sacra potestatem eorum astrictam, dicunt. Eosdem etiam SOLDANOS *inaugurasse, legimus apud Petrum Martyrem Mediolan. lib. 3. de legatione Babylon. pag. 412. quem locum ascribere placuit:* Habent & Aegyptij, *inquit*, summum Pontificem, ad quem regni machina, si viri essent, pertineret. Is ius suum, vt cæteri consueuere, MAMMETI *(loquitur de Caitbeÿ Soldani filio & successore)* regiam tenenti trium millium auri drachmarum precio vendit. Is Califus dicitur. E tribunali Soldano, stanti pedibus, vitæ necisq; liberam potestatem præstat. Ipse descendit: seipsum spoliat: Soldanum imperaturum induit: abit priuatus: permanet in imperio Mammetes &c.

Tenuere ergo ab hoc tempore Aegyptium regnum SOLDANI. *De nominis primo vsu cùm alibi tum paulo suprà scripsimus. Vbi autem Caliphis remotis, regia dignitas illorum atq; potestas ad Soldanos translata fuit, iam inde nomine quoq; isto intelligi cœpit. Nam alterum Calipharum, tanquam inuidiosum, seu potius vnius Mahometis sanguine editis competens, consultò vitasse Soldani videntur, imò* SALADINVS *vt iure Aegyptium Caliphum, seu schismaticum, interfectum à se, testaretur. mox Baldacensi se in clientelam dedit, vt Leo Afer. Forsan etiam tum in munus Soldanorum successere, qui dicti sunt* EMIRCHEBIR, *vt Petrus Martyr:* quia, *inquit*, is magistratus primus est post Soldanum, propterea quòd exercitibus præsit *&c. Porro in Soldanis istis primùm, atq; adeò solùm,* SYRACONI *familia claruit. Nam Cumani & tandem Circassi Soldani tantùm è Mamaluchorum ordine legebantur. De origine* SYRACONI *conuenit cum nostro auctore Leo Afer lib. 8. Nec aliter Tyrius discrepat lib. 20. cap. 12. quàm quòd Syraconum simpliciter Turcum facit. Quæ vt conciliari oporteat, differuimus appendice in cap. 8. Pertinentq; eodem eiusdem Tyrÿ expositiones, quas de Syraconi apud* NORADINVM *militari dignitate habet, pertinet itidē, quòd*

quòd continuator Sigeberti ad ann. 1175. Noradini nepotem (fortassis è sorore) nominat. Nam quæ Ioannis Monteuillani Angli itinerarium tam de ipso Syracono, quàm de successoribus tradidit, repudiamus. Stemma familiæ ita se habet.

Fratres Turci.

SYRACONVS, Haythono Xaracon, continuatori Sigeberti Saraguntat, Iouio lib. 17. Sarraco, princeps militiæ NORADINI, regis Damascenorum, vt Tyrius, adiungitur ab eodem cum auxiliaribus copijs Sanari, Soldano Aegypti, contra Darganem æmulum: quo caso, dum pro hoste se gerit, ad deditionem compulsus, Aegypti finibus excedere iubetur. Mox tamen CALIPHAE Baldacensis ope validiores copias cogit, cùm veterem Caliphæ Aegyptij defectionem ei occinuisset: sicq; denuò Aegyptũ adortus, ob ALMERICI, regis Hierosolym. cum Aegyptijs societatem omnia frustrà molitur. Hac soluta, felicius arma expedit: Sanarem fraude perimit: & à Calipha ei successor datus, tantùm annũ vnum ea dignitate fruitur. Habet encomium eius Tyrius lib. 19. cap. 5. Variat continuator Sigeberti.

Negemedinus.

SALADINVS, consors patrui militiæ, & in Soldanatu successor, CALIPHAM sua manu iugulat, & Aegyptium regnum sibi vendicat. Pòst Damascum, ciuibus sponte euocantibus, occupat, excluso MELECHSALA, Noradini F. Pari felicitate Alapiam HEZEDINI eripit. Vt regnum Hierosolymitanum debellàrit, primùm GVIDONE rege, deinde Hierosolyma regia capta, diuersis scriptorum annalibus traditum est.

Seyfedyn, vt Tyrius, Caphedinus, vt epistolæ Petri de Vineis lib. 2. cap. 18. & seq. cognomẽto Kyemel, vt Speculũ Vincentij lib. 32.

Semsedolus, honoratur à SALADINO fratre Damasci præfectura. Auctor Tyrius lib. 21. cap. 11.

α

Fuit princeps acer, industrius & supra modum liberalis. Moriturus hoc postremum sapientiæ specimen edidit, quòd signiferum, qui Labarum omnibus in prælijs gestârat, præcedere funus iussit, sic vt lanceæ trunco interiorem ipsius tunicam in modum trophæi præferret, altum inclamitando: SALADINVS, ASIAE AC TOTIVS ORIENTIS DOMITOR, ILLVD VNICVM SECVM DEFERT.

Saphadinus, missus à patre cum copijs contra FRIDERICVM BARBAROSSAM Cæs. tum bello sacro Palæstinam petentem, prælioq; contendere ausus, maxima clade accepta in fugam vertitur. Vide annales Arnoldi Lubec.

NORADINVS, alio nomine Miralis, defendit Alapiam à SAPHADINO patruo, protectore vsus ALADINO, Soldano Iconiensi, vt Speculum Vincentij.

MELECNASER, oppugnatus MELAHADINI bello, pacificare noluit, extrema omnia ei minatus, ni discederet. Post cædem MELECHSALAE, cùm eius vindicandæ, & hæreditatis cernendæ gratia in Mamaluchos arma cepisset, tantùm Damascum & Syriæ loca nonnulla in potestatem redigit. Nam vt ne in Aegyptum inuaderet, Tartarorũ motu impeditur; exutus tum præter Damascum etiam Alapia, & ipsemet in Persidem captiuus abductus. A Speculo Vinc. nomen eius, vt & Melechsalæ, reticetur, & vtrunq; Haytbono debetur.

β

cap. 101. alijs SAPHADINVS, accipit à Saladino, in Damascenos profecturo, regni administrationem. A morte eius, cùm testamenti tabulis se præteritum intelligeret, vt Chronicon Bergomatis, octo filios eius comprehensos necat, & regnum sibi vendicat. Vxores habuit XV. totidemq; filios, de quibus præclarè Speculum Vincentij li. 32. cap. 55. & seq. Nos ex eo numero tantùm tres recensebimus.

γ

MELAHADINVS, Soldanus Aegypti, oppugnatur Christianorum bello, cuius imperator esset ANDREAS, rex Vngariæ,

δ

CORADINVS, auctori supplement.

ε

Melchiphus, tenuit Camollam,

γ

& eo domum reuerso, IOHANNES BRENNA, rex Hierosol. adiunctis illi diuersis Germaniæ, Galliæ & Italiæ principibus. Damiatam obsessam liberare, & CORADINI fratris opera pacificare frustra conatus, capta illa à Christianis, Cayrum progredientes Nili inundationibus obruit, maximaq; clade afficit, ac demum dedere sese, & Damiata cedere coactos, humanissimè tractat, inducias in octennium pactus. Pòst etiam, mortuo iam CORADINO, cum FRIDERICO II. Cæs. transigit, tanta fide cum eo initam amicitiam colens, vt Pontificis Rom. litteras, quibus ad defectionem solicitaretur, ei legendas miserit. Vbi CORASMINI se commouerunt, eos in Syriam euocat. Fuit ei quoq; res cum MELECNASARE, Alapiensi Soldano: & quamuis Baldacensis CALIPHA se sequestrem interposuisset, tamen ne sic quidem componi potuit. Nec multo pòst Damiatam denuò amittit, occupatam à LVDOVICO X. rege Francorum: & quia iam antè morbo laborare cœperat, eo suorum clade adaucto, extremum vitæ diem morte conficit. Pertinet ad huius Soldani tempora historia Comitis Glichensis bigami, de qua Rhetorica MATTHAEI DRESSERI pag. 85. & seq. Estq; eidem non dissimilis, quam de Scythissa habet Nicephorus Gregoras lib. 10.

MELECHSALA, amittit patrem, dum in Syria ad auxilia corroganda abest. Eidē surrogatus, LVDOVICVM regē prælio vincit, & cum fratrib. duobus capit. Quo successu moderatè vsus, interea dū cum eo de compositione agit, à Mamaluchis CVMANIS opprimitur.

δ

in Schafnaburg. Caradiuagiq; adipiscitur è paterna sortitione Syriam et Damascū. MELAHADINO Fr. IOHANNIS BRENNAE, regis Hierosol. bello grauiter laborante, sequestrum se interponit, honestissimis Christiano nomini conditionibus propositis: quòd cùm frustrà ageret, Hierosol. mœnibus discingit, & paulo magnificentiora ædificia diruit, sed vt tamen sacro sepulcro parceret, seu auaritia, seu religione ductus. Pòst res Christianas armis lacessit, & ASSASSINOS ad reges Christianos tollēdos subornasse creditus fuit. Qua de causa FRIDERICO II. Cæs. bellum in eum parante, per legatos pacem petit, & antequam is in Asiam appelleret, cedit è vita.

ε

quæ Syriæ pars fuit. Quo tempore Damiata à IOHANN. BRENNA capta fuit, destruxit Albam Speculam castellum munitissimū Vide Spec. Vincē. lib. 31. cap. 93.

Cate-

Cæterum de CVMANIS istis sic satis diligenter auctor noster. Nam de primordijs eorum alij variant. Et posterioribus quidem temporibus non Cumanos, sed Circassos in Mamaluchorum ordine potissimum floruisse, accepimus. Quæ de re suo loco. Iam quod ad idem MAMALVCHORVM nomen attinet, id neutiquam primùm Cumanis auctoribus, sed longè antè sub imperio Turcico cœpit. Sic enim Tyrius lib. 21. cap. 23. Solent, *inquit,* Turcorum Satrapæ, seu maiores principes, quos ipsi lingua Arabica vocant EMIR, adolescentes, siue ex ancillis natos, siue emtos, siue capta in prælijs mancipia, studiosè alere, & disciplina militari instruere diligenter. Adultis autem, prout cuiusq; exigit meritum, dare stipendia, & largas etiam possessiones conferre. In dubijs autem bellorum euentibus proprij cõseruandi corporis solent his curam committere, & de obtinenda victoria spem habere non modicam: hos lingua sua vocant MAMELVC. Hi assistentes domino suo perseueranter, vnanimiter ab eo nituntur propulsare iniurias, & vsq; ad mortem non destituere. Hi sanè in conflictu perseuerantes, quoadvsq; fugit Dominus eorum, vnanimiter persistunt: vnde contingit, quòd cæteris fuga elapsis, hi penè omnes incumbunt. *Hæc ille. Interim tamen ea noua à Mamaluchis Cumanis lata lex, qua & regia Soldanorũm dignitas, & cæteri magistratus (Chalcocondylæ lib. 13. pag. 81. b. MELICAMERIDAE, id est regij Ameres dici videntur) imò tota militia, tantùm ad ipsorum ordinem restringebatur, & arcebantur à successione regni, non tamen cæterorum bonorum, Soldanorum liberi, arcebantur ab ipso Mamaluchorum ordine Sarraceni & Iudæi, nec nisi Christianis parentibus nati, sed qui religionem Christianam eiurassent, admittebantur. Nam Aegyptios quidem incolas Mamaluchi pro seruis habebant, in eosq; omnia illis licebant, quæ dominis*

minis in seruos. Et quæ odia inter Turcos & Sarracenos exarserint, suprà monuimus: vt verisimile fiat, ea ad Mamaluchos quoq; transijsse: quippe quos Turci primùm instituissent. Qui plura de Mamaluchis scire volet, præter alios legat Chalcocondylem lib 3. vbi Mamalukides vocat, & Petrum Martyrem Mediolan. lib. 3. de legatione Babylon. Notetur etiam nominis significatum è Geufræo & Paulo Aemilio, quorum ille stipendiarios siue ministros, hic volones interpretatur. Nunc Soldanos addo, non secundum familias (hæ enim penitus ignorantur, nec vlla earum habita ratio fuit: etsi quosdam Soldanos etiam filijs regnum reliquisse, constat) sed eam seriem, qua se inuicem excepere, digestos. Ac primùm quidem ab auctore nostro traduntur:

I. TVRQVIMANVS, alijs Turquimenius, Leoni Afro alibi Pister, alibi Piper.

II. COTHOS; cognomento MELECMEES.

III. BENDECAR, cognomento MELECDAER, Supplement. Schafnaburg. Melechasar. De hoc loquitur Nicephorus Gregoras pag. 14. item Pachymerius lib. 3. qui tamen perperam Aethiopum Soldanum appellauit, & Michaëli Palæologo Imp. camelopardalim misisse, ait. Forsan ad eundem historia pertinet, de qua idem Pachymerius lib. 6. Malui autem ex Haythono vocare Bendecarem, non, vt Iouius lib. 17. Bandocaderem, quòd illud nomen etiam antiquitatem sapiat: vtpote quod de Solomonis præside quodam legatur 3. Reg. 4.

IIII. MELECSAIT F.

V. ELSI.

VI. MELECHASSERAF, alijs Melechseraph, qui primus in Soldanis hisce aurum signauit: vnde de ipso Serapha nuncupari cœpti.

VII. MELECNASER, à Guiboga tutore regno priuatus, post LACHINIS cædem id recuperat.

VIII. GVIBOGA, Tartarus, cognomento Melecbadel.

IX. LACHIN, cognomento Melecnaser.

Quorum res gestæ vt hîc repetantur, causa nulla est. Nec deinde certa & continua Soldanorum successio reperitur. Nisi quòd MELECHNADABRONEM, Lachinis F. surrogare MELECNASARI videtur Montevillanus Anglus: quippe cui se militasse dicat: tametsi de decessoribus Soldanis auctoris illius expositiones tum indesertæ tum à vero alienæ existant. Quam etiam periculosa Soldanorum conditio fuerit, Haythonus demonstrat. Fermè enim mutuis cædibus se confecerunt. Quare eos deinceps referam, qui fortè inter legendum hinc inde occurrerunt. Quos inter Germanica Schiltpergeri historia hi memorantur.

¶ BARACLOCH.

IOSEPHVS F. iunxit amicitiam cum BAIAZETHE I. Soldano Turcorum, ab eoq; copias contra æmulos impetrauit. Fortè autem idem est, de quo Chalcocondyles lib. 3. pag. 81. a.

MATHAS.

INSVPH.

ZACHAN.

SYACHIN.

SALBMANDER, cognomento Melechasseraf.

De horum inter se lanienis, & ipsis Soldanorum vanissimis & arrogantissimis titulis, legatur eadem Schiltpergeri historia.

¶ MELECHELLA, inuasit Cyprum ann. Christi 1423. ipso Iano rege, Petri F. capto, & tandem tributi pactione dimisso. Vide Chalcocondylem lib. 3. pag. 81. b. Aeneam Syluium pag. 878. Chronicon Bergomatis lib. 15. pag. 371. An autem diuersus sit à superioribus, vel nomen hoc vnius ex illis cognomentum intelligi debeat, iudicium esto penes lectorem.

Se quitur

Sequitur deinde ALESSERAPHVS, *Iacobi Spurij (natus autem is fuit patre Ioanne, auo Iano) regis Cypri protector. De hac historia verbosè Aeneas Syluius pag. 878. & seq. tribus.*

Post Alessarephum nominatur HABVCSATVS, *qui quinquennali bello Rhodum oppugnauit circa annum Christi 1450. Etenim Aegyptios Soldanos tam Rhodum quàm Cyprum ob regnū Hierosol. occupatum suæ ditionis prouincias videri voluisse, legimus apud Aeneam Syluium pag. 381.*

Habucsatum fortè excepit CAITBEIVS, *Bernhardo à Breitenbach & Felici Fabro in itinerarijs Hierosol. Kathubee: inijt enim regnum anno Christi 1465. tenuit verò ann. 33. vt Petrus Martyr Mediolan. lib. 3. de legatione Babylon. De bellis eius agit Iouius lib. 1. & 17. Successores à Petro Martyre hac serie recensentur:*

MAMMETES, *Caitbeij F. alijs Mahometes, regnauit annos tres.*

CAMPSOVS *Ciarchesius, Iouio Cercassius, Basilio Heroldo Gilepes, Mammetis auunculus, regnauit menses 20.*

ZAMBALLATTVS, *Iouio Giapalatus, regnauit menses 9.*

TOMVMBEIVS, *regnauit menses 8.*

CAMPSOVS *Gaurus, Iouio Campson Gaurius, regn. ann. 16. De hoc præclarè idem Iouius lib. 17.*

TOMVMBEIVS, *victus, captus & strangulatus à* SELYMO *I. Imp. Turcico, Soldanorū Aegyptio regno finem imponit, ann. Christi 1517.*

IN CAPVT LIII.

Regnum Nubianorum, qui sunt Christiani) *Nubiani Straboni Nubæ sunt, Stephano Nubai, Dabai & Numides, Pro-*

copio Nobatæ, Iornandi Nobades, Ptolemæo Arabes Aegyptij, ad quem modum etiam Mela loquitur lib. 4. cap. 4. Sed & Plinius lib. 6. cap. 28. Nubeos Arabas nominat, verùm vt in Syria collocet: Arabia, *inquit,* gentium nulli postponenda, amplitudine longissima à monte Amano, à regione Ciliciæ Comagenesq; descendit, multis gentibus eorum deductis illò à TIGRANE Magno, nec non & in media Syriæ ad Libanum montem penetrantibus Nubeis &c. *E quo loco id forsan rectè augurabimur, Aegyptiacos Nubas, Arabicorum partem, seu colonos extitisse. Sed redeo ad Strabonem. Is ex Eratosthenis sententia ita de Nubis disserit, vt sinistræ Nili ripæ accolas, magnamq; Libyæ gentem, fuisse scribat: quippe qui à Meroë vsq; ad Nili brachia incoluerint, nec Aethiopibus paruerint, sed per sese in multa regna distributi fuerint. Etsi alibi Nubas cum Troglodytis, Blemyis & Megabaris coniungens:* Hi, *inquit,* Nomades sunt, non tamen multi, nec bellicosi, quanquam olim viderentur, propterea quòd sæpe latronum more incautos adoriebantur &c. *Tempore CONSTANTINI Magni Indos (hoc enim nomine non solùm Homeritas verùm etiam Nubas dicit) Christianam religionem amplexos, legimus apud Nicephorum Callist. lib. 8. cap. 35. Pertinentq; eodem, quæ idem auctor habet lib. 17. cap. 32. Nam Cedrenus in historia Iustiniani pag. 307. non parum variat. Vt MARTIANO imperante tam Nubas quàm Blemyas, Aethiopia prolapsos, Florus, Alexandrinæ vrbis procurator, sedârit, & finibus Romanorum pepulerit, docet Iornandes. Plenissimè autem de gentibus illis Procopius explicauit: ideo verba eius è Volaterrani versione hìc insero:* Circa mare rubrum, *inquit,* regio ex vtraq; ipsius parte consistit, ex Auzomide ciuitate vsq; ad Aegypti fines pertinens, in Romanorum ditioné: vbi Elephantina est vrbs 30. dierum iter homini expedito distans. Hìc multæ habitant gentes, Blemyes & Nobatæ, populi frequētissimi.

Blemyes enim regionis media tenent, Nobatæ verò circa Nilum fluuium. Nam hi ante DIOCLETIANVM vlterius habitabant, Romaniq; prolixiores fines septem iter dierum erant. Is primùm hic existens, didicit, quòd oppidorum reditus minimus esset, quòd angustā sterilemq; terram haberent. Nili enim petræ valde sublimes non ꝓcul distantes regionis reliqua occupant. Militum quoq; magnus hîc numerus consistit, quorum sumtibus maximis ærarium magnoperè grauatur. Simul autem & Nobatæ circa ciuitatem Oasin petras habitabant. Hos igitur Barbaros idem Imperator induxit è suis finibus migrantes ad Nilum habitare, ac eis vrbes magnas dare promisit, regionemq; longè meliorem illa, quam reliquissent. Sic enim existimauit, eos non amplius illis, qui circa Oasin sunt, nocituros, ac à regione eis data tanquam à propria, vt verisimile est, alios Barbaros expulsuros. Hæc cùm illi libenter acceptassent, statim huc adnauigant, regionem omnem ex vtroq; fluminis latere cum vrbe Elephantina habuerunt: insuper ab eodē Imperatore vterq; populus certum auri pondus habuere, vt Romanos fines non amplius prædarentur, ꝙ vsq; in mea tempora seruatum. Quanquam nihilo propterea minus ea loca excurrunt. Sic profectò nullo delinimento aut ratione Barbaros omnes retinere licet, quin in fide Romanis, aut in officio, nisi tantùm timore coërcentium militum persistant. Nec profuit eidem Imperatori, in optima eos terra apud Nilum collocasse, vt firmiores fidelioresq; essent, adhæc templa & altaria Romanis ac illis communia statuisse, amborum quoq; Sacerdotes addidisse, quòd speraret, sacrorum commercio eorum perpetua frui amicitia, ex quo oppidum in ea parte Philas ex argumento appellauit.

Hæ namq;

Hæ namq; gentes, & Nobatæ & Blemyes, cùm alios Deos vt Græci, tum Isin & Osyrin magnoperè colunt. Blemyes etiam humana hostia Soli sacrificare consueuerunt, qui mos barbarus vsq; ad hoc tempus seruatus, iussu pijssimi Principis IVSTINIANI sublatus est. *Hactenus Procopius. Idem Nobatas Aethiopibus accenset, & regem eis HELLISTHAEVM attribuit, tum de Christiana eorum religione suffragatur, eaq; de causa Hellisthæum contra Homeritas bellum suscepisse, & cum Iustiniano contra COSROEN, regem Persarum, societatem inijsse, ait. Renouauit hanc postmodo per eundem legatum, quem Iustinianus miserat, successor IVSTINVS II. vt histor. miscell. Pauli Diac. lib. 16. pag. 490. Vbi similiter de gente hac Aethiopum nomen vsurpatur, & rex ARCHETAS memoratur. Locum illum, sanè per quam notabilem placuit itidem subijcere:* Anno imperij Iustini septimo Romani & Persæ pacem corruperunt, & iterum Persicum renouatum est bellum, eò quòd Homeritæ in dilectione ad Romanos miserint, & Imperator Iulium magistrũ cum Sacra destinauerit ad Archetam, regem Aethiopum, cum gaudio magno, appetentem nimirum amicitiam Romanorum Imperatoris. Enarrabat autem, cùm redisset, idem Iulianus, quòd quando receperit eum rex Archetas, *nudus* esset, habens circumcincturam, & in lumbis *linea* vestimenta auro contexta. Circa ventrem verò portauit indumenta scissa cum margaritis preciosis, & in brachijs quinos circulos, & aureas armillas in manibus suis: in capite autem pannum gemmatum, habentem ex vtroq; ligamento plectas quatuor, & torquem aureum in collo suo: & stabat super quatuor elephantes stantes, & habẽtes iugum & rotas quatuor, & superius currum velatum petalis aureis, vt sunt Principum currus: & stans supra illos

illos; ferebat scutum paruissimum rotundum, & duas lanceolas aureas, & Senatus omnis eius erat cum armis, canentes modulationes musicas. Introductus autem legatus Romanorum, cùm adorauisset, iussus est erigi, & adduci ad se. Cùm autem suscepisset Imperatoris Sacrã, osculatus est signaculum, quod habebat pectusculũ Imperatoris. Susceptis autem & muneribus, gauisus est valdè. Porrò cùm legisset Sacram, inuenit, vt se contra regem Persarum armaret, & proximorum sibi Persarum perderet regionem, & vlterius cum Persis fœdera non iniret. Protinus ergo collecto exercitu rex Archetas coram legato Romanorum aduersus Persas prælium mouit, subiectos sibi Sarracenos præmittens. Profectus & ipse ad regionem Persarum, depopulatus est omnia, quæ in illis regionibus erant. Tenens autem rex Archetas caput Iuliani, & dans ei pacis osculum, dimisit eum in multa beneuolentia, multisq; muneribus &c. *Hæc Diaconus. Quibus instar corollarij addantur, quæ de Nubianis legimus apud Brocardum Monachum:* Nubiani, *inquit,* & Iabeani dicunt, se, siue maiores suos, fidem suscepisse à S. Matthæo, ab eoq; baptizatos, & baptismi modum ab illo se recepisse, quem hodie inuiolabiliter seruare contendunt, innitentes huic auctoritati: Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne. Nam cùm baptizantur, cum calido ferro crucem inurunt faciei, aut alteri corporis parti. Et hi deuotiores inter Orientales habentur &c. *Meminit quoq; Nubiæ regionis itinerarium Ioann. Monteuillani, meminit Arnoldus Lubec. lib. 7. cap. 10. his verbis:* Distat, *inquit,* Nubia à Babylonia *(Alcayro)* per viginti diætas, & est terra Christiana, habens Regem, sed populus eius incultus est, & terra syluestris. *Plura de eadem Leo Afer in fine lib. 7. Præterea inter*

Chriſtianas gentes quæ Alcayri ſuâ ætate (id eſt Anno Chri. 1483.) habitârint, celebrat Nubianos in Itinerario ſuo Felix Faber. Cùm recentius Bartholomæi à Salligniaco Itinerarium ad hunc modum de gente iſta commentetur: Sunt & aliarum nationum homines Nubiani & Iameni, terram ſanctam incolentes; non tamen Hieroſolymis manent. Hi ſe Chriſtianos fatentur, & recepiſſe fidem à Beato Matthæo Apoſtolo. Baptizant in igne, characterem Crucis fronti imprimentes; in cæremonijs deuotiſsimi creduntur inter omnes Orientales: palam omnibus Deo confitentur: in pleriſq; viuunt more Turcorum, vino tamen vtentes. Romanum Pontificem non audiunt, ſed inter ſe virum probatum eligunt, quem Presbyterum Legis appellant. Habitant in regione maris rubri &c. *Hodie tamen Chriſtianiſmum in Nubia extinctum, auctor eſt Abrahamus Ortelius in Additamento theatri orbis terrarum:* Nubia, *inquit,* regnum olim Chriſtianum, hodie verò nullam ferè religionem colunt. Regio eſt auro ditiſsima atq; ebore: Saccari & frumenti feraciſsima. Præcipua vrbs eſt Dangala, cuius incolæ ſunt ditiſsimi, & cum AEgypti mercatoribus negotiantur: in ea maxima Sandali & Zibetti copia: domus ſunt cretaceæ, ſtramineiſq; tectis.

FINIS.

ANTO-

ANTONIO VVITERSHEMIO IVRISCONSVLTO, COMITVM Schavvenburgensium Cancellario:

Viro pietate & vera virtute præstanti S.

HErculeos ausus & facta immania mendax
Græcia victuris condidit historijs.
Pyramides regum ludicra negotia, Nili
Accola facundo friuolus ore vehit.
Stulta leues agitant animi, sua quilibet ornat,
Ingenij & genij pro ratione sui.
Mascula Germanis grauitas in mentibus hæret,
Gens ea fallaci mobilitate caret.
Vtile quod non est, id futile censet, & vmbris
Omne superuacuum quod putat esse, premit.
Res inconfesso est, quid terra? quid arduus æther
Intactum nostris parturit ingenijs?
Omnia libamus, quæque indagatio veri
Obtulit, in lucem dispicienda damus.
Nunc iterum insignis nostra regionis alumnus,
Indelibata conditor historia,
Ille per Europæ varias Reineccius oras;
Ingenij fundens munera dia sui,
Inuigilat, neruosque omnes contendit, vt extet
Historiæ augustum nobilioris opus.
Eoosque Duces, & barbara nomina regum,
Eripit è tenebris barbariaque situ.
Difficilesque notas, variataque nomina flexu,
Ordine distinguens lucidiore refert.

Imperia Eoum fulserunt multa per orbem,
Digna vel à sera posteritate cani.
Sub quibus externo defensa Ecclesia iure,
Obtinuit sedes inuiolata suas.
Sed decus euictis iuuenis Pellæus auitum
Abstulit, & Græcis sceptra superba dedit.
Græcia dißidijs iterum confecta sinistris,
Sceptra resignauit Dardana Roma tibi.
Pace frui ah quoties Oriens optabat amica!
Pace sed in fatis ne frueretur, erat.
Obuia pugnaces vastabant oppida Parthi,
Persaq; neglectas diripiebat opes.
Euentu vario sic regnabatur, & anceps
Alea fortunæ luxuriantis erat.
Tum labe infectus fidei Saracenus ineptæ,
Hos quoq; seruitij sub iuga misit agros.
Quid loquar infelix hominum genus illud & acre,
Tartara cui nomen furua dedere suum?
Quid rigidos Turcas? qui non semel arte subacti,
Vi tamen in sceptris præualuere suis.
Et nunc regna premunt orienti subdita Soli,
Quæq; sub occiduo cardine sparsa iacent.
Arcta Saracenos in Perside meta coërcet,
Sponte sub antiqui relligione Sophi.
Has orbis furias, monstra hæc feralia, nostri
O quoties armis impetiere duces!
Magnanimi reges, fortißima pectora, frustra
Regna reuersuris eripuere viris.
Tum quoq; Saxonicos proceres nouus ardor agebat,
Acria pro cultu bella mouere Dei.
Hosq; inter Comites laudem meruere superbam,
Schomburgi antiqua nobilitate sati.

Arma

Arma Palaestinae qui circumferre per oras,
Credebant partem muneris esse sui.
Quorum consilijs aulas moderaris & urbes,
O VVitershemia maxime gentis honos.
Coepta sed euentu caruere sinistra secundo,
Frustra est inuito fidere velle Deo.
Dum tamen haec legimus cum gestis tempora rebus,
Dignus ut est doctis omnibus ille labor:
Multa obscura latent, & multa implexa teguntur,
Non nisi iudicio discutienda graui.
Praestitit hanc operam Reineccius, ille librorum
Helluo, & aeternae conditor historiae.
Dij faciant viuat, meditataque tempore longo,
In lucem simili conditione ferat.
Martia nec priscae cedet Germania Romae,
Vincet Erechteas Iulia nostra domos.
Magne vir Arctoae pignus memorabile terrae,
O decus ô patriae Papiniane tuae,
Perge, quod optamus, quanta est pollentia mentis,
Ista patrocinijs ausa fouere bonis.
Pro quibus officiis, ceu fas est, vndique laudes
Fama susurrabit deliciosa tuas.

M. Henricus Meibom, Academiae
Iuliae Professor publicus.

EMENDANDA ET ADIICIENDA.

In historia Oriental.

Pag. 2. v. 23. l. gestis. Et fac. seq. v. 19. l. Aegypt. pag. 3. v. 14 voci, mandatis, subiunge virgul. Et fac. seq. v. 18. l. longitudine. pag. 4. b. ad mentionem deserti de Belgian addi. scholion debebat, habere auctorem nostrum idem nomen cap 16. 17. & 23. Item pag. 6. de Sara, & hoc nomen ab auctore repeti cap. 47. Cùm Herbersteinij historia Moschouit. pag. 529. Sarai castrum nuncupetur. pag. 8. v. 16. l. quia. Et in margine dispunge priorem * pertinet enim scholion illud ad mentionem arcæ Nohæ. pag. 9. b. v. 21. l. illorum. pag. 10. v. 23. l. prouincia. Et fac. seq. v. 26. l. nemora. pag. 18. v. 28. l. AGR. pag. 19. v. vlt. l. latitudinis. Et ad margin. l. numer. Item fac. seq. v. 14. voci, Christianus, præmitte punctum. pag. 29. v. 20. l. ferre. Et fac. seq. v. 22. voci, sanctæ, subiunge punctum. pag. 33. v. 19. l. Meminit Casani huius Pach. pag 36. v. 29. l. XI. pag. 40. b. ad margin. cap. 47. l. 19. pag. 41. b. v. 23. l. fasian. & ad margin. l. regnum pag. 42. v 10. l. prætermittunt. pag. 44. b. v. 16. l. Chronico. v. 22. l. & infrà cap. 56. & 60. pag. 45. v. 2. l. M. C. LIII. pag. 47. v. 26. l. illæ. Et fac. seq. v. 29. & seq. l. Aliter. pag. 48. v. 4. post vocem, Derelicta, collocetur punctum. Et fac. seq. v. 21. l. Pastorem. pag. 49. b. v. 2. voci, Tartarorum, subde comma. pag. 51. v. 5. l. prætentandam. pag. 52. v. 5. l. periculosa, tædiosa & pl. Item fac. seq. v. 1. l. Tartari, pag. 54. b. v. 22. l. neq; Beduini. pag. 55. v. 3. l. tunc. pag. 61. b. v. 7. l. reliquerat. pag. 63. v. 19. l. nunc Ertzingam nunc Ertzinganim voc. pag. 68 ad margin. l. nota. pag. 75. v. 19. l. 63. pag. 77. b. v. penult. voci, transmigrasse, subiunge com. & deinde hæc insere: nempe non vero & legitimo sed subreptitio quodam vsu, hoc est, quòd Aethiopia vulgò India credita sit. Etsi fieri potuit, vt in vtroq; regno idem rei euentus acciderit. Nec &c. pag. 79. v. 19. l. potentia. pag. 84. b. ad margin. l. regij. pag. 87. b. v. 8. l. alio. pag. 89. b. v. 21. l. illic. pag. 93. v. 21. l. hoc. pag. 100. de Indicarum libidinum fœditate addatur locus è Geographia Volaterrani pag. 126. b. Pag. 101. b. v. 21. l. Cinamomum. pag. 102. v. 25. l. grossiciei. pag. 109. v. 21. l. ad. pag. 115. b. v. 17. l. mixta. pag. 123. b. de Thoma Apostolo nota

nota insuper, quæ habet Volaterranus Geographi. pag. 126, &. Pag. 128. v. 21. l. speciebus. Et fac. seq. v 32. l computando. pag. 135. ad mentionem Dauidis, Ioann. Presbyteri F. attexi poterat, vt de eo variet Gulielmus Tripolitanus: is enim fratrem, non filium facit. Vide scholion in cap. 51. lib. 1. Pauli Veneti. Pag. 137. b. v, 33. l. Annos. pag. 141. v. 10. l. vlulatui. pag, 142. v. 14. l. egressi. pag. 143. b. v. 3. l. quiescunt. pag. 144. b. ad margin. l. religionum. pag. 148. b. v. 10. l. Thessale mod. redactam. pag. 153. v. 3. l. Legatus, Patr. pag. 154. v. penult. l. rex. pag. 155. v. 24. l. magnæ. pag. 158. b. v. 14. l. ergo. v. 30. l. Admiraldos omn. pag. 162. v. 11. ad mentionem Candelour adijci poterat, suprà cap. 144. dici Candelariam. Item v. penult. l. fungebatur. pag. 163. b. v. 32. l. eos. pag. 169 numerus chartæ ad eum modum restituatur. pag. 176. v. 10. l. duci. Et fac. seq. ad margin. l. Bibendi mos ad Symph. &c. pag. 180. v. 27. l. arietes. pag. 181. v. 4. l. similiter. pag. 184. numerus is sic emendandus. pag. 191. b. v. 22 l. aliquantulum. pag. 192. v. 24. l. omni. Et fac. seq. v. penult. pro in l. &. pag. 195. b. v. 18. dispunge, &.

In Appendice.

A. 1. v. 19. l. accedo. A. 2. v. 21. voci, Turciæ, subijce F. Et fac. seq. v. 18. l. dicat. A. 3. ante Mechouij mentionem insere: Speculum Vincentij lib. 32. cap. 23. A. 4. vbi agitur de Circassis, Aegypti Soldanatu potitis, rectè adijci poterit locus Iouij ex lib. 14. pag. 645. Alluditq; eodem, quòd idem auctor in lib. de legatione Moschouit. testatur, Sclauonicam linguam in Aegypto apud Memphitic. Soldanum & equites Mamaluchos haud ingratis auribus auditam fuisse. B. 1. b. v. vlt. & sequentibus parenthesi inclusa verba authoris non sunt, sed à nobis inserta: Itaq; perspicuitatis gratia characteres alij adhiberi debuissent. C. 3. v. 14. l. βουλγαζοκτόνος. C. 4. vbi differitur de Armenia minore, quæ olim Cilicia, non dissimilis euentus exemplum addatur de Britania in Gallia minore: quippe quæ & ipsa in alteram Oceani continentem transierit. E. 2. v. 27. l. circa. Et fac. seq. v. 3. l. Chusanrasathaimi. E. 4. b. de Andronico & familia

Comnena

Comnena præterea obseruetur, habere hanc historiam Appendicem nostram ad Chronicon Hierosol. F. 2. in historia Despinæ v. antepenult. l. Qua re. F. 3. v. 3. l. distributum. Et fac. seq. v. 27. dispunge vocem, Ecclesia. F. 4. v. 24. l. ab Imperatore ablegatus. Et fac. seq. v. 4. l. attingi. v. 11. l. Ozmenis. G. 3. v. 3. l. Moauiam. G. 4. v. 2. com. subijce voci, numerârunt, non alteri, facto. Et fac. seq. v. 28. l. Zulcimin animi &c. Item in historia Elgualidis l. Septæ. H. 1. b. v. antepenult. l. Muhammati. H. 2. v. 10. l. Moauiæ. Et fac. seq. v. 12. l. Pòst. I. 2. v. 3. l. Christi. I. 4. b. l. Tehebeth. K. 2. b. v. 3. in ALADINO l. Haythoni historia. K. 3. v. 9. l. Ioann. Comneni Imp. L. 2. b. v. 9. l. gratia v. 15. dispunge, inter se. L. 3. v. 9. l. Phaëllon. M. 1. b. in historia Sulaimanis l. ADRIANOPOL. Item in Iagupe l. alio. M. 2. v. 1. voci, strangulatur, subiunge punctum. v. 5. l. æmulis. M. 4. b. v. 15. l. itidem Chalcocondyl. N. 3. v. 16. l. historiæ. N 4. inscriptio restituatur: AD HAYTHON. P. 3. b. de rebus & regibus Cypri amplius notetur, extare de ijs narrationes Italicas Florij Flatei & Hectoris Bodocathari, item aliam eadem lingua Bononiæ expressam ann. 1573. quæ auctorem habeat Stephanum Lusignanũ, Monachum sodalitatis, vt vocant, Prædicatorum, sic quidem vt in calce familiæ Lusignanæ stemma adiectum sit. Nam in eam fermè sententiam haud ita pridem IACOBVS MONAVIVS ad me perscripsit. Fuerit ergo iterum, quo lectoris desiderium expleatur. Etsi optãdum esset, historias, quas diximus, Latina potius lingua, hominibus doctis familiariori, legi: id quod equidem aliquando futurum, confidimus. R. 2. b. v. 7. l. indisertæ. R. 4. b. v. 18. l. Iulianum.

INDEX

INDEX COPIOSVS ET VTILIS RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HAC Orientali historia continentur: prior numerus paginam, posterior paginæ faciem designat.

A

agit

C

Campi-

Con-

D

Ecclesia

E

F

G

V Georgia

H

Haythonus

L

fratri-

N

Nescor-

O

P

Peim

Sacri-

Tunni

Y

Z.

FINIS.

HELMAESTADII.
Excudebat Iacobus Lucius.

Anno
M. D. LXXXV.